TITI

LUCRETII

CARI

De Rerum Natura

LIBRI SEX.

Quibus additæ sunt Conjecturæ & Emendationes

TAN. FABRI

Cum Notulis Perpetuis.

Et Præterea

OBERTI GIFANII VITA LUCRETII

& De Gente Memmia ejusdem Prolegomena.

ITEM

D. LAMBINI Index perquam necessarius.

CANTABRIGIÆ,

Ex Officina *Joann. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi. 1686.

Prostant apud *H. Dickenson*, Bibliopolæ *Cantab.*


BRITISH MUSEUM

ILLUSTRI VIRO

PAULO PELISSONO FONTANERIO,

S. P. D.

TANAQUILLUS FABER.

REM novam, *VIR ILLUSTRIS*, & quæ, ni fallor, varia hominum judicia experietur, feciſſe videbor, qui, cum tot præſtantibus viris Aula *PRINCIPIS* floreat, Te, ſub cujus nomine recens Lucretii editio appareat, idque aſperrimis Tuis temporibus, præter cæteros elegerim. Sed illi ipſi, ſpero, à quibus conſilium meum fortaſſe carpetur, rem certe non peſſimi exempli factam à me fuiſſe fatebuntur; quin &, ſi ſapient, ejuſmodi amicos ſibi optave-

rint, qui adverſis caſibus à cultu officii & obſervantia præſtantium virorum non deterreantur; nec ſtudium & ſedulitatem ſuam ex habitu rerum vel intendant, vel remittant. Quid porro, ſi non uni mihi injuriam facient, ſed & MAXIMO PRINCIPUM,

Quos Sol renaſcens littore Eoo videt,
Et quos relabens Occiduis videt Plagis?

quaſi ſcilicet debita Egregiæ Virtuti præmia perſolvi nolit; neque eos coli & amari patiatur, quibus IPSIUS judicium uſque adhuc tam benigne indulſit. At ego vix fieri poſſe arbitror, ut à Quo virtutum omnium, quæ quidem PRINCIPIS MAIESTATE dignæ ſint, nova in dies documenta prodantur, Is ingratos probet, quo genere nullum in Imperio tetrius eſt aut ſceleſtius. Quamobrem, Præſtantiſſime Peliſſone, quid alii ſentiant ſatis ſecurus, illuc pleno gradu contendam, quo me & Virtutis ſignificatio, & honeſti officii ratio vocabunt; Lucretiumque in urbem mittam, meæ in Te venerationis gratitudiniſque, non apud Gallos tantum noſtros, ſed & apud exterarum gentium homines, interpretem

pretẽ ac teſtem futurum. Utinam modo cuſtodes vel fallere poſſit vel exorare. Sed Deus meliora etiam; Utinam igitur illi nec fallere neceſſe ſit, nec exorare; ſed tandem tandem, ubi ipſe in urbem advenerit, Tibi tum redditus ſis & Muſis, quas antehac ſæpius vel Tuis ipſius copiis κατὰ τὰ Ἀρκεσιλάου παίγνια, vel per Illuſtres Viros, qui ſe Tuis conſiliis præbebant, tum comiter adjuviſti. O diem illum vere beatum atque amabilem!

Tum meæ (ſi quid loquar audiendum,)
Vocis accedet bona pars: &, ô Sol
Pulcher, ô laudande, canam, recepto
Dulcis amico.

Περσάνιχε καλὲ Ἥλιε, & Tu, Vir Illustris, diu diuque Vale. Salmurii. III. Kalend. Octobris, M. DC. LXII.

AD LECTOREM.

CUR *novam hanc* TITI LUCRETI *editionem susceperim, Lector, una causa fuit, neque est cur plures quæsieris: Videlicet amici quidam mihi per literas significaverant, gratissimum sibi fore, si præstantissimum Poetam, nec minorem Philosophum, ita describi curarem, ut & is legi commode, & circumferri non incommode posset. Cumque Conjecturas aut Emendationes bene multas ad oram codicis mei adscriptas esse non nescirent, eas una cum illo edendas censuerunt; Qua in re facere non potui, quin eis morem gerendum putarem, præsertim ea cupientibus, quæ jam parata & sub manu essent, eoque etiam vehementius, quod mihi aliquid scribendum hoc tempore*

pore putavi, quod ad Virum Illustrissimum mitteretur. Sed cum jam contextus ipse Lucretii editus esset, & illæ, quas dixi, Emendationes ad finem libri VI. perductæ fuissent, meque demandatis partibus defunctum esse arbitrarer; ibi repente exorti alii sunt, qui perpetuas à me Notulas scribi oportere dicerent. Quod cum me sedulo negarem facturum, illi contra instare sedulo, tantoque urgere acrius, quod, ut sibi videri dicebant, ea res esset horarum sane paucularum. Parui igitur, (quid enim aliud facerem?) sed prorsus invitus, cum totum id negotium ab ingenio meo plane alienum sit. Deinde neque otium erat, eas ut describere possem, quod & familiares mei norunt; & Typographus, cujus opera usus sum, non sine magna sua molestia sæpe expertus est. Tamen, Lector, ut ut hæc sunt, aliqua mihi spes est fore ut in his notulis, quamquam, ut dixi, raptim scriptæ illæ fuere, nonnulla occurrant, quæ doctis & candidis hominibus placere possint. Nam brevitas quidem ipsa, haud magnopere verecundum est ne illis obesse debeat, cum multa in hoc genere scriptorum

rum sint, quæ, ut hominum ingenia video, non satis tuto exponere possis. Ad hæc cum Lucretius à pueris nec legi possit, nec, si possit, debeat tamen, eo fit, ut paucula pluribus potiora sint, cum præsertim tota Epicuri ratio ab Incomparabili viro, (P. Gassendum dico) perspicue explicata fuerit, & libri in manibus hominum versentur. De emendationibus autem, seu Lucretianis illis, seu aliis etiam, quas Notulis aspergere visum est, hoc unum habeo quod te velim, lector, esse me scilicet hominem paucorum librorum, & eorum tantum, qui à meliori antiquitate propius absint. Recentiores, præter egregie paucos, nec fere curo, nec, si curem, res mea siverit, eos ut mihi parare possim, &, si res sinat tempus certe non adest, eos ut legam. Quamobrem nihil aliud à me expectandum, quam quod ab eo expectari par est, cui libraria supellex tenuissima sit. Lambinum modo & Gifanium ante oculos habui, quibus tamen, ut apparebit, nil debeo. Si quid autem inter scribendum mihi in mentem veniebat, quod neque apud hunc, neque apud illum reperirem, id meum esse, & pro meo edi posse, credidi.

credidi. Nam Nardius quidem nuperrimus interpres, homo sane apprime bonus est, sed duntaxat bonus; ac nisi dono mihi a viro singularis humanitatis, & elegantis doctrinæ clarissimo abbate Motta-Vayerio missus esset, jampridem è museolo extrusus foret. At Pareus, Lambinum modo in compendium misit, nisi quod, Gifanii sectam secutus, Lambino fere plerumque iniquissimus est, & ea sæpe damnat, quæ nunquam intellexit. Quamobrem qui & otio & libris abundabunt, ii aliena colligent; mihi enim, ut dixi, commodam Lucretii editionem dare consilium fuit, non eam cui circumferundæ bajulo opus sit: &, quæ mihi propria visa sunt, ea tantum communicata tecum volui. Atque utinam in his ipsis nihil reperiatur, quod, me insciente, à quopiam dictum fuerit. Id si erit, quid me fiat? Num illud veteris Magistri si exclamem, Pereant qui ante nos nostra dixerunt, *metuo ut satis humane videar facere; Dein magnas, opinor, nugas egero, quod sane nolim. Sileam ne? magis etiam majores egero; nam, ut audio,*

Ολωλεκ

Ὀλωλὰς παύτη παύντως,
Καὶ παυπάλη χνῦμφι·
Τωννυτοῖ π χρῆμα
Βερέθρωμ' ἐς τὰ λαωπν,
Κ' ἐκ ἔςι σύνγνως ὠδή·

Qui auſus fuerim,
Hoi hei! poſt repetitam
Lethes forbitiunculam
Valle ſub Elyſia
Jam ſomno ebriolos
Manes ſollicitare,
Hoi hei!

Itaque, ut video, aliquid periculi eſt, ne, ut nuper, Scholaſtica aliqua barbatuli juvenis declamatiuncula, aut lamentarius, *ſi ita fors tulerit, verſibus miſere diſtringar, ſi vel unum aliquod verbulum mihi fortaſſe exciderit, quod ab alio unquam dictum ſit. Et tamen, ſi vera dicenda ſunt,* (vos & mihi, Manes, eſte boni) *virtute Deum & noſtra ſatis beati ab illa copia ſumus,* (de locis veterum ſcriptorum emendatis loquor) *ut ne aliena ſuppilare neceſſe ſit.*

Οὐδέποτι γὰρ ἐμοὶ νῦς ἐγλύετ' ἐν Κλοπιδῶν.
Ἀλλ' αἰεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι.

Quamobrem, fere confirmato animo, clare

dico,

dico, Si cui lubeat mihi ante ædes convicium facere, me volente, me prodeunte, me plaudente faciet: Videor enim satis fortiter ferre posse, satis belle, satis venuste; sed scin' quomodo?

Ὡς σκαλαθυρματίοις καταπάυσειν βίβλια πάντα,
Καί μάλα πολλὰ γελᾶν, εἰ μὴ Χαρίς, ἦδ' Ἀφροδίτη
Γραμμαδιδασκαλίδῳ πάμπαν μισῆσι σοφιστῇ.

Nos enim more institutoque majorum *aliquanto lubentius ridemus, quam ringimur. Si ita valebis, ut quæ dico vera sunt, Lector, diu profecto diuq; valebis.*

VITA

VITA T. LUCRETII,

PER. OB. GIFANIUM.

ETSI ab aliis quibuſdam viris ſanè doctiſs. de vita Lucretii ſit perſcriptum; ea tamen re nihi ſilendum prorſus non putavi, qui cupio omni ratione ſtudioſis adoleſcentibus patefacere, qualis & quantus ſit ac fuerit poeta, quod certè hac vitæ deſcriptione perſpici poterit: ex qua, præter alia quædam non contemnenda, videbunt omnes qua ætate, quàm erudito, inquam, ſæculo vixerit, quàm egregie ſit inſtitutus; quibus uſus ſit amicis; quanto denique ſua etiam ætate in pretio fuerit. Quæ omnia ſtatim lectoribus judicio præditis etiam exiguo, indicant & teſtantur poetæ cujuſvis doctrinam & elegantiam. Verbi gratia, Titus noſter eo vixit tempore, quo magis nunquam poſt homines natos floruerunt artes & doctrinæ liberales. Præcepta earum percepit in duobus muſarum domiciliis, Roma & Athenis. Viros in r. p. clariſſimos & doctiſſimos habuit amicos. Maximus ea tempeſtate, quo ut dixi tempore ad ſummum venerant Romani, ut ait Horatius, in his artibus, poeta eſt habitus. Quid quæſo hinc aliud colliget æquus lector & judex, quam id quod probatum nos adoleſcentulis cupimus; præſtantiſſimum & elegantiſſimum hunc eſſe poetam? Alia etiam eſt ratio cur hæc ſuſceperim: quòd illi alii vel falſo, vel perturbatè, neque Rom. more ea tractarint; quod equidem non lædendi doctiſs. viros. Sed mei

ex-

excusandi caussa dictum esse velim.

T. LUCRETIUS CARUS Romanus, ut ipse idoneus est testis; natus est L. Licinio Crasso & Qu. Mucio Scævula COSS. anno U. C. IↃLVIII, eo inquam anno quo nobilissima lex Licinia & Mucia de civibus regundis est lata, quo tempore specimen illud innocentiæ Rutilius IC. præstantissimis à publicanis in exilium actus est, annis post natum M. Ciceronem XII. De parentibus autem totaque ejus familia nihil usquam exstat, etsi Lucretiorum nomen in Romanis monimentis percelebre sit ac vetustum. Nam in hac gente invenio Tricipitinos, Cinnas, Vispillones & Ofellas. De Caris nihil, quod equidem sciam, reperitur; cognomen tamen est Romanum: cujus & Ovidius multique alii meminerunt. Scio hac tempestate in r. p. fuisse Qu. Lucretium: verùm an frater fuerit, aut quo inter se propinquitatis gradu, ignoro. Cæterum hoc pervolgatum, & ut ita dicam tralatitium est, ut præstantiorum ortus poetarum ferè ignoretur, & in hoc credo eos divinitatem adfectasse. Adolescentibus autem quin à parentibus, seu propinquis, considerata ejus ad bonas artes nata pene divina indole, Athenas more patrio sit missus. Athenas non ita pridem à P. Sulla crudeliter vastatas, non dubito: postulat hoc Romanorum consuetudo, ac doctrinæ ratio: nam ad Hortos ille statim se contulisse videtur: ut & Virgilius aliquot annis postea, qui ita de se ipse canit:

Etsi me vario jactatum laudis amore,
Invitaq; expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropias suaves exspirans Hortulus auras
Florentis viridi sophiæ complecti itur umbra, &c.

Sic enim versus illi scribi debent & intelligi.

Eôdem aspiravit doctiss. Propertius,

Illic

Illic (inquit) vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis.

Præerant Hortis eo tempore Zeno acriculus ille senex, & Phrædrus, homo, ut Cicero ait, humanissimus, itaque his videtur usus præceptoribus Titus: quos etiam Atticus paulo licet hoc poeta grandior, audivit. Memmius item, Velleius, Pætus, Cassius, multique alii præstantes in r. p. R. viri eadem ætate his operam dedisse videntur, quibus omnibus aut magnam certè partem familiaris fuit & charus Lucretius, ob admirabiles animi dotes; maximè verò ob aureum illud orationis flumen: & quod omnium poetarum suæ ætatis esset gravissimus, & judicio Cornel. Nepotis ac M. Ciceronis, præstantissimus. Florebant eo tempore poetæ præstantes non pauci: M. Varro. M. & Qu. Cicerones, P. Varro Atacinus, M. Furius Bibaculus, C. Calvus Cinna, Catull. L. Calidus, aliique nonnulli. Verùm haud facilè reperias, qui ad tantam orationis majestatem, lepore incredibili contactam adsurrexerit. Maximus sine dubio futurus, si ad ætatem maturiorem cum mentis integritate pervenire potuisset, nunc & vigente ætate periit; & juvenili, in mentis errorem incidit. Nam, ut ex Eusebio colligi potest, juveni præbitum fuit philtrum, ab uxore Lucilia, ut quidam existimant, nullo auctore. Hinc mente loco suisque sedibus permota, parum abfuit quin omnes illi divini in hoc poetæ igniculi fuerint extincti. Sed cùm morbus ille animi inducias haberet; non passus est poeta eos funditus interire, quin observatis intervallis, philosophiam in qua adolescens magnam semper operam posuerat, pharmaci loco adhibuit: eamque ut Latino etiam ore instaret, efficere instituit, initio sumpta à rerum natura: in qua tractatione maximè elabora-

borabant omnes Epicuri familiares. Tandem confecto ferè eo opere, invalescente jam paulatim ægritudine, credo etiam ob Memmii sui, de quo mox, & totius reipub. calamitatem ac perturbationem: cùm videret adesse tempus, quo veterum quoque sapientium, suæque familiæ consensu vitæ nuntium remittere liceret; εὔλογον eam ἐξαγωγὴν non prætermisit; namque manu sibi adlata, è vita tanquam è theatro exiit: quod etiam Atticus haud multò post, sed ἀπαραγγέλτως fecit & ipse Lucret. faciundum suaserat, quo loco inanis gloriæ cupidos & ambitiosos exagitat; qui etiam in summis miseriis vivere amient, ait enim:

Extorres idem patria longeq; fugati
Conspectu ex hominum, fœdati crimine turpi
Omnibus ærumnis adfecti deniq; vivunt:
Et quocunque tamen miseri venere, parentant.

Decessit igitur anno, ut opinor, urbis DCCI. Cn. Pompeio Magno III. COS. quo tempore maximæ in r. p. erant turbæ; Clodius à Milone occisus; Memmius multique alii de ambitione damnati, Roma in exilium profecti. Cæsar Galliam lacerabat annos natos XXXXIV. Eusebius uno antè anno mortuum scribit, si modo ratio constet. Donatus aut quisquis est vitæ Virgil. auctor, tribus antè annis, Cn. Pompeio Magno II. M. Licinio Crasso II. COS. Ego quia farragini illi multa falsa adsuta esse, & Euseb. mendosum esse sciam, id sum secutus, quod vero magis visum fuit consentaneum. Certè perperam in Eusebio mortuus dicitur Catullus anno U. C. DCXCVI. Lentulo & Nepote COSS. cùm Catullus secundi consulatus Pompeii mentionem ipse faciat, quem constat Cneium gessisse anno post Lentulum & Metellum secundo. Catulli versus sunt isti ad poetam C. Helvium Cinnam:

Consule

Consule Pompeio primùm, duo Cinna, sedebant
Machilli: facto consule nunc iterum;
Manserunt duo, &c.

Mœchillos, ut opinor, intelligit Mamurram, & Cæsarem, quos alio loco idem gemulos vocat: sic ergo locus legendus mihi videtur & explicandus, τὸ sedebant, senatorium est. Mœchilli dixit, ut alibi scortillum, solatiolum, integellus, multa alia ὑποκοριστικά. Alibi quoque Britannias Cæsarem invasisse indicat, quod hoc eodem anno Pompeio & Crasso COSS. demum Cæsarem fecisse, ipse testatur lib. IV. de bello Gallico. His adductus rationibus, Eusebii rationem non sum secutus. Paucis ante mortem annis vidit Lucretius Catilinæ & Clodii furiosas administrationes; quibus r. p. R. ita fuit affecta, ut non multo post tota conciderit. De eo tempore ita ipse conqueritur:

Hunc (Martem) *tu diva* (Venus) *tuo recubantem corpore sancto*
Circumfusa super; suaves ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis incluta pacem.
Nam neq; nos agere hoc patriai tempore iniquo
Possumus æquo animo; nec Memmî clara propago
Talibus in rebus communi deesse saluti.

Ambitionem etiam suæ ætatis gravissimis versibus libro tertio & quinto reprehendit. Quàm sanctis denique fuerit moribus poeta, testis est locupletissimus opus gravissimum, multisque præclaris ad bonos mores conformandos adhortationibus illuminatum. * De quo jam supereſt ut agamus: nam tametsi commentarios scribentibus ea tractatio, ut Græci & Latini interptetes antiqui aiunt, sua sit ac necessaria: quia tamen instituto nostro ac voluntati; qui hunc egregium poetam omnibus modis illustratum, ac studiosis probatum

* DE OPERE.

cupi-

cupimus, imprimis est idonea; spero hanc industriam nostram viris doctis non improbatum iri. Qua in re primùm quidem & potissimum de numero librorum, & quantum ipse poeta scripserit, explicandum est. Video enim jampridem à restitutis bonis artibus, multos in ea esse opinione, ut putent Titum nostrum plures libros quam qui sunt in manibus, scripsisse: nempe ex Varrone, inquiunt, perspicuum est libros XXI. reliquisse Lucretium; operisque principium non illud esse, quod vulgo putant; verùm longe aliud ex Varrone repetitum. Quam vellem vera esset hæc opinio: nam ea spem faceret fore, ut similia poetæ nostri aureaque scripta habere aliquando liceret. Verùm error est inveteratus & gravissimus, quem prius, amice lector, quàm refellam, meam hac in re sententiam constituere cupio: qui assero, non alis plurave poetam scriptis prodidisse, quæ quidem ad operis hujus contextum pertineant; quàm ea quæ circumferuntur. Et primum quidem ex grammaticis veteribus omnibus nemo est, qui ex libro VII, VIII, &c. ullum proferat versum, cùm ex sexto, quinto, prioribus aliis adducant sæpenumero: nam quod quidam apud Priscianum, poetæ hujus librum septimum laudari volunt, eos, ut levissimè dicam, fugit ratio, nihil usquam tale exstat. Deinde seipse vindicare potest Lucretius: nam de primo quidem libro ita canit, lib. 6. pag. 223.

Nunc omnes repetam, quàm raro corpore sint res,
Commemorare: quod in primo quoque carmine claret.

De ultimo verò præclaris versibus perspicuè ita profatur:

Te mihi suprema præscripta ad candida calcis
Curreni spatium præmonstra callida musa,

Calliope

Calliope, requies hominum divûmque voluptas:
Te duce ut insigni capiam cum laude coronam.

DE principio autem ut certissimus sit lector, apponam Prisciani grammatici diligentis ac pervetusti verba, ille enim ubi primi ordinis casum patrium in multitudinis numero, arûm & concisè ûm habere dixisset; hæc verbi gratis tandem addit: amphorûm pro ampharatum, Æneadûm pro Æneadarum. Lucretius in primo versu: Æneadûm genetrix, hominum divumque voluptas. Accedit ipsa operis rerumque tractatio ita inter se connexa & apta, ut si versus aliquot eximas, non elegantiam tantùm, sed sententiam ipsam depravaturus sis. Docet primo, de rerum principiis, de meteoris ac rebus sublimibus, extremo opere: an omnes qui naturæ cognitionem memoriæ prodiderunt, hanc rationem non sunt secuti? ipse inquam Epicurus eam persecutus est: uti apparet ex ejus de rerum obscuritate compendio, quod hic adjiciendum curavimus: ex quo præter cætera id etiam cognoscere licet, in hoc opere nihil desiderari eorum quæ ad rerum naturalium explicationem pertinent. Vincit hoc de initio quod diximus, ipsa etiam invocatio, quam in primo opere omnes collocandam censent.

HIS ita firmiter adfirmatis, videamus nunc de alia opinione. Varronem illi laudant auctorem: cujus hæc adferunt verba è libro de lingua Latina IV. Loca secundùm antiquam divisionem prima duo, cœlum & terra; &c. à qua bipartita divisione Lucretius suorum unius & viginti librorum initium fecit hoc: Ætheris & terræ genitabile quærere tempus. Ego ut præcidam, librum Varronis mendo contaminatum hîc esse contendo: nam si vera sunt ea quæ attuli: neque hoc nostro reperiatur in veterum monimentis alius qui quidem scripserit Lucretius, cui non statuit de

mendo

mendo fuſpectus erat locus ille Marci; maximè qui meminerit Carum, ea cum ſcriberet Terent. Cæſare, ni fallor, dictatore, aut paullo ante, vix in hominum fuiſſe manibus; quippe qui quarto ante Cæſaris dictaturam anno deceſſerit; poſtque auctoris demum exceſſum à Cicerone opus ipſum à M. Tull. Lucretii perfamiliari expoliri cœperit, & ut fuerit, non eam tamen conſecutus auctoritatem videatur, qui à Varr. adduceretur: licet Varronem in quibuſlibet etiam recentioribus laudandis facilem eſſe ſciam, & Lucret. magnæ exiſtimationis ac nominis ea tempeſtate poetam fuiſſe conſtet. Quid ergo? pro Lucretio, Lucilium olim ſcriptum fuiſſe exiſtimo; adductus cum iis omnibus, quas protuli, rationibus, tum quòd aliis quoque in locis ſimilia menda inveſtigarim. Sæpe Lucilius, Lucretius & Lucullus, ut Cœlius ac Cecilius alius in alterius locum vitiosè ſubjecti ſunt; adferam verbi gratia quæ deprehendi aliquot. Salluſt. lib. 5. hiſtor. At Lucilius audito Marium regem proconſulem per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere, adducit Priſc. lib XVIII. lego: At Lucullus audito Marcium Regem pro COS. &c. agit de Lucull. bellum adverſus Mithrydatem adminiſtrante. Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 15. M. Varro in lib. de agricultura refert: Mar. Cat. qui poſt Uticæ periit, cùm hæres teſtamento Lucilii eſſet relictus: lego teſtamento Luculli, &c. fallitur ibi Macrob. tamen, nam Cato non hæres, ſed tutor erat relictus Luculli filio, ut avunculus, teſte Plutarch. Apud eundum ſymmictographum lib. 6. cap. 3. Lucretius in 5. Major erat natu, non omnia poſſumus omnes. Apud Nonium Marcell. Puelli & Peſtilitas, pro Lucretio editur perperam, Lucilius, & in verbo callet Siſenna hiſt. lib. IV. Lucilium Memmium, cùm ſit leg. Lucium Memmium. in verbo Utres leg. Livius Andronicus; vulg. Lucilius

lius Andronicus. In Sex. Pompeio quoque Tama lege Lucilius, vulg. Lucretius. Apud Probum etiam in Catholicis nominum, Vappones Lucret. malè est editum pro Lucilio, ut & in Servio ad lib. 12. Æneid. Immò in ipso Varr. lib. 6. ubi pervolgatum est, apud Lucret. Atque aliquos ibi ab rebus clepsere foro: certissime scribi debet, Lucilium. Plura facilè quilibet inveniet, quorum omnium origo mendorum ex his notis Luc. & L. manasse videtur. Risit autem curiosos credo astrologos Lucilius, qui cœli terræque natalem anxiè nimis adquirerent: aut simile quid licet in re perobscura comminisci. Verùm enimverò plures libros non admittendos docui: ita facile crediderim versus aliquot fortasse desiderari: nam cum in omnibus ferè antiquis scriptoribus, tum in hoc poeta præcipuè quidam nimia certè libertate adjecerunt, ademerunt, mutarunt plurima, sicuti multis id locis nos patefecimus. Adducit etiam Servius hoc ex Lucretio fragmentum: superi spoliatus luminis aer: quod etsi Lucret. esse videatur, à libris nostris tamen abest, neque dum etiam scio, ubi reponi debeat. Sed hic fide & judicio opus est accurato, nè poetæ tribuamus non sua qua in re, ut dixi, multimodis hîc peccatum fuit.

OPERIS verò indicem vulgarem, *De rerum natura*, retinui: præter enim quod in vet. c. ille reperiatur, etiam Fl. Sosipater libro grammat. 2. Lucretius, inquit, de rebus naturalibus libro III. & poeta eum ipse confirmat lib. 5.

Denique natura hæc rerum, ratioque reperta est
Nuper, & hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere voces.

Verè hoc de se prædixit poeta: nam princeps ille de rerum natura Latinè scripsit. Quem postea consecuti sunt alii multi: C. Amafinius, Catius, M.

Cic.

Cic. Varro, Egnatius, cujus lib. 1. de rerum natura ab Aur. Macrob. adducitur: idem se quoque præstiturum separabat P. Virg. ait enim ad juvenem doctiss. Mesallam Bruti familiarem: cum Athenis agens Cirin suam conscriberet:

Etsi me vario jactatum, &c.
Si me jam summa sapientia pangeret arte, &c.
Non ego te talem venerarer munere tali;
Non equidem, &c. & mox:
Tali te vellem juvenum doctissimè ritu, &c.
Naturæ rerum magnis intexere chartis.

Alibi etiam id suavissimis pollicetur versibus:

Me verò primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore, &c.

Empedocles autem multis sæculis antè idem argumentum Græce tractaverat: quem Lucretius magnopere est admiratus, eumque hoc elogio ornavit unico:

Nihil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
Nec sanctum magis, & mirum, carumq; videtur.
Carmina quinetiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta;
Ut vix humana videatur stirpe creatus.

HUNC igitur studiosè poeta noster immitatus est. Nam quæ Empedocli tribuit Aristoteles, τὸ ὁμωνυμὸς καὶ τὸν αὐτὸν λόγον, ὑπερφυὲς τι εἶν. καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐπὶ τοιοῦτον ἐπιτηδεύμασι κεκοσμημένον: quæ haud scio an in ullo alio poeta Latino invenias: ea in Lucretio omnia mirè elucent. Nam orationis splendore, & ut ita dicam, grandiloquentia cæteros anteit: tum tralationibus innumerabilibus, iisque præclaris totum opus quibusdam veluti insignibus distinxit. Multæ eum vocat artis M. Tull. optimus existimator. Atque utinam tantum nobis fuisset otii, ut non ea tantùm quæ ab Homero, sed ab aliis, maximè Ennio suo: (nam hunc è Latinis scriptoribus mirè coluit, & exprimere studuit) & rursum quæ à Tito Virgilius sumpsit;

sent; indicare. Sic enim clarissimum fieret, quod sæpe soleo dicere, Avum esse Q. Ennium: patrem T. Lucretium; P. Virgil. Maronem filium: hi enim ex Epicis poeticis Lat. triumviri sunt præstantissimi. Verum ea omnia alteræ editioni adjungentur. In hoc etiam Empedoclem suum imitatus est, quòd ut illis suis deliciis Pausaniæ περὶ φύσεως περιφώνησεν· item & Lucretius Memmio suo: de quo quia promisimus, jam tempus est, ut explicemus, si hoc prius addidero, non probari nobis recentiorum judicia, qui Lucret. Lucanum, similes rerum gravium scriptores in poetarum numero non habent: nam & veterum in hac re sententiam iis possum opponere, ac de Lucretio nostro quidem Ciceronis ac Nepotis, auctorum minimè vulgarium; qui cum non poetam duntaxat, sed præstantissimum etiam poetam laudant: & hoc addere, si ea est hujus artis conditio & ingenium, ut nisi qui fabulas, amores, & id genus alia nugatoria tractet, aut vera rebus obscuris falsisque involvat; in poetarum ordine consistere non possit: eam artem insuper habendam potiùs & abjiciendam suaserim, qua præter spurca, nugatiora, & figmenta suavibus leporibus adspersa, nihil ferè adolescentibus præbeatur.

DE GENTE MEMMIA

Ejusdem

PROLEGOMENA.

DE hac gente, quia pauca in veterum scriptis eaque hic illic sparsa supersint, nemoque hoc erudito sæculo scripserit, quod equidem sciam, difficile est, & arduum multa eaque certa comparare & constituere. Utile tamen est videre gentium ac familiarum ortus & interitus, quarum rerum cognitio historias legentibus omnino est necessaria. Itaque cùm Ciceronem, Livium, Sallustium, Virgilium, & maximè poetam nostrum legentibus futura sit utilis & jucunda hæc descriptio: difficultate & obscuritate non deterriti, gentem hanc Memmiorum exponere conabimur. Et ut ab ultima origine eam repetamus, scribit Virgilius antiquissimam esse, & à Trojanis oriundam: inquit enim doctiss. poeta:

Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmî.

Verùm in r. p. primùm belli Histrici tempore, quod à Claudio pulcro COS. anno V. C. D. LXXIII. confectum fuit, ejus mentionem invenio. Livius enim libro XXXXI. C. Claudio Pulcro, Ti. Sempronio Gracco COS. anno post trium clariss. ducum Philopœmenis, Scipionis, & Hannibalis mortem, septimo; sex annis ante gravissimum ac nobilissim. illud cum Perseo Macedoniæ rege bellum: eo igitur tempore, scribit Livius C. Memmium prætorem creatum esse, eique eveniss

eveniſſe provinciam Sardiniam. Unde intelligas, alios etiam magiſtratus eum, puto quæſturam & ædilitatem geſſiſſe: quòd ſanctè gradus illi tum ſervarentur, & biennio antè legem annalem tuliſſet L. Villius, teſte Livio lib. XL. Fuit autem plebeia gens Memmia: id ex eo perſpicuum erit, quòd tribuni plebei uti mox adnotabimus, ſubinde fuerint Memmii, quem magiſtratum legibus, opinor, ſacratis patricios capere nefas erat. Cic. pro domo ſua. Nobiliſſima tamen ea fuit, maximéque doctrinarum ſtudiis floruit: & haud ſcio, an non à Cæſare Octaviano lege Senia inter patricios adſcripta ſit. Porro C. Ille Memmius, de quo jam meminimus, quarto deinde anno, quod eſt COS. C. Popilio Lænate, & P. Aëlio Ligure, ea tempeſtate, cùm jam parabatur bellum Perſicum, iterum Prætor factus Siciliam, ut Livius ait l. XLII. ſortitus eſt. Admonendus eſt lector apud Livium lib. XLI. ubi C. Memmium primùm rogatum Prætorem commemorat, mendosè ſcriptum eſſe, C. Mummium, quod alibi etiam accidiſſe indicabimus. Hujus duo, ni fallor, erant filii, C. & L. Memmii; quorum facundia multorum ſcriptis celebrata eſt. Tum etiam, inquit Cicero in Bruto, C. L. Memmii fuerunt oratores mediocres; accuſatores acres atque acerbi, itaque in judicium capitis multos vocaverunt: pro reis non ſæpe dixerunt. Salluſtius autem de C. Memmio: Sed quoniam, ait, ea tempeſtate Roma Memmii facundia clara, pollénſque fuit, decere exiſtimavi unam ex tam multis orationem ejus perſcribere: ac potiſſimum eam dicam, quam in concione poſt redditum Beſtiæ hujuſcemodi verbis diſſeruit. De Lucio etiam Siſenna commeminit lib. IV. his verbis: L. Memmium ſocerum C. Scribonii tribuni pl. quem Marcellini conſiliarium fuiſſe callebant, & tunc Curionis oratorem. Hi autem bello Jugurthino, & Sullanis temporibus maximè fuerunt

in honore ac pretio. Caius multis auctus honoribus, cum ad consulatum petendum accessisset; facileque eum, quia & vitæ, ut Orosius ait, integritate, sanctitate morum, & eloquentiæ laude esset clarissimus, videretur consecuturus, à Saturnino trib. pl. (qui illum suis actionibus maximè adversarium metueret) in ipsius comitiis, in campo Martio fuste comminutus, nefariè trucidatus est, C. Mario VI. L. Valerio Flacco COS. anno ante memorabile illud Romanorum cum Cimbris ac Teutonis prœlium. Cic. in Catil. 4. Livius epit. 69. Appianus lib. 1. ἐμφυλ. In libello de viris illustribus Ro. ca. de Appuleio Saturnino, ubi idem scelus commemoratur, perperam editur Mummius. Accusavit Caius L. Calpurnium Bestiam, Cicerone teste, credo, repetundarum: namque Bestia in Numidiam consul cum exercitu missus; & ab Jugurtha pecunia corruptus fuit, & avarissimè socios expilavit, quod egregiè narrat Crispus. Tulit hic tribunus pl. legem de Jugurtha Romam evocando, Nasica & Bestia Cos. ad causſam, inquit, Sallust. dicendam. Neque verò dubito, quin idem, ut erat moribus sanctissimis, legem tulerit Memmiam, eam qua cautum fuit, ne, qui reip. causſa abessent, rei fierent: tum, ut calumniatoribus & corruptis pecunia accusatoribus, convictis, K littera, ut καλumniæ nota in frontem imprimeretur. Cic. pro Sex. Roscio. Valerius lib. III. Papinianus IC. in l. quæsitum Dig. de testibus ubi non rectè meo judicio scriptum Ramnios Brunduſii invenio, est & Remnius Grammaticus. Remnii nusquam. De Lucio Caii fratre, nihil præterea comperi. Fuit subinde & alius ex eadem gente M. Memmius, quem puto superiorem fuisse fratrem aut certè patruelem. Eum habuit Quæstorem Cn. Pompeius in bello contra Sertorium in Hispania gesto, nam & adfinitate illi, ducta in uxorem Pompeii sorore, junctus erat: qui in quadam

dam contra Sertorium pugna in agro Saguntino tandem fortissimè occubuit. Cic. pro Balbo. Plutarch. Sertorio. Orosius lib. 5. cap. 23.

Venimus jam ad C. illum Memmium, cujus potissimùm nomine omnis hæc à nobis susceptа est commentatio, ut cui suos de rerum natura libros conscripserit poeta noster, uti temporum ratio, hæcque tota Memmiæ gentis deductio evincunt. Hic igitur superioris Lucii, ut Cicero testatur, Filius, magnam adolescens operam in bonis artibus posuit, adeó ut doctissimus evaserit; virosque etiam eruditos singulari amore sit complexus ac juverit. Athenas profectus iisdem cum Lucretio præceptoribus usus videtur. Romam deinde reversus, cùm aliquantum temporis r. p. probasset, à majoribus & eloquentia ac doctrina, virisque eruditis, & Pompei familiaritate adjutus, ad honores provectus est. Prætor autem creatus Bithyniam obtinuit: in qua profectione comitem habuit poetam Catullum, fortasse & nostrum suumque Titum, & Curtium Niciam grammaticum nobilem, quem familiariter apud se semper habuit, inquit Suetonius. Reversus ex provincia, quia non rectè eam administrarat, ut indicat etiam Catullus; aut certè provincialibus quibusdam injuriam intulerat, accusatus fuit à C. Cæsare: id colligo ex Agellio, qui è Cæsaris oratione pro Bithynis in Memmium hæc adfert verba: Vel pro hospitio regis Nicomedis, vel pro horum necessitate hoc munus, Memmi, refugere non potui. Sed hîc etiam pervolgatum est, Mummi. Tum verò acerbè Cæsarem accepit Memmius, & in eum oravit acerrimè, ut ex Suetonio in Cæsar. percepi. Credibile est ei Memmium objecisse de prostituta olim apud Nicomedem Bithyniæ regem pudicitia. Cujus exitum judicii licet nullum invenerim; certè tamen credo absolutum fuisse Memmium. Interjectis enim paucis admodum annis tribunus plebis Gabi-

nium accuſavit repetundarum. L. Domitio & Ap. Claudio COS. & eodem anno C. Rabirium Poſtumum, quem defendit Cic. cujus exſtat oratio. Conſulatum etiam tum petiit noſter Memmius cum Domitio, Meſſalla, Scauro, aliis: omnes ſumma contentione & libidine, adeò ut nemo in proximum annum conſul creari potuerit; & interregna, ut ait Cic. in eo anno fuerint compluria. Redierat jam in gratiam cum Cæſare Memmius, in eoque ut idem Cic. magnam ſpem poſuerat; & ab eo licet in Galliam abſente, in ea re non nihil, inquit Suetonius, erat adjutus: verum fruſtra. Nam cùm quatuor illi candidati multique alii ob turpiſſimas pactiones & dona accuſati eſſent; altero tandem anno Cn. Pompeio COS. anno IↃ. CCI. Memmius lege Pompeia de ambitu cum Hypſeo & aliis quibuſdam, etiam Cic. defenſore condemnatus, in Græciam exulatum abiit: quam rem attingit Cic. lib. 2. Ep. 3. ad Quinctum, & copiosè narrat Appanius lib. 2. ἐμφυλ. Athenis aliquamdiu fuit, ubi ad ſtudia philoſophica, in quibus à puero ſemper deditus fuerat, ſe rettulit. Cic. lib. 5. ep. 11. ad Att. Epicuri autem rationem eum ſecutum eſſe & noſter poeta, & Cic. plane confirmat: eaque re videtur neſcio quid in Epicuri honorem ædificare voluiſſe, ut in Academiæ Cicero. lib. 13. ep. Cic. ad Memmium. Poſtea abjecta ædificatione, Mitylenas; mox Patras (quod eſt oppidum Achaiæ prope à Corintho) conceſſit. Hìc civis tandem factus, Lyſonis civis Patrenſis honeſtiſſimi viri ac Cic. amici filium adoptavit: ſibique hæredem ſcripſit: neque ita multo poſt ibidem, ut opinor, deceſſit. Hæc è Cic. colligo, cujus verba ad Ser. Sulpicium Achaiæ procos, ſeptem poſt condemnatum Memmium annis, ut aliis etiam ſint in promptu, adſcripſi: Cum Lyſone Patrenſi, inquit Cic. eſt mihi quidem hoſpitium vetus, &c. Sed eo vehementiùs à te contendimus, ut Lyſonem in fidem, neceſſi-

neceſſitudinemque tuam recipias, cujus dubia fortuna, timidiùs tecum agebamus; verentes, nequid accideret ejuſmodi, ut ne tu quidem mederi poſſes. Explorata verò ejus incolumitate, omnia à te ſtudia ſumma cura peto; quæ ne ſingula enumerem, totam tibi domum commendo: in his adoleſcentem ejus, quem C. Memmius Gemellus cliens meus, cùm in calamitate exilii ſui, Patrenſis civis factus eſſet, Patrenſium legibus adoptavit: ut ejus ipſius hereditatis jus, cauſſamque tueare. Ex his M. Tullii verbis tam de morte Memmii, quàm de loco domicilii multiſque aliis rebus certi quid facillimè intelligi poteſt. Ne quis tamen addubitet; apponam alterum Cic. locum, quo ſuperiora pleraque omnia mirificè confirmantur. In lib. ergò de claris oratoribus ad Brutum, quem eodem illo anno, nempe Cæſare & Lepido COS. conſcripſit, & in quo oratores jam mortuos colligit, de C. hoc Memmio ita ait: C. Memmius L. F. perfectus litteris ſed Græcis faſtidioſus ſanè Latinarum, argutus orator, verbiſque dulcis, ſed fugiens non modò dicendi, verùm etiam cogitandi laborem; tantum ſibi de facultate detraxit, quantum imminuit induſtriæ. Optimatium verò eum fuiſſe ſtudioſum ab ineunte ætate teſtatur idem Cic. in Rabiriana. Unum hoc in eo reprehenſione dignum (nam de ambitu injuria damnatum dicit Cic.) ex Catullo, Cic. & Tranquillo invenio, quòd in res Venereas fuerit pronior: ſed hoc ea ætate qua vixit, crimini vix datum fuit, tam inquinata erant omnia. Scripta ejus commemorantur ab Agellio, Chariſio, & Priſciano. Poemata in noctibus Att. dicuntur duriora. Ex oratione quadam hac adducit Priſcian. lib. 8. Quàm ſtultè conficta, quàm ſunt apertè ementita. Apud Soſipatrum malè etiam uti puto, Mummius exſtat. Verùm de Memmiis ſatis, quando jam perſpicuum eſt, quis ille & quantus vir fuerit, cui ſuum opus inſcripſit Lucret. qua maximè re, hæc à nobis inſti-

tuta fuerat oratio. Longum esset de Memmiis, Quirinis & Regulis, superiorum, ut puto, posteris, qui ad consulatum etiam r. p. jam oppressa pervenerunt, dicere: de quibus Suetonius, Tacitus, fasti consul. Capitol. nummi & inscriptiones antiquæ; de Cerealibus etiam Memmiorum sacris, ac Floralibus, quorum apud Ang. Politianum & P. Victorium, & in monimentis antiquis nonnulla est mentio, quia res obscura est, & instituto nostro parum utilis, prætermittimus: hoc unum addidisse contenti, me in hac gente illustranda & evolvenda valde adjutum esse à clariss. ac doctissimo lc. Guidone Laurino; qui ut est in omni antiquitate peritissimus, omnesque studiosos, cum fratre clariss. M. Laurino incredibili studio prosequitur, ac fovet: omnia ferè quæ de hoc genere in Adversaria sua retulerat, nobiscum humanissimè communicavit.

Index

Index Quæstionum, & Rerum Insigniorum, Quæ singulis Libris continentur.

LIBRI PRIMI.

Proœmium primum ad Venerem, p. 1.

Proœmii primi conclusio & veneris invocatio, p. 2.

Proœmium secundum, in quo Memmium docilem & attentum reddit simulque proponit, qua de re sit disputaturus, p. 2, 3.

Deos non procurare res humanas esse beatas, neque beneficiis capi, neque ira commoveri, Ibid. p. 3.

Religionis descriptio, & quasi hypotyposis & laus Epicuri, qui animos hominum religione oppressos liberarit, p. 3.

Religionis mala, p. 3, 4.

Iphianassa, seu Iphigenia, à patre Agamemnone Dianæ immolata, ut exitus navibus daretur, p. 3, 4.

Terrores animorum nasci ab ignoratione naturæ animæ, quòd eam putent esse immortalem, p. 4.

Proœmii secundi conclusio, p. 5.

Terrorem animorum, & tenebras discuti à naturæ contemplatione & ratione, p. 5.

Nullam rem gigni è nihilo, sed è certis principiis omnia fieri, Ibid.

Argumenta quibus hoc probat, p. 5, 6, 7.

Nullam rem ad nihilum interimi, sed quædam esse æterna

terna corpora, in quæ omnia dissolvuntur, p. 7.
Argumenta quibus hoc probat, p. 7, 8.
Non ideo prima corpora neganda, quia videri non possunt, cum multa alia sint in rebus corpora, quæ itidem videri nequeant, p. 8, 9, 10.
Præter corpora inane in rebus esse, p. 10. *& deinceps multa argumenta, quibus probat esse inane,* p. 10, 11.
Motum esse non posse sine inani, & quomodo pisces in aqua moveantur, Ibid. p. 11.
Concludit in corporibus primis, & inani consistere naturam rerum, p. 12.
Nihil per se esse in rerum natura, præter inane, & corpora, cætera omnia aut his conjuncta, aut horum esse eventa. p. 13.
Tempus per se non esse, p. 13, 14.
De eventis rerum, Ibid. p. 14.
Corporum alia esse primordia, alia ex eorum cœtu concreta & conflata, Ibid. p. 14.
Difficile esse credere, quidquam in rebus solido corpore reperiri, Ibid. p. 14.
Corpora, quæ rerum sunt primordia, solida atque æterna esse, p. 15.
Corpora, & inane, ut principia sunt, esse per se, & separatim, & pura, p. ead.
Materiam esse solidam & æternam. p. ead.
Omne quod est esse distinctum corpore & inani, p. ead.
Sine inani nil posse frangi, aut findi, neq; collidi, p. 15, 16.
Corpora prima esse æterna, p. ead.
Rebus frangendis finem esse à natura constitutum, p. ead.
Quamvis corpora prima sint solida, tamen ex iis fieri posse res molleis, p. ead.
Corpora prima esse simplicissima, p. 17.
Esse aliquid minimum in natura rerum, p. 18.
Errasse Heraclitum, & eos, qui ex sole igne res omnes consistere opinati sunt, omnesque illos qui unum duntaxat quodlibet elementum rerum materiam existimaxunt, p. 18, 19.
Non minus falli eos, qui ex pluribus elementis aut etiam ex

ex omnibus (ut Empedocles) res omneis gigni opinantur, p. 20.
Laus Empedoclis, p. 21.
Argumenta aliquot, quibus refellitur opinio Empedoclis, p. 22, 23.
Ex similibus particulis non posse res omnes constare ut vult Anoxagoras, p. 23, 24. *& sequent.*
Digressio à proposito, in qua ostendit, se rerum obscuritate non esse deterritum à scribendo & plus valuisse apud se amorem Musarum, & studium laudis, quam rei difficultatem, p. 26,
Infinitum esse in omneis partes spatium, atque infinita in eo semper moveri corpora, p. 27. *& sequent.*
Non esse medium totius, in quod nitantur omnia ut quidam crediderunt. p. 29, 30.

LIBRI SECUNDI.

PRoœmium quo sapientiam laudat. p. 32.
Conclusio proœmii, nihil prodesse bona fortunæ nisi pectus sit omni metu & religione vacuum & purgatum, p. 33.
Prima corpora vario atque assiduo motu res & gignere & genitas resolvere, p. 33. *& sequent.*
Primorum corporum motus demonstratur ex similitudine earum quæ in solis radiis agitantur. p. 35.
Prima corpora maxima celeritate moveri. p. 36.
Mundum non esse à Deo creatum, ut putant Stoici, & veteres Academici, p. eadi
Omnia corpora sua natura deorsum ferri, neque ullam rem corpoream sua vi posse sursum meare. p. 37.
Prima corpora cùm per inane deorsum rectà ferantur omnia, decedere tamen & declinare aliquantulum, p. 38.
Nisi prima corpora aliquantulum declinarent non esset libera hominum voluntas, sed omnia necessitate & fato fierent, quod falsum est. p. 39.

Interesse

Interesse utrum moveamur sponte, an inviti. p. 39.
Quo in motu sint prima corpora, in eodem semper & fuisse & futura esse, p. 40.
Mirum non esse, cum semper moveantur prima corpora, non videri tamen eorum motum. p. 40,
Dissimiles esse primorum corporum figuras, p. 41, 42.
Ex dissimilitudine figurarum, quæ ineſt in corporibus primis, nasci dissimilitudines rerum genitarum & concreatarum, 42, 43, 44.
Ut dissimileis ita finitas esse primorum corporum figuras, 45.
Infinita esse inter se similia cujusque figuræ corpora, 46.
Infinita esse corpora prima ex quibus singulæ res gignuntur, p. ead.
Motus exitialeis & vitaleis æquo inter se prælio decertare. p. 47.
Nullam rem esse, quæ ex uno genere principiorum consſtet, sed omnes consſtare ex dissimilibus & permistis, p. 47, 48.
Terram, magnam esse Deorum & hominũ matrem, & sublimem in curru vehi, & à quibus animalibus currus ejus trahatur, & quos habeat comites, p. 48, 49.
Quamobrem magnam matrem armati comitentur, 49.
Terram sensu carere, multarum in ea rerum esse primordia, ut in aqua & in aliis rebus, p. 49, 50.
Non posse omnia principia omnibus connecti, sed dissidere inter se quædam, neque unquam cohærere posse, nè vulgo fiant portenta, p. 51.
Prima corpora omnis coloris esse expertia, p. 51, 52.
Quamvis prima corpora non sint colorata res genitas tamen esse coloratas ex formarum varietate quæ ineſt in principiis, p. 52, 53.
Argumenta quibus probat principia rerum coloris esse expertia, p. 53, 54.
Cæteris qualitatibus omnibus quæ sub sensum cadunt, carere prima corpora, p. 54, 55.
Ex insensibilibus principiis gigni sensilia omnia posse, p. 55, 56.
Quamvis animantem grandior ictus, quam patitur natura

natura, repente affligit, p. 57.
Prima corpora neque dolore, neque voluptate affici, & ita carere sensu, p. 58.
Æthera esse patrem omnium & terram matrem, p. 59.
Referre, eadem primordia seu corpora prima cum quibus conjungantur, & quali positura cum aliis contineantur, p. ead.
Mundum hunc, & similes alios innumerabiles in infinito spatio, non à Diis, sed fortuito primorum corporum concursu genitos, & interituros esse, atque adeo jam senem esse hunc mundum. p. 60, 61.
Deos non regere hunc mundum, p. 61.
Homines non esse à cœlo dilapsos, neque ex mari sed ex terra natos, p. 62, 63.

LIBRI TERTII.

PRoœmium, *quod continet laudem Epicuri,* p. 64.
Animi naturam esse cognoscendam, & metum inferorum depellendum ex animis, ut tranquillitas adsit. 65.
Homines mortem & inferos maxime horrere, quamvis id negent, p. 65, 66.
Animum certam esse hominis partem. p. ead.
Animum non esse harmonicum, p. 67.
Animum atque Animam unam ex se naturam conficere, sed animi esse dominatum, & animi sedem esse mediam pectoris regionem, p. 68.
Animum atque animam corporea natura constare, p. 69.
Animum è minutissimis corporibus constare & esse mobilissimum, p. 69, 70.
Animi naturam simplicem non esse, sed à quatuor constare naturis, vento, calore, aere, & quarta natura nominis experte, p. 70.
Quo pacto dissimiles quatuor animi naturæ simul mixtæ unam ex se naturam creent, p. 71, 72

Animi vitia radicitus evelli doctrina & ratione non posse, minui tamen & levari posse, p. 72, 73.
Corpus atque animum ita conjuncta esse, ut neque esse, neque sentire quidquam unum absque altero possit, p. 73.
Errare illos qui animo sensus attribuunt & corpus sentire negant, p. 73.
Falsum esse, oculos nihil cernere, sed animum per oculos, quasi per fores aut fenestras apertas, p. 74.
Errare Democritum, qui ita corpus animo nectat, ut singula quæque animi primordia singulis quibusque corporis primordiis apponat, p. ead.
Magis ab animo vitam esse, quam ab anima, p. 75.
Et nativos & mortales esse animos, p. ead.
Animum gigni, & senescere, pariter cum corpore. p. 76.
Hominis ebrii facti, & vino obruti membra gravari, crura præpediri, p. 77.
Animum & suis ipsius morbis affici & corporis morborum esse participem, p. ead.
Animum sanari certis remediis, & flecti medicina, interire igitur, p. 78.
Ut manus separata à corpore humano non sentit nec ulla alia corporis humani pars, sic nec animum à corpore separatum sentire, p. 79.
Corpus non posse ferre animæ discidium, quin id putrefiat & animam sæpe, dum vivit homo, labefactari, p. 79, 80.
Multa alia argumenta contra animæ immortalitatem, p. 80. & sequent.
Sensum vitalem in toto corpore inesse, p. 81.
Enumeratio rerum aliquot, quæ efficiant, ut aliquid possit esse æternum, p. 85.
Animi naturam non esse solido corpore, p. ead.
Mortem neque quicquam ad nos pertinere, neque timendam esse, p. 86, 87, 88.
Quæ horreant homines post mortem, p. 88.
Occupatio objectionis ab enumeratione commodorum & voluptatum, quibus mortui carent, p. 88, 89.
Solutio objectionis, p. 89.

Profe-

INDEX

Prosopopæia naturæ ad homines nimium vitæ cupidos & nimis mortem horrentes, p. 89, 90.
Nullas esse apud inferos pœnas, nullos cruciatus, sed homines vitiosos dum vivunt, assidue cruciari. p. 90, 91, 92.
Consolatio Mortis. p. 92, 93.
Homines ignorare causam sui morbi sueque ægritudinis, quia naturam rerum ignorant, p. 93, 94.

LIBRI QUARTI.

PRoœmium, p. 95.
Simulacra quædam, seu imagines ab rebus mitti, p. 96.
Argumenta quibus ostendit, ex rebus omnibus perpetuò fluere imagines, p. 96, 97.
Tenuissima natura constare imagines, p. 98.
Præter imagines eas, quæ è rebus fluunt, esse alias, quæ sponte sua in aere gignuntur, p. ead.
Facilime & celerrimè gigni imagines, p. 99.
Celerrime moveri imagines, p. 100.
Argumenta, quibus celerrimum esse imaginum motum probat, p. 100, 101.
Visus causam, esse in imaginibus & cùm rem aliquam cernimus, quantum ea res absit, nos videri per imagines, p. 101, 102.
Cur cum singula quæque simulacra cernere non possint ipsæ tamen res cernantur, p. 102.
Cur quæ in speculo videntur imagines, ultra speculum esse videantur, p. ead.
Cur in speculis ea, quæ dextera sunt, læva videantur, & cur de speculo in speculum tradatur imago, ita ut quinque ac sex imagines reddantur. p. 103.
Cur in inflexis speculis dextra videantur simulacra, p. ead.
Cur imagines nobiscum engredi videant, p. 103, 104.
Cur splendida oculos lædant, p. 104.
Cur quæ intuentur arquati, fiant lurida, p. ead.

Cur

INDEX

Cur è tenebris videamus ea quæ in luce sunt neque contra fiat, p. ead.
Cur turres quadratæ, rotundæ procul intuentibus videantur, p. ead.
Cur umbræ nobiscum in sole moveri videantur. p. 105.
Oculos in talibus rebus non falli, sed animum, p. ead.
Cur navis in qua vehimur, stare videatur, & multa alia similia, quæ aliter nobis videntur; quam re vera sunt, ut sidera quiescere cum moveantur, duo montes conjuncti qui longe inter se disjuncti sunt, atria pueris circumagi, p. 105, 106.
Navigia & aplustra, maris ignaris videri clauda, remorum partem eam, quæ in mari est, videri inflexam, multaque alia, quæ sensibus fidem quasi detrahere conantur, p. 107.
Nunquam decipi sensus in iis, quæ illis subjecta sunt, sed errorem omnem nasci ab animi opinione: & quod sensibus videatur id verum esse, neque sensus refelli posse. p. ead.
Longa disputatio contra novos Academicos & eos qui nihil sciri posse, & sensus fallaces esse dicunt, 108.
De Auditu & voce, 109.
Vocem esse corpoream, p. ead.
Unde fiat vocis asperitas & lævor, 110.
Qui fiat ut verba & vocem articulatam intelligamus aut non intelligamus, p. ead.
Vocem unam in multas voces dividi, & ad multorum hominum aures differri, p. ead.
Qua ratione fiat Echo, seu vocis imago, p. 110, 111.
Cur per quæ loca ad oculos simulacra venire non possunt. per ea voces transmeent, p. 111.
De gustatu, sapore & succo, p. 112.
Cur idem cibus aliis amarus, aliis dulcis: res eadem aliis cibus, aliis venenum, p. 112, 113.
Cur febri laborantibus, quæ prius jucunda erant amara & insuavia fiant, p. 213.
De olfactu & odore, & cur alius aliis aptior animantibus odor sit, p. ead.

In

In affectalibus etiam, & coloribus hoc esse, ut alia injucunda, alia jucunda sint visu, p. 114.
Animum tenuissimis & celerrimis moveri simulacris, p. 114, 115.
Quemadmodum accursu imaginum res cernimus ita earundem adventu & affluxu nos res cogitari p. 115.
Non esse mirum simulacra moveri, & brachia in numerum jactare, p. 116.
Cur quodcunque voluerimus, statim cogitemus, p. ead.
Quamobrem nobis videantur interdum simulacra in numerum procedere, & mollia membra mobiliter movere, p. ead.
Fieri interdum, ut quæ modo in somnis fœmina visa sit, statim vir factus videatur, p. 117.
Animantibus sensus & membra non esse ad usum data, sed datis sensibus & membris eorum usum repertum, p. ead.
Quæ famis & sitis causæ, p. 118.
Cur cum volumus, moveri & passus proferre possimus, p. 119.
Quo pacto & unde nascatur somnus, p. 119, 120.
Somnus post cibum altissimus & suavissimus, p. 121.
De somniis. p. 121. 122.
De seminis profusione nocturna, p. 123.
Unde cupiditas rerum Venerearum, & amor, & quomodo vitari possit, p. 123.
Fugiendum esse amorem, nec eum carere Veneris fructu, qui vitat amorem, p. 123, 124.
Amoris & libidinis mala atq; incommoda, 124, 125, 126.
Vigilandum esse ante & præcavendum, ne amoris laqueis capiamur, p. 126.
Etiam eum, qui sit amore implicitus, posse eum effugere, p. 126.
Amantes cæcos esse in vitiis amicarum suarum, eaq; extenuare, atque ideo virtutũ nominibus appellare, ideo fieri, ut se amoris laqueis expediri non possent, 126, 127.
Fœminam interdum etiam amore capi, atq; implicari, neq; semper amorem simulare & communem esse nonnunquam utriusque in re Venerea voluptatem, p. 127.

Qui

Quid fiat, ut liberi sunt patri non matri similes & contra, & qui & utrique, p. 127, 128.
Cur avorum etiam & proavorum nonnunqnam similes nascantur, p. 128.
De causis sterilitatis ac fœcunditatis, p. 128, 129.
Referre quo cibo mas & fœmina alantur ad seminis naturam, p. 129.
Referre etiam quomodo tractetur voluptas ad procreationem liberorum, & ad gravidationem & conceptionem mulierum, p. ead.
Non fieri divinitus, ut mulier deformis ametur, p. ead.
Amorem concinnari à consuetudine, 130.

LIBRI QUINTI.

PRoœmium quod continet laudationem ejus qui primus vitæ rationem invenit, quæ nunc appellatur sapientia, p. 131, 132.
Nisi purgatum sit pectus, quæ & quanta mala sint subeunda, p. 132.
Numero Deorum esse habendum eum, qui animorum pestes sustulerit, pectoraque purgarit, p. ead.
Propositio eorũ, quæ sit hoc libro tractaturus, p. ea. & 133.
Terram, mare, cœlum, solem, & cæteras mundi partes, mundum denique esse mortalem, p. 133.
Solem, Lunam, & cætera, non esse immortalia neque in Deorum numero habenda, p. 134.
Mundi partes non posse Deorum sedes esse, p. 135.
Mundum non esse à Diis hominũ causa constitutum, p. ead.
Argumenta quibus probat mundum non esse à Diis hominum causa constitutum, p. 136.
Puerum, infantem, nascentem ex alvo matris dudum projici, ut nautam è fluctibus ejectum & naufragum, & vitam à vagitu incipere, p. 137.
Partes mundi nasci & interire, ergo & mundum natum & interiturum, p. 137.

Ar-

Argumenta quibus probat mundi partes gigni, & interire, à terra, aqua, aere, sole &c. p. 138.
Aera in singulas horas mutari: & quicquid de rebus fluit recidere in aera & rursus ab aere retribui, p. ea.
Solis lumen nunquã esse idẽ, sed semper aliud. p. 138, 139.
Lucernarum & tædarum nova semper esse lumina, p. 139.
Lapides, turres, templa Deorum, &c. vetustate consumi, p. ead.
Mundi naturam esse recentem, p. 140.
Ex pugnis, quibus inter se confligunt membra mundi, eorum interitum portendi, p. 141, 142.
Quomodo Elementa omnia & sidera ex primis corporibus, primum genita sint, p. 142.
Terram, primam ex corpusculorum fortuito concursu esse creatam, deinde æthera, deinde solem & lunam, & mare, & aera, p. 143, 144.
Quomodo, & qua vi cœlum & astra moveantur, si moventur, p. 145.
Qua ratione in media mundi parte possit terra consistere, & quiescere, neque defidat inferius, p. ead.
Solem, lunam, & cæteras stellas ea esse magnitudine qua nobis videntur, p. 146, 147.
Qua ratione cum Sol sit tantulus, tantum tamen mittere lumen possit, p. 147.
Cur luna annuos solis cursus menstruis peragat spatiis, & qua ratione sol nunc ad nos accedere, nunc à nobis recedere possit, p. 147, 148.
Qua ratione nox fiat, qua item oriatur lux, p. 148, 149.
Cur alternis nunc breviores, nunc longiores sint aut dies aut noctes, p. 149.
Cur augescat lunæ lumen & decrescat, variamque speciem nobis præbeat, p. 150.
Ordine certo multa fieri, p. 151.
De Solis & Lunæ effectibus, p. 151.
Brevis & pulchra anacephalæosis, sive summa rerum explicatarum collectio, p. 152.
Mundo novo, herbas, arbores, animalia rationis expertia & ratione prædita extitisse, p. ead.

Ani-

Animalia non cecidisse de cælo, neque è mari nata, sed ex terra, ideoque eam meritò maternum nomen esse adeptam, p. ead.

Mundo novo aveis primum esse natas, deinde homines & cætera animalia, & tum nec frigora fuisse nimia, nec immoderatos calores, nec nimis acres ventos. p. 152, 153.

Terram ut mulierem ætate confectam, finem pariendi esse facturam, p. 153.

Multa ex nova terra creata esse monstra, quæ augescere non potuerint, multaque animantium genera interiisse, p. 153, 154.

Centauros, Scyllas, Chimeras, cæteràque id genus monstra ex diversis generibus animalium compacta, neque fuisse unquam, neque esse posse, p. 155.

Primorum illorum hominum vitam asperrimam primo, atque omnium rerum ignaram fuisse, paullatim deinde molliorem & usu peritiorem evasisse, p. 156, 157.

Primos homines viribus admodum valuisse, & nudos humi ferarum ritu jacuisse: feras eorum quietem sæpe infestam habuisse, eosque vivos devorasse, interdum mutilasse, nec multo plus tamen immatura morte periisse, quam qui nunc vivunt, navigationem illis incognitam fuisse, p. 157, 158.

Casas tandem & pelleis parasse, & jura casti matrimonii colere instituisse, & cum finitimis amicitiam sanciviss, p. 158, 159.

Sermonem ab hominibus naturam ipsam & utilitatem expressisse, neque credendum esse, unum aliquem rebus nomina imposuisse, atque ea mox alios docuisse quod existimavit Plato, p. 159.

Argumenta quibus probat homines inter se varias res variis nominibus notare potuisse, 159, 160.

Ignis origo atque ejus usus, p. 160, 161.

Conditis urbibus, & divisis rebus pro cujusq; facie, viribus, ingenio, sub regibus primum homines fuisse, mox sese legum vinculis obstrinxisse, p. 161.

Divitias grandeis homini esse, vivere parcè æquo animo p. ead.

Magi-

Magistratuum & legum origo, p. 162.
Quæ causa primum Deorum opinionem in animis hominum inseverit, p. 162, 163.
Exclamatio querebunda in eos qui primi providentia Deorum mundum administrari statuerunt, p. 163.
Quis verus Deorum cultus, p. ead.
Qui terrores nascantur ex eo, quod homines providentia Deorum hunc mundum administrari putent, p. 164.
Aurum, argentum, æs, plumbum, ferrum, atque eorum usus quomodo primum reperta, multaque alia ad belli usum paullatim inventa, reliquas omneis & res & artes ad summum gradatim & paullatim pervenisse, p. 164, 165.
De ferri inventione & primorum armorum usu, p. 165, 166.
De antiqua bella gerendi & certaminum ratione, p. 166, 167.
Nexilem ante vestem fuisse quam textilem, p. 167.
Lanam feciſſe viros ante mulieres, p. ead.
Sationis & insitionis originem à natura profectam esse, p. 168.
Origo carminum & musicæ, p. 168, 169.
Cupiditatem infinitam, & ignorationem veræ voluptatis causam esse miseriarum humanarum, p. 170.
Urbeis & arceis condere, navigare, res gestas litteris & memoria prodere, quando ceperint primi homines, p. ead.

LIBRI SEXTI.

Proœmium quod constat laude Athenarum & Epicuri, p. 171.
Brevis Anacephalæosis eorum, quæ proximè explicata sunt, p. 172.
Quæ mala nascantur ab ignoratione causarum, p. 172.

Deos

Deos ſecurum agere ævum, p. ead.
Malè ſentire de Diis qui eos iraſci putant & vitam ſuam ſollicitam reddere atque anxiam atquetranquillitatis expertem, p. 173.
De tonitru, p. 173, 174.
De fulgure, p. 175.
Cur tonitrûs ſonitum poſterius audiamus, quam fulgur videamus, p. ead.
Denſis nubibus & alte extructis fulgur fieri, p. 176.
Nubeis permulta ignis ſemina habere, p. ead.
De fulminis natura & ejus mobilitate & viribus, p. 177.
De vi & potentia fulminis, p. 177, 178.
Fulmina è nubibus denſis & alte extructis gigni, p. 178.
Quomodo gignatur fulmen in nubibus & ex iis erumpat. p. 178, 179.
De cauſa mobilitatis fulminis. p. 180.
Cur auctumno & vere plura, quam alias tonitrua fiant & fulmina cadant, p. 180, 181.
Rationibus perquirendam fulminum naturam non arte haruſpicum, nec Diis adſcribendam, p. 181.
Preſteres qua ex cauſa fiant, p. 182.
De turbine & vortice, p. 183.
De nubibus & nebulis, p. 183, 184.
De imbribus & pluviis, p. 184.
Quomodo diuturnæ aliquando ſint pluviæ, p. 185.
De arcu cœleſti, nivibus, ventis, grandine, pruinis, p. ead.
De terræ motibus. p. 185, 186.
Alia cauſa terræ motus, p. 186.
Cur tot aquis in mare influentibus, mare majus non fiat, p. 187.
De Ætnæ ignibus, p. 188, 189.
Multas res eſſe, quarum non ſatis eſt cauſam afferre, ſed plures ſunt afferendæ, quarum una aliqua ſit, p. 190.
De Nili incremento, p. ead.
De avernis, aliiſque quibuſdam locis, quæ avibus & quadrupedibus ſunt inimica, p. 191, 192, 193.
Procataſceve. p. 192.

Cur

INDEX.

Cur aqua in puteis æstate sit frigidior, p. 193, 194.
Cur fons qui apud Hammonis fanum est luce frigidus sit, nocte calidus, p. 194.
Cur admota stupa aut tæda, fonti cuidam frigido, accendatur. p. 195.
Fons aquæ dulcis in mari, p. ead.
Cur à magnete ferrum trahatur, p. ead.
Præmonitio & attentionis renovatio, p. 196.
Procatasceve, per quam multa antea demonstrata repetit, quibus viam sibi munit ad naturam magnetis explicandam, p. 196, 197.
Non omnia corpora quæ ab rebus mittuntur esse omnibus rebus apta neque similiter res omneis efficere, p. 197.
Varia & diversa esse animalium & rerum foramina, dissimileisque meatus & vias, aliaque succos transire, alia sonitus, alia voces, p. 197, 198.
Nunc ratio explicatur, propter quam magnes ferrum attrahat, p. 198, 199, 200.
Unde creetur morbus pestifer & pestilentia, p. 200, 201.
Athenienſium pestilentiæ, quæ coorta est bello Peloponnesiaco, descriptio. 201. & *sequent.*

T. LUCRETII CARI
DE
RERUM NATURA.

LIBER PRIMUS.

ÆNeadum genetrix, hominum divumque voluptas,
Alma Venus, cœli subter labentia signa
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferenteis
Concelebras: per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis:
Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli,
Adventumque tuum: tibi suaveis dædala tellus
Summittit flores, tibi rident æquora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine cœlum.
Nam simul ac species patefacta 'st verna diei,
Et reserata viget genitabilis aura Favoni:
Aeriæ primum volucres te, diva, tuumque
Significant initum percussæ corda tua vi.
Inde feræ pecudes persultant pabula læta,
Et rapidos tranant amneis: ita capta lepore,
Illecebrisque tuis omnis natura animantum

Te ſequitur cupide, quo quamque inducere pergis.
Denique per maria, ac monteis, fluvioſque rapaceis,
Frondiferaſque domos avium, campoſque virenteis,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim ſæcla propagent.
Quæ quoniam rerum naturam ſola gubernas,
Nec ſine te quicquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum, neq; amabile quicquam:
Te ſociam ſtudeo ſcribundis verſibus eſſe,
Quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadæ noſtro: quem tu, dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluiſti excellere rebus.
Quo magis æternum da dictis, diva, leporem:
Effice ut interea fera mœnera militiai
Per maria ac terras omneis ſopita quieſcant.
Nam tu ſola potes tranquilla pace juvare
Mortaleis: quoniam belli fera mœnera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui ſæpe tuum ſe
Rejicit, æterno devinctus volnere amoris:
Atque ita ſuſpiciens tereti cervice repoſta
Paſcit amore avidos inhians in te, dea, viſus:
E que tuo pendet reſupini ſpiritus ore.
Hunc tu, diva, tuo recubantem corpore ſancto
Circumfuſa ſuper, ſuaveis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis incluta pacem.
Nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
Poſſumus æquo animo: neque Memmi clara propago
Talibus in rebus communi de'ſſe ſaluti.
Quod ſupereſt, vacuas aureis mihi Memmiada, & te
Semotum à curis adhibe veram ad rationem,
Ne mea dona tibi ſtudio diſpoſta fideli,
Intellecta prius quam ſint, contempta relinquas.
Nam tibi de ſumma cœli ratione, Deumque,
Diſſerere incipiam & rerum primordia pandam,
Unde omneis natura creet res, auctet, alatque:
Quove eadem rurſum natura perempta reſolvat:
Quæ nos materiem, & genitalia corpora rebus

Reddunda

Reddunda in ratione vocare, & semina rerum
Appellare suemus, & hæc eadem usurpare
Corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.
Omnis enim per se divum natura necesse 'st
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.
Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub relligione:
Quæ caput à cœli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans:
Primum Graius homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra:
Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit cœlum, sed eo magis acrem
Virtutem inritat animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, & extra
Processit longe flammantia mœnia mundi:
Atque omne immensum peragravit mente animoque:
Unde refert nobis victor quid possit oriri,
Quid nequeat: finita potestas denique cuique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hæreat.
Quare relligio pedibus subjecta vicissim Virg. G. l. 2. 492
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.
Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
Impia te rationis inire elementa, viamque
Endogredi sceleris; quod contra sæpius olim
Relligio peperit scelerosa atque impia facta:
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine fœde
Ductores Danaum delecti, prima virorum.
Cui simul infula virgineos circumdata comptus
Ex utraque pari malarum parte profusa 'st,
Et mœstum simul ante aras adstare parentem

Senſit, & hunc propter ferrum celare miniſtros,
Aſpectuque ſuo lacrymas effundere civeis:
Muta metu terram genibus ſummiſſa petebat:
Nec miſeræ prodeſſe in tali tempore quibat,
Quod patrio princeps donarat nomine regem.
Nam ſublata virum manibus tremebundaque ad aras
Deducta 'ſt, non ut, ſolenni more ſacrorum
Perfecto, poſſet claro comitari Hymenæo:
Sed caſta inceſte nubendi tempore in ipſo
Hoſtia concideret mactatu mœſta parentis,
Exitus ut claſſi felix fauſtuſque daretur.
Tantum relligio potuit ſuadere malorum.
Tutemet à nobis jam quovis tempore, vatum
Terriloquis victus dictis deſciſcere quæres.
Quippe etenim quam multa tibi jam fingere poſſum
Somnia, quæ vitæ rationes vertere poſſint,
Fortunaſque tuas omneis turbare timore?
Et merito: nam ſi certam finem eſſe viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque minis obſiſtere vatum.
Nunc ratio nulla 'ſt, reſtandi nulla facultas.
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim quæ ſit natura animai,
Nata ſit, an contra naſcentibus inſinuetur,
Et ſimul intereat nobiſcum morte dirempta,
An tenebras Orci viſat, vaſtaſque lacunas,
An pecudes alias divinitus inſinuet ſe,
Ennius ut noſter cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentеis Italas hominum quæ clara clueret.
Etſi præterea tamen eſſe Acheruſia templa
Ennius æternis exponit verſibus, edens:
Quo neque permanent animæ, neque corpora noſtra:
Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris:
Unde ſibi exortam ſemper florentis Homeri
Commemorat ſpeciem, lacrymas & fundere ſalſas
Cœpiſſe, & rerum naturam expandere dictis.

Qua-

Quapropter bene cum ſuperis de rebus habenda
Nobis eſt ratio; ſolis lunæque meatus
Qua fiant ratione, & qua vi quæque genantur
In terris: tum cum primis ratione ſagaci
Unde animâ, atque animi conſtet natura videndum:
Et quæ res nobis vigilantibus obvia mentes
Terrificet morbo affectis, ſomnoque ſepultis,
Cernere uti videamur eos, audireque coram,
Morte obita quorum tellus amplectitur oſſa.
Nec me animi fallit, Graiorum obſcura reperta
Difficile inluſtrare Latinis verſibus eſſe:
Multa novis verbis præſertim cum ſit agendum,
Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem.
Sed tua me virtus tamen, & ſperata voluptas
Suavis amicitiæ, quemvis perferre laborem
Suadet, & inducit noctes vigilare ſerenas,
Quærentem dictis quibus & quo carmine demum
Clara tuæ poſſim præpandere lumina menti,
Res quibus occultas penitus conviſere poſſis.
Hunc igitur terrorem animi, tenebraſq; neceſſe eſt
Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies ratioque:
Principium hinc cujus nobis exordia ſumet:
Nullam rem è nihilo gigni divinitus unquam.
Quippe ita formido mortaleis continet omneis,
Quod multa in terris fieri, cœloque tuentur,
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri divino numine rentur.
Quas ob res, ubi viderimus, nil poſſe creari
De nihilo, tum, quod ſequitur, jam rectius inde
Perſpiciemus, & unde queat res quæque creari,
Et quo quæque modo fiant opera ſine divum.
Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus naſci poſſet: nil ſemine egeret.
E mare primum homines, è terra poſſet oriri
Squammigerum genus, & volucres: erumpere cœlo
Armenta, atque aliæ pecudes: genus omne ferarum

Incerto partu culta ac deserta teneret:
Nec fructus iidem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia possent.
Quippe, ubi non essent genitalia corpora cuique,
Qui posset mater rebus consistere certa?
At nunc seminibus quia certis quidque creatur,
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies ubi inest cujusque & corpora prima.
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni.
Quod certis in rebus inest secreta facultas.
Præterea, cur vere rosam, frumenta calore,
Viteis autumno fundi sudante videmus:
Si non, certa suo quia tempore semina rerum
Cum confluxerunt, patefit quodcunque creatur,
Dum tempestates adsunt, & vivida tellus
Tuto res teneras effert in luminis oras?
Quod si de nihilo fierent, subito exorerentur
Incerto spatio, atque alienis partibus anni:
Quippe ubi nulla forent primordia, quæ genitali
Concilio possent arceri tempore iniquo.
Nec porro augendis rebus spatio foret usus
Seminis ad coitum, è nihilo si crescere possent.
Nam fierent juvenes subito ex infantibu' parvis:
E terraque exorta repente arbusta salirent.
Quorum nil fieri manifestum 'st, omnia quando
Paullatim crescunt (ut par est) semine certo:
Crescendoque genus servant; ut noscere possis
Quæque sua de materia grandescere, alique.
Huc accedit uti sine certis imbribus anni
Lætificos nequeat fœtus summittere tellus:
Nec porro secreta cibo natura animantum
Propagare genus possit, vitamque tueri:
Ut potius multis communia corpora rebus
Multa putes esse, ut verbis elementa videmus,
Quam sine principiis ullam rem existere posse.
Denique cur homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus qui pontum per vada possent

Transire

Transire, & magnos manibus divellere monteis,
Multaque vivendo vitalia vincere sæcla:
Si non materies quia rebus reddita certa 'st
Gignundis, è qua constat quid possit oriri?
Nil igitur fieri de nilo posse fatendum 'st:
Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ
Aeris in teneras possint proferrier auras.
Postremo quoniam incultis præstare videmus
Culta loca, & manibus meliores reddere fœtus:
Esse videlicet in terris primordia rerum,
Quæ nos, fœcundas vertentes vomere glebas,
Terraique solum subigentes, cimus ad ortus.
Quod si nulla forent, nostro sine quæque labore
Sponte sua multo fieri meliora videres.
Huc accedit, uti quicque in sua corpora rursum
Dissolvat natura, neque ad nihilum interimat res.
Nam, si quid mortale è cunctis partibus esset,
Ex oculis res quæque repente erepta periret;
Nulla vi foret usus enim, quæ partibus ejus
Discidium parere, & nexus exsolvere posset.
At nunc, æterno quia constant semine quæque,
Donec vis obiit, quæ res diverberet ictu,
Aut intus penetret per inania, dissolvatque,
Nullius exitium patitur natura videri.
Præterea, quæcunque vetustate amovet ætas,
Si penitus perimit consumens materiem omnem,
Unde animale genus generatim in lumina vitæ
Reducit Venus? aut reductum dædala tellus
Unde alit, atque auget, generatim pabula præbens?
Unde mare, ingenui fontes, externaque longe
Flumina suppeditant? unde æther sidera pascit?
Omnia enim debet, mortali corpore quæ sunt,
Infinita ætas consumse anteacta diesque.
Quod si in eo spatio, atque anteacta ætate fuere,
E quibus hæc rerum consistit summa refecta:
Immortali sunt natura prædita certe.
Haud igitur possunt ad nilum quæque reverti.

Denique res omneis eadem vis cauſaque volgo
Conficeret, niſi materies æterna teneret
Inter ſe nexas minus aut magis endopedite.
Tactus enim lethi ſatis eſſet cauſa profecto:
Quippe, ubi nulla forent æterno corpore, eorum
Contextum vis deberet diſſolvere quæque.
At nunc, inter ſe quia nexus principiorum
Diſſimiles conſtant, æternaque materies eſt,
Incolumi remanent res corpore, dum ſatis acris
Vis obeat pro textura cujuſque reperta.
Haud igitur redit ad nihilum res ulla, ſed omnes
Diſcidio redeunt in corpore materiai.
Poſtremo pereunt imbres, ubi eos pater æther
In gremium matris terrai præcipitavit.
At nitidæ ſurgunt fruges, ramique vireſcunt
Arboribus, creſcunt ipſæ, fœtuque gravantur.
Hinc alitur porro noſtrum genus, atque ferarum:
Hinc lætas urbeis pueris florere videmus,
Frondiferaſque novis avibus canere undique ſylvas.
Hinc feſſæ pecudes pingues per pabula læta
Corpora deponunt, & candens lacteus humor
Uberibus manat diſtentis: hinc nova proles
Artubus infirmis teneras laſciva per herbas
Ludit, lacte mero menteis percuſſa novellas.
Haud igitur penitus pereunt quemcunque videntur:
Quando alid ex alio reficit natura, nec ullam
Rem gigni patitur, niſi morte adjutam aliena.
Nunc age, res quoniam docui non poſſe creari
De nihilo, neque item genitas ad nil revocari,
Ne qua forte tamen cœptes diffidere dictis,
Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni;
Accipe præterea, quæ corpora tute neceſſe 'ſt
Confiteare eſſe in rebus, nec poſſe videri.
Principio, venti vis verberat incita pontum,
Ingenteiſque ruit naveis & nubila differt:
Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis ſternit, monteiſque ſupremos

Silvi-

Silvifragis vexat flabris : ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus.
Sunt igitur venti nimirum corpora cæca,
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.
Nec ratione fluunt alia, stragemque propagant,
Ac cum mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decursus aquai,
Fragmina conjiciens sylvarum, arbustaque tota :
Nec validi possunt pontes venientis aquai
Vim subitam tolerare : ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis,
Dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis
Grandia saxa, ruit qua quidquid fluctibus obstat.
Sic igitur debent venti quoque flamina ferri :
Quæ, veluti validum flumen cum procubuere
Quamliber in partem trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris : interdum vertice torto
Corripiunt, rapidoque rotantia turbine portant.
Quare etiam atque etiam sunt venti corpora cæca :
Quandoquidem factis ac moribus, æmula magnis
Amnibus inveniuntur, aperto corpore qui sunt.
Tum porro varios rerum sentimus odores :
Nec tamen ad nareis venienteis cernimus unquam :
Nec calidos æstus tuimur, nec frigora quimus
Usurpare oculis, nec voces cernere suemus :
Quæ tamen omnia corporea constare necesse 'st
Natura : quoniam sensus impellere possunt.
Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.
Denique fluctifrago suspensæ in littore vestes
Uvescunt, eædem dispansæ in sole serescunt.
At neque quo pacto perfederit humor aquai
Visu 'st, nec rursum quo pacto fugerit æstu ;
In parvas igitur parteis dispergitur humor,
Quas oculi nulla possunt ratione videre.
Quin etiam multis solis redeuntibus annis

Annu-

Annulus in digito ſubtertenuatur habendo:
Stillicidi caſus lapidem cavat: uncus aratri
Ferreus occulte decreſcit vomer in arvis:
Strataque jam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conſpicimus: tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.
Hæc igitur minui, cum ſint detrita, videmus,
Sed quæ corpora decedant in tempore quoque,
Invida præcluſit ſpeciem natura videndi.
Poſtremo, quæcunque dies naturaque rebus
Paullatim tribuit moderatim creſcere cogens,
Nulla poteſt oculorum acies contenta tueri:
Nec porro quæcunque ævo, macieque ſeneſcunt:
Nec mare quæ impendent veſco ſale ſaxa pereſa,
Quid quoque amittant in tempore, cernere poſſis.
Corporibus cæcis igitur natura gerit res.
Nec tamen undique corporea ſtipata tenentur
Omnia natura, namque eſt in rebus Inane.
Quod tibi cognoſſe in multis erit utile rebus:
Nec ſinet errantem dubitare, & quærere ſemper
De ſumma rerum, & noſtris diffidere dictis;
Quapropter locus eſt intactus Inane, vacanſque.
Quod ſi non eſſet, nulla ratione moveri
Res poſſent. namque, officium quod corporis extat,
Officere, atque obſtare, id in omni tempore adeſſet
Omnibus. haud igitur quidquam procedere poſſet,
Principium quoniam cedendi nulla daret res;
At nunc per maria, ac terras, ſublimaque cœli,
Multa modis multis varia ratione moveri
Cernimus ante oculos: quæ, ſi non eſſet Inane,
Non tam ſollicito motu privata carerent,
Quam genita omnino nulla ratione fuiſſent:
Undique materies quoniam ſtipata quieſſet.
Præterea quamvis ſolidæ res eſſe putentur,
Hinc tamen eſſe licet raro cum corpore cernas:
In ſaxis, ac ſpeluncis permanat aquarum

Liqui-

Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis:
Diffupat in corpus ſeſe cibus omne animantum:
Creſcunt arbuſta, & fœtus in tempore fundunt:
Quod cibus in totas uſque ab radicibus imis
Per truncos, ac per ramos diffunditur omneis:
Inter ſepta meant voces, & clauſa domorum
Tranſvolitant: rigidum permanat frigus ad oſſa.
Quod, niſi Inania ſint, qua poſſent corpora quæque
Tranſire, haud ulla fieri ratione videres.
Denique cur alias aliis præſtare videmus
Pondere res rebus, nihilo majore figura?
Nam, ſi tantundem 'ſt in lanæ glomere quantum
Corporis in plumbo 'ſt, tantundem pendere par eſt;
Corporis officiũ eſt quoniam premere omnia deorſum:
Contra autem natura manet ſine pondere Inanis;
Ergo quod magnum 'ſt æque, leviuſque videtur,
Nimirum plus eſſe ſibi declarat Inanis:
At contra gravius plus in ſe corporis eſſe
Dedicat, & multo Vacui minus intus habere.
Eſt igitur nimirum id, quod ratione ſagaci
Quærimus, admiſtum rebus quod Inane vocamus.
Illud in his rebus ne te deducere vero
Poſſit, quod quidam fingunt, præcurrere cogor,
Cedere ſquamigeris latices nitentibus aiunt,
Et liquidas aperire vias, quia poſt loca piſces
Linquant, quo poſſint cedentes confluere undæ:
Sic alias quoque res inter ſe poſſe moveri,
Et mutare locum, quamvis ſint omnia plena.
Scilicet id falſa totum ratione receptum 'ſt.
Nam quo ſquamigeri poterunt procedere tandem,
Ni ſpatium dederint latices? concedere porro
Quo poterunt undæ, cum piſces ire nequibunt?
Aut igitur motu privandum 'ſt corpora quæque;
Aut eſſe admiſtum dicendu 'ſt rebus Inane;
Unde initium primum capiat res quæque movendi.
Poſtremo duo de concurſu corpora lata
Si cita diſſiliant, nempe aer omne neceſſe 'ſt

Inter

Inter corpora quod fuvat possidat Inane.
Is porro, quamvis circum celerantibus auris
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Compleri spatium. nam primum quemque necesse 'st
Occupet ille locum, deinde omnia possideantur.
Quod si forte aliquis, cum corpora dissiluere,
Tum putat id fieri, quia se condenseat aer,
Errat: nam vacuum tum fit, quod non fuit ante,
Et repletur item, vacuum quod constitit ante;
Nec tali ratione potest denserier aer:
Nec, si jam posset, sine Inani posset, opinor,
Se ipse in se trahere, & parteis conducere in unum.
Quapropter, quamvis causando multa moreris,
Esse in rebus Inane tamen fateare necesse 'st.
Multaque præterea tibi possum commemorando
Argumenta, fidem dictis, conradere nostris.
Verum animo satis hæc vestigia parva sagaci
Sunt, per quæ possis cognoscere cætera tute.
Namque canes ut montivagæ persæpe ferai
Naribus inveniunt intectas fronde quietes,
Cum semel institerunt vestigia certa viai:
Sic alid ex alio per te tute ipse videre
Talibus in rebus poteris, cæcasque latebras
Insinuare omneis, & verum protrahere inde:
Quod si pigraris, paullumve abscesseris ab re,
Hoc tibi de plano possum promittere, Memmi:
Usque adeo largos haustus de fontibus magnis
Lingua meo suavis diti de pectore fundet,
Ut verear, ne tarda prius per membra senectus
Serpat, & in nobis vitai claustra resolvat,
Quam tibi de quavis una re versibus omnis
Argumentorum sit copia missa per aureis.
Sed nunc jam repetam cœptum pertexere dictis,
Omnis ut est igitur per se natura, duabus
Consistit rebus. nam corpora sunt, & Inane,
Hæc in quo sita sunt, & qua diversa moventur.
Corpus enim per se communis deliquat esse

Sensus:

Senſus: quo niſi prima fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus quo referentes
Confirmare animi quicquam ratione queamus.
Tum porro locus, ac ſpatium quod Inane vocamus,
Si nullum foret, haud uſquam ſita corpora poſſent
Eſſe, neque omnino quaquam diverſa meare:
Id quod jam ſupera tibi paullo oſtendimus ante.
Præterea nihil eſt, quod poſſis dicere ab omni
Corpore ſejunctum, ſecretumque eſſe ab Inani:
Quod quaſi tertia ſit rerum natura reperta.
Nam quodcunque erit, eſſe aliquid debebit id ipſum
Augmine vel grandi; vel parvo denique, dum ſit;
Cui ſi tactus erit quamvis levis, exiguuſque,
Corporum augebit numerum, ſummamque ſequetur;
Sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
Rem prohibere queat per ſe tranſire meantem:
Scilicet hoc id erit Vacuum, quod Inane vocamus.
Præterea per ſe quodcunque erit, aut faciet quid,
Aut aliis fungi debebit agentibus ipſum,
Aut erit ut poſſint in eo res eſſe, gerique:
At facere & fungi ſine corpore nulla poteſt res:
Nec præbere locum porro, niſi Inane Vacanſque.
Ergo præter Inane, & corpora, tertia per ſe
Nulla poteſt rerum in numero natura relinqui,
Nec, quæ ſub ſenſus cadat ullo tempore noſtros,
Nec ratione animi quam quiſquam poſſit apiſci.
Nam quæcunque cluent, aut his conjuncta duabus
Rebus ea invenies, aut horum eventa videbis.
Conjunctu 'ſt id, quod nunquam ſine perniciali
Diſcidio potis eſt ſejungi, ſeque gregari:
Pondus uti ſaxis, calor ignibus, liquor aquai,
Tactus corporibus cunctis, intactus Inani.
Servitium contra, libertas, divitiæque,
Paupertas, bellum, concordia, cætera, quorum
Adventu manet incolumis natura, abituque,
Hæc ſoliti ſumus, ut par eſt, eventa vocare.
Tempus item per ſe non eſt, ſed rebus ab ipſis

Conſe-

Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo,
Tum quæ res instet, quid porro deinde sequatur.
Nec per se quemquam tempus sentire fatendu 'st
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.
Denique Tyndaridem raptam, belloque subactas
Trojugenas genteis cum dicunt esse, videndu 'st,
Ne forte hæc per se, cogant nos, esse fateri :
Quando ea sæcla hominum, quorum hæc eventa fuere,
Inrevocabilis abstulerit jam præterita ætas.
Namque aliud rebus, aliud regionibus ipsis
Eventum dici poterit, quodcunque erit actum.
Denique materies si rerum nulla fuisset,
Nec locus, ac spatium, res in quo quæque geruntur,
Nunquam Tyndaridis formæ conflatus amore
Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens
Clara accendisset sævi certamina belli :
Nec clam durateus Troiai Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Grajugenarum ;
Perspicere ut possis res gestas funditus omneis,
Non ita uti corpus per se constare, nec esse :
Nec ratione cluere eadem, qua constat Inane :
Sed magis ut merito possis eventa vocare
Corporis, atque loci, res in quo quæque gerantur.
Corpora sunt porro partim primordia rerum,
Partim concilio quæ constant principiorum.
Sed quæ sint rerum primordia, nulla potest vis
Stringere : nam solido vincunt ea corpore demum ;
Et si difficile esse videtur credere, quicquam
In rebus solido reperiri corpore posse.
Transit enim fulmen cœli per septa domorum,
Clamor ut, ac voces : ferrum candescit in igne :
Dissiliuntque fero ferventia saxa vapore :
Conlabefactatus rigor auri solvitur æstu :
Tum glacies æris flamma devicta liquescit :
Permanat calor argentum, penetraleque frigus :
Quando utrumque manu, retinentes pocula rite,
Sensimus infuso lympharum rore superne.

Usque

Uſque adeo in rebus ſolidi nihil eſſe videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturaque rerum
Cogit, ades, paucis dum verſibus expediamus,
Eſſe ea, quæ ſolido atque æterno corpore conſtent,
Semina quæ rerum, primordiaque eſſe docemus:
Unde omnis rerum nunc conſtet ſumma creata.
Principio quoniam duplex natura duarum
Diſſimilis rerum longe conſtare reperta 'ſt,
Corporis atque loci, res in quo quæque geruntur:
Eſſe utramque ſibi per ſe, puramque neceſſe 'ſt.
Nam quacunque vacat ſpatium, quod Inane vocamus;
Corpus, ea non eſt: qua porro cunque tenet ſe
Corpus ea vacuum nequaquam conſtat Inane.
Sunt igitur ſolida, ac ſine Inani corpora prima.
Præterea quoniam genitis in rebus Inane 'ſt,
Materiem circum ſolidam conſtare neceſſe 'ſt:
Nec res ulla poteſt vera ratione probari
Corpore Inane ſuo celare, atque intus habere,
Si non, quod cohibet, ſolidum conſtare relinquas.
Id porro nihil eſſe poteſt, niſi materiai
Concilium, quod Inane queat rerum cohibere.
Materies igitur, ſolido quæ corpore conſtat,
Eſſe æterna poteſt, cum cætera diſſolvantur.
Tum porro ſi nil eſſet, quod Inane vacaret,
Omne foret ſolidum; niſi contra corpora cæca
Eſſent, quæ loca complerent, quæcunque tenerent:
Omne, quod eſt, ſpatium vacuum conſtaret inane.
Alternis igitur nimirum corpus Inani
Diſtinctu 'ſt, quoniam nec plenum naviter extat:
Nec porro vacuum: ſunt ergo corpora cæca,
Quæ ſpatium pleno poſſint diſtinguere Inane.
Hæc neque diſſolvi plagis extrinſecus icta
Poſſunt: nec porro penitus penetrata retexi:
Nec ratione queunt alia tentata labare,
Id quod jam ſupera tibi paullo oſtendimus ante.
Nam neque conlidi ſine Inani poſſe videtur
Quicquam, nec frangi, nec findi in bina ſecando:

Nec

Nec capere humorem, neque item manabile frigus,
Nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur.
Et quam quæque magis cohibet res intus Inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labascit.
Ergo, si solida, ac sine Inani corpora prima
Sunt, ita uti docui, sint hæc æterna necesse 'st.
Præterea, nisi materies æterna fuisset,
Antehac ad nihilum penitus res quæque redissent,
De nihiloque renata forent quæcunque videmus.
At quoniam supera docui nil posse creari
De nihilo, neque quod genitu 'st, ad nil revocari:
Esse immortali primordia corpore debent,
Dissolvi quo quæque supremo tempore possint,
Materies ut suppediter rebus reparandis.
Sunt igitur solida primordia simplicitate,
Nec ratione queunt alia servata per ævum
Ex infinito jam tempore res reparare.
Denique, si nullam finem natura parasset
Frangendis rebus, jam corpora materiai
Usque redacta forent, ævo frangente priore,
Ut nihil ex illis à certo tempore posset
Conceptum, summum ætatis pervadere florem;
Nam quidvis citius dissolvi posse videmus,
Quam rursus refici. quapropter longa diei
Infinitæ ætas anteacti temporis omnis
Quod fregisset adhuc, disturbans, dissolvensque,
Id nunquam reliquo reparari tempore posset:
At nunc nimirum frangendi reddita finis
Certa manet: quoniam refici rem quamq; videmus,
Et finita simul generatim tempora rebus
Stare, quibus possint ævi contingere florem.
Huc accedit, uti solidissima materiai
Corpora cum constant, possint tamen omnia reddi
Mollia, quæ fiant aer, aqua, terra, vapores,
Quo pacto fiant, & qua vi cunque genantur,
Admistum quoniam simul est in rebus Inane,
At contra, si mollia sint primordia rerum,

Unde

Unde queant validi silices, ferrumque creari,
Non poterit ratio reddi. nam funditus omnis
Principio fundamenti natura carebit.
Sunt igitur solida pollentia simplicitate,
Quorum condenso magis omnia conciliatu
Arctari possunt, validaque ostendere vireis.
Denique jam quoniam generatim reddita finis
Crescendi rebus constat, vitamque tuendi,
Et quid quæque queant per fœdera naturai,
Quid porro nequeant, sancitũ quandoquidem exstat:
Nec commutatur quicquam; quin omnia constant,
Usque adeo variæ volucres ut in ordine cunctæ
Ostendant maculas generaleis corpori inesse,
Immutabile materiæ quoque corpus habere
Debent nimirum. nam si primordia rerum
Commutari aliqua possent ratione revicta,
Incertum quoque jam constet, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas, denique cuique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hæreat;
Nec toties possent generatim sæcla referre
Naturam, motus, victum, moresque parentum.
Tum porro, quoniam extremum cujusque cacumen
Corporis est aliquod, nostri quod cernere sensus
Jam nequeunt: id nimirum sine partibus exstat,
Et minima constat natura: nec fuit unquam
Per se secretum, neque posthac esse valebit:
Alterius quoniam est ipsum pars, primaque, & ima.
Inde aliæ, atque aliæ similes ex ordine partes
Agmine condenso naturam corporis explent.
Quæ quoniam per se nequeunt constare, necesse est
Hærere, ut nequeant ulla ratione revelli.
Sunt igitur solida primordia simplicitate:
Quæ minimis stipata cohærent partibus arcte.
Non ex ullorum conventu conciliata,
Sed magis æterna pollentia simplicitate:
Unde neque avelli quicquam, neque diminui jam
Concedit natura reservans semina rebus.

Præterea

Præterea nisi erit Minimum, parvissima quæque
Corpora constabunt ex partibus infinitis.
Quippe ubi dimidiæ partis pars semper habebit
Dimidiam partem: nec res perfiniet ulla.
Ergo rerum inter summam, minimamq; quid escit?
Non erit ut distent. nam quamvis funditus omnis
Summa sit infinita, tamen parvissima quæ sunt,
Ex infinitis constabunt partibus æque.
Quoi quoniam ratio reclamat vera, negatque
Credere posse animum, victus fateare necesse 'st,
Esse ea quæ nullis jam prædita partibus exstent,
Et minima constent natura: quæ quoniam sunt,
Illa quoque esse tibi solida, atque æterna fatendum.
Denique ni minimas in parteis cuncta resolvi
Cogere consuesset rerum natura creatrix,
Jam nihil ex illis eadem reparare valeret:
Propterea, quia quæ multis sunt partibus aucta,
Non possunt ea, quæ debet genitalis habere
Materies, varios connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus, per quæ res quæque geruntur.
Porro, si nulla 'st frangendis reddita finis
Corporibus, tamen ex æterno tempore quædam
Nunc etiam superare necesse 'st corpora rebus,
Quæ nondum clueant ullo tentata periclo.
At quoniam fragili natura prædita constant,
Discrepat æternum tempus potuisse manere
Innumerabilibus plagis vexata per ævum.
Quapropter, qui materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere solo,
Magnopere à vera lapsi ratione videntur.
Heraclitus init quorum dux prælia primus,
Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis,
Quam de graveis inter Graios, qui vera requirunt.
Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt:
Veraque constituunt, quæ belle tangere possunt
Aureis, & lepido quæ sunt fucata sonore.

Nam

Nam cur tam variæ res possent esse, requiro,
Ex vero si sunt igni, puroque creatæ.
Nil prodesset enim calidum denserier ignem,
Nec rarefieri, si partes ignis eandem
Naturam, quam totus habet super ignis, haberent.
Acrior ardor enim conductis partibus esset:
Languidior porro disiectis, disque supatis.
Amplius hoc fieri nihil est, quod posse rearis
Talibus in causis, nedum variantia rerum
Tanta queat densis rarisque ex ignibus esse,
Atque hi si faciant admistum rebus Inane,
Denseri poterunt ignes, rarique relinqui:
Sed, quia multa sibi cernunt contraria, mussant,
Et fugitant in rebus Inane relinquere purum, &,
Ardua dum metuunt, amittunt vera viai:
Nec rursum cernunt exempto rebus Inani,
Omnia denseri, fierique ex omnibus unum
Corpus, nil ab se quod possit mittere raptim,
Æstifer ignis uti lumen jacit, atque vaporem:
Ut videas non è stipatis partibus esse.
Quod si forte ulla credunt ratione potesse
Igneis in cœtu stingui, mutareque corpus:
Scilicet ex ulla facere id si parte reparcent,
Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor
Omnis, & ex nihilo fient quæcunque creantur.
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante;
Proinde aliquid superare necesse 'st incolume ollis,
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes,
De nihiloque renata viresçat copia rerum.
Nunc igitur, quoniam certissima corpora quædam
Sunt, quæ conservant naturam semper eandem,
Quorum abitu, aut aditu, mutatoq; ordine, mutant
Naturam res, & convertunt corpora sese:
Scire licet non esse hæc ignea corpora rerum.
Nil referret enim quædam decedere, abire,
Atque alia attribui mutarique ordine quædam,

Si

Si tamen ardoris naturam cuncta tenerent.
Ignis enim foret omnimodis, quodcunque crearent.
Verum, ut opinor, ita'st: sunt quædam corpora, quorú
Concursus, motus, ordo, positura, figuræ,
Efficiunt igneis, mutatoque ordine mutant
Naturam: neque sunt igni simulata, neque ullæ
Præterea reij, quæ corpora mittere possit
Sensibus, & nostros adjectu tangere tactus.
Dicere porro ignem res omneis esse, neque ullam
Rem veram in numero rerum constare, nisi ignem:
Quod facit hic idem, perdelirum esse videtur.
Nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat:
Et labefactat eos, unde omnia credita pendent:
Unde hic cognitus est ipsi, quem nominat ignem.
Credit enim sensus ignem cognoscere vere,
Cætera non credit, nihilo quæ clara minus sunt:
Quod mihi cum vanum, tum delirum esse videtur.
Quo referemus enim? quid nobis certius ipsis
Sensibus esse potest, quo vera ac falsa notemus?
Præterea, quare quisquam magis omnia tollat,
Et velit ardoris naturam linquere solam,
Quam neget esse ignis, summam tamen esse relinquat?
Æqua videtur enim dementia dicere utrumque.
Quapropter qui materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere posse:
Et qui principium gignundis aera rebus
Constituere: aut humorem quicunque putarunt
Fingere res ipsum per se: terramve creare
Omnia, & in rerum naturas vertier omneis:
Magnopere à vero longeque errasse videntur.
Adde etiam, qui conduplicant primordia rerum,
Aera jungentes igni, terramque liquori:
Et qui quatuor ex rebus posse omnia rentur,
Ex igni, terra, atque anima procrescere, & imbri: Virg. Æ. 1. 723
Quorum Acragantinus cum primis Empedocles est:
Insula quem Triquetris terrarum gessit in oris:
Quam fluitans circum magnis amfractibus æquor
Ionium

Ionium glaucis aſpergit virus ab undis:
Anguſtoque fretu rapidum mare dividit undis
Italiæ terrai oras à finibus ejus:
Hic eſt vaſta Charybdis, & hic Ætnæa minantur
Murmura flammarum rurſum ſe conligere iras,
Faucibus eruptos iterum ut vis evomat igneis:
Ad cœlumque ferat flammai fulgura rurſum:
Quæ cum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, viſendaque fertur,
Rebus opima bonis, multa munita virum vi,
Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta:
Ut vix humana videatur ſtirpe creatus.
Hic tamen, & ſupera quos diximus, inferiores
Partibus egregie multis, multoque minores,
Quanquam multa bene, ac divinitus invenientes
Ex adyto tanquam cordis reſponſa dedere
Sanctius, & multo certa ratione magis, quam
Pythia, quæ tripode ex Phœbi, lauroque profatur;
Principiis tamen in rerum fecere ruinas,
Et graviter magni magno cecidere ibi caſu:
Primum quod motus exempto rebus Inani
Conſtituunt, & res molleis, raraſque relinquunt,
Aera, ſolem, ignem, terras, animalia, fruges:
Nec tamen admiſcent in eorum corpus Inane.
Deinde quod omnino finem non eſſe ſecandis
Corporibus faciunt, neque pauſam ſtare fragori:
Nec prorſum in rebus minimum conſiſtere quicquam:
Cum videamus id extremum cujuſque cacumen
Eſſe, quod ad ſenſus noſtros minimum eſſe videtur:
Conjicere ut poſſis ex hoc, quod cernere non quis,
Extremum quod habent, minimum conſiſtere rebus.
Hoc accedit item, quod jam primordia rerum
Mollia conſtituunt, quæ nos nativa videmus
Eſſe, & mortali cum corpore funditus; atqui

Debeat

Debeat ad nihilum jam rerum ſumma reverti,
De nihiloque renata vireſcere copia rerum:
Quorum utrumque quid à vero jam diſtet, habebas,
Deinde inimica modis multis ſunt, atque venena
Ipſa ſibi inter ſe; quare aut congreſſa peribunt,
Aut ita diffugient, ut tempeſtate coorta,
Fulmina diffugere, atque imbreis ventoſque videmus.
Denique quatuor ex rebus ſi cuncta creantur,
Atque in eas rurſum omnia diſſolvuntur,
Qui magis illa queunt rerum primordia dici,
Quam contra res illorum, retroque putari?
Alternis gignuntur enim, mutantque colorem,
Et totam inter ſe naturam tempore ab omni.
Sin ita forte putas, ignis, terræque coire
Corpus, & aerias auras, roremque liquorum,
Nil in concilio naturam ut mutet eorum:
Nulla tibi ex illis poterit res eſſe creata,
Non animans, non exanimo quid corpore, ut arbos;
Quippe ſuam quidque in cœtu variantis acervi
Naturam oſtendet, miſtuſque videbitur aer
Cum terra ſimul, atque ardor cum rore manere:
At primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clandeſtinam, cæcamque adhibere,
Emineat nequid, quod contra puguet, & obſtet,
Quo minus eſſe queat proprie quodcunque creatur.
Quin etiam repetunt à cœlo, atque ignibus ejus,
Et primum faciunt ignem ſe vertere in auras
Aeris: hinc imbrem gigni, terramque creari
Ex imbri, retroque à terra cuncta reverti,
Humorem primum, poſt aera, deinde calorem:
Nec ceſſare hæc inter ſe mutare, meare
De cœlo ad terram, de terra ad ſidera mundi:
Quod facere haud ullo debent primordia pacto.
Immutabile enim quiddam ſuperare neceſſe 'ſt;
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors eſt illius, quod fuit ante.

Qua-

Quapropter, quoniam quæ paullo diximus ante,
In commutatum veniunt, constare necesse 'st
Ex aliis ea, quæ nequeant convertier unquam:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes:
Quin potius tali natura prædita quædam
Corpora constituas, ignem si forte crearint,
Posse eadem demptis paucis, pauciscque tributis,
Ordine mutato, & motu, facere aeris auras:
Sic alias aliis rebus mutarier omneis.
At manifesta palam res indicat, inquis, in auras
Aeris è terra res omneis crescere, alique:
Et nisi tempestas indulget tempore fausto,
Imbribus, & tabe nimborum arbusta vacillant,
Solque sua pro parte fovet, tribuitque calorem:
Crescere non possint fruges, arbusta, animantes.
Scilicet & nisi nos cibus aridus, & tener humor
Adjuvet, amisso jam corpore, vita quoque omnis
Omnibus è nervis atque ossibus exsolvatur.
Adjutamur enim dubio procul, atque alimur nos
Certis ab rebus, certis aliæ atque aliæ res:
Nimirum quia multa modis communia multis
Multarum rerum in rebus primordia mista
Sunt: ideo variis variæ res rebus aluntur.
Atque eadem magni refert primordia sæpe
Cum quibus, & quali positura contineantur:
Et quos inter se dent motus, accipiantque.
Namque eadem cœlum, mare, terras, flumina, solem
Constituunt: eadem fruges, arbusta, animanteis:
Verum aliis, alioque modo commista moventur.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides multis communia verbis:
Cum tamen inter se versus, ac verba necesse 'st
Confiteare & re, & sonitu distare sonanti:
Tantum elementa queunt permutato ordine solo:
At rerum quæ sunt primordia, plura adhibere
Possunt, unde queant variæ res quæque creari.
Nunc & Anaxagoræ scrutemur homœomeriam,

Quam

Quam Græci memorant, nec noſtra dicere lingua
Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas:
Sed tamen ipſam rem facile 'ſt exponere verbis,
Principium rerum quam dicit homœomeriam:
Oſſa videlicet è pauxillis atque minutis
Oſſibus, ſic & de pauxillis atque minutis
Viſceribus viſcus gigni, ſanguenque creari,
Sanguinis inter ſe multis coeuntibus guttis:
Ex aurique putat micis conſiſtere poſſe
Aurum, & de terris terram concreſcere parvis:
Ignibus ex ignem, humorem ex humoribus eſſe;
Cætera conſimili fingit ratione, putatque:
Nec tamen eſſe ulla parte idem in rebus Inane
Concedit, neque corporibus finem eſſe ſecandis.
Quare in utraque mihi pariter ratione videtur
Errare, atque illi, ſupera quos diximus ante.
Adde quod imbecilla nimis primordia fingit,
Si primordia ſunt, ſimili quæ prædita conſtant
Natura, atque ipſæ res ſunt; æqueque laborant
Et pereunt, neque ab exitio res ulla refrænat.
Nam quid in oppreſſu valido durabit eorum,
Ut mortem effugiat lethi ſub dentibus ipſis?
Ignis? an humor? an aura? quid horum? ſanguen? an oſſa?
Nil, ut opinor, ubi ex æquo res funditus omnis
Tam mortalis erit, quam quæ manifeſta videmus
Ex oculis noſtris aliqua vi victa perire.
At neque recidere ad nihilum res poſſe, neque autem
Creſcere de nihilo, teſtor res ante probatas.
Præterea quoniam cibus auget corpus, alitque:
Scire licet, nobis venas, & ſanguen, & oſſa,
Et nervos alienigenis ex partibus eſſe:
Sive cibos omneis commiſto corpore dicent
Eſſe, & habere in ſe nervorum corpora parva,
Oſſaque, & omnino venas, parteiſque cruoris:
Fiet, uti cibus omnis & aridus, & liquor ipſe,
Ex alienigenis rebus conſtare putetur,
Oſſibus, & nervis, veniſque, & ſanguine miſto.

Præ-

Præterea quæcunque è terra corpora crescunt,
Si sunt in terris, terras constare necesse 'st
Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur.
Transfer item, totidem verbis utare licebit:
In lignis si flamma latet, fumusque, ciniſque:
Ex alienigenis consistant ligna necesse 'st,
Linquitur hic tenuis latitandi copia quædam:
Id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omneis
Res putet immistas rebus latitare: sed illud
Apparere unum, cujus sint pluria mista,
Et magis in promptu primaque in fronte locata:
Quod tamen à vera longe ratione repulsu'st.
Conveniebat enim fruges quoque sæpe minutas,
Robore cum saxi franguntur, mittere signum
Sanguinis, aut alium nostro quæ corpore aluntur:
Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem:
Consimili ratione herbas quoque sæpe decebat,
Et latices, dulceis guttas, similique sapore
Mittere, lanigeræ quali sunt ubera lactis:
Scilicet & glebis terrarum sæpe friatis
Herbarum genera, & fruges, frondeisque videri
Dispertita, atque in terris latitare minute;
Postremo, in lignis cinerem fumumque videri,
Cum præfracta forent, igneisque latere minutos.
Quorum nil fieri quoniam manifesta docet res,
Scire licet non esse in rebus res ita mistas:
Verum semina multimodis immista latere
Multarum rerum in rebus communia debent.
At sæpe in magnis sit montibus, inquis, ut altis
Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, validis facere id cogentibus austris,
Donec fulserunt flammæ fulgore coorto:
Scilicet & non est lignis tamen insitus ignis;
Verum semina sunt ardoris multa, terendo
Quæ cum confluxere, creant incendia sylvis.
Quod si tanta foret sylvis abscondita flamma,
Non possent ullum tempus celarier ignes:

Conficerent volgo ſylvas, arbuſta cremarent.
Jamne vides igitur, paullo quod diximus ante,
Permagni referre eadem primordia ſæpe
Cum quibus, & quali poſitura contineantur?
Et quos inter ſe dent motus, accipiantque?
Atque eadem paullo inter ſe mutata creare
Igneis è lignis? quo pacto verba quoque ipſa
Inter ſe paullo mutatis ſunt elementis,
Cum ligna, atque igneis diſtincta voce notemus.
Denique jam quæcunque in rebus cernis apertis,
Si fieri non poſſe putas, quin materiai
Corpora conſimili natura prædita fingas,
Hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
Fiet uti riſu tremulo concuſſa cachinnent,
Et lacrymis ſalſis humectent ora, genaſque.
Nunc age, quod ſupereſt, cognoſce, & clarius audi.
Nec me animi fallit, quam ſint obſcura, ſed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectus amorem
Muſarum: quo nunc inſtinctus, mente vigenti
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo: juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Muſæ:
Primum quod magnis doceo de rebus, & arctis
Religionum animos nodis exſolvere pergo:
Deinde quod obſcura de re tam lucida pango
Carmina, Muſeo contingens cuncta lepore,
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur:
Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valeſcat:

Sic

Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac: volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi Museo dulci contingere melle,
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
Naturam rerum, qua constet compta figura.
Sed quoniam docui, solidissima materiai
Corpora perpetuo volitare invicta per ævum,
Nunc age summai ecquænam sit finis eorum,
Necne sit, evolvamus: item, quod Inane repertum'st,
Seu locus, ac spatium, res in quo quæque genantur,
Pervideamus utrum finitum finditus omne
Constet, an immensum pateat vel adusque profundum.
Omne quod est, igitur, nulla regione viarum
Finitum 'st: namque extremum debebat habere.
Extremum porro nullius posse videtur
Esse, nisi ultra sit quod finiat, ut videatur,
Quo non longius hæc sensus natura sequatur.
Nunc extra summam quoniam nihil esse fatendum 'st,
Non habet extremum: caret ergo fine, modoque:
Nec refert quibus assistas regionibus ejus,
Usque adeo quem quisque locum possidit, in omneis
Tantundem parteis infinitum omne relinquit.
Præterea, si jam finitum constituatur
Omne quod est spatium, si quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum,
Id validis utrum contortum viribus ire
Quo fuerit missum mavis, longeque volare,
An prohibere aliquid censes, obstareque posse?
Alterutrum fatearis enim, sumalque necesse 'st,
Quorum utrumque tibi effugium præcludit, & omne
Cogit ut exempta concedas fine patere.
Nam sive est aliquid, quod prohibeat, officiatque
Quo minus quo missum 'st veniat, finique locet se,
Sive foras fertur, non est ea finis profecto.

Hoc pacto ſequar, atque oras ubicunque locaris
Extremas, quæram quid telo denique fiat.
Fiet uti nuſquam poſſit conſiſtere finis :
Effugiumque fugæ prolatet copia ſemper.
Præterea ſpatium ſummai totius omne
Undique ſi incluſum certis conſiſteret oris,
Finitumque foret, jam copia materiai
Undique ponderibus ſolidis confluxet ad imum ;
Nec res ulla geni ſub cœli tegmine poſſet :
Nec foret omnino cœlum, neque lumina ſolis :
Quippe ubi materiēs omnis cumulata jaceret
Ex infinito jam tempore ſubſidendo.
At nunc nimirum requies data principiorum
Corporibus nulla 'ſt : quia nil eſt funditus imum,
Quo quaſi confluere, & ſedes ubi ponere poſſint,
Semper & aſſiduo motu res quæque geruntur
Partibus in cunctis, æternaque ſuppeditantur
Ex infinito cita corpora materiai.
Poſtremo ante oculos rem res finire videtur :
Aer diſſepit colleis, atque æra montes :
Terra mare, & contra mare terras terminat omneis.
Omne quidem vero nihil eſt quod finiat extra :
Eſt igitur natura loci, ſpatiumque profundi,
Quod neque clara ſuo percurrere flumina curſu
Perpetuo poſſint ævi labentia tractu :
Nec prorſum facere, ut reſtet minus ire meando :
Uſque adeo paſſim patet ingens copia rebus,
Finibus exemptis in cunctas undique parteis.
Ipſa modum porro ſibi rerum ſumma parare
Ne poſſit, natura tenet : quia corpus Inani,
Et quod Inane aute'ſt, finiri corpore cogit :
Ut ſic alternis infinita omnia reddat.
Aut etiam alterutrum niſi terminet alterum eorum,
Simplice natura & pateat tantum immoderatum :
Nec mare, nec tellus, nec cœli lucida templa,
Nec mortale genus, nec divum corpora ſancta
Exiguum poſſent horai ſiſtere tempus.

Nam

Nam dispulsa suo de cœtu materiai
Copia ferretur magnum per Inane soluta,
Sive adeo potius nunquam concreta creasset
Ullam rem, quoniam cogi desecta nequisset.
Nam certe neque consilio primordia rerum
Ordine se quæque, atque sagaci mente locarunt:
Nec quos quæque darent motus pepigere profecto:
Sed quia multimodis, multis, mutata, per omne
Et infinito vexantur percita plagis,
Omne genus motus, & cœtus experiundo,
Tandem deveniunt in taleis disposituras,
Qualibus hæc rebus consistit summa creata:
Et multos etiam magnos servata per annos,
Ut semel in motus conjecta 'st convenienteis,
Efficit, ut largis avidum mare fluminis undis
Integrent amnes, & solis terra vapore
Fota novet fœtus, summissaque gens animantum
Floreat, & vivant labentes ætheris ignes.
Quod nullo facerent pacto, nisi materiai
Ex infinito suboriri copia posset,
Unde amissa solent reparari in tempore quoque.
Nam veluti privata cibo natura animantum
Diffluit amittens corpus, sic omnia debent
Dissolvi, simul ac defecit suppeditare
Materies recta regione aversa viai.
Nec plagæ possent extrinsecus undique summam
Conservare omnem, quæcunque 'st conciliata.
Cudere enim crebro possunt, partemque morari,
Dum veniant aliæ, ac suppleri summa queatur.
Interdum resilire tamen coguntur, & una
Principiis rerum spatium, tempusque fugai
Largiri, ut possint à cœtu libera ferri.
Quare etiam atque etiam suboriri multa necesse 'st.
Et tamen ut plagæ quoque possint suppetere ipsæ,
Infinita opus est vis undique materiai.
Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium summæ (quod dicunt) omnia niti,

Atque ideo mundi naturam ſtare ſine ullis
Ictibus externis, neque quoquam poſſe reſolvi
Summa atque ima, quod in medium ſint omnia nixa,
Ipſum ſi quicquam poſſe in ſe ſiſtere credis:
Et quæ pondera ſunt ſub terris, omnia ſurſum
Nitier, in terraque retro requieſcere poſta:
Ut per aquas quæ nunc rerum ſimulacra videmus:
Et ſimili ratione animalia ſubtu' vagari
Contendunt, neque poſſe è terris in loca cœli
Recidere inferiora magis, quam corpora noſtra
Sponte ſua poſſint in cœli templa volare:
Illi cum videant ſolem, nos ſidera noctis
Cernere, & alternis nobiſcum tempora cœli
Dividere, & nocteis parileis agitare, dieſque.
Sed vanus ſtolidis hæc omnia fixerit error,
Amplexi quod habent perverſe prima viai.
Nam medium nihil eſſe poteſt, ubi Inane, locuſque
Infinita: neque omnino, ſi jam medium ſit,
Poſſit ibi quicquam hac potius conſiſtere cauſa,
Quam quavis alia longe regione manere.
Omnis enim locus, ac ſpatium, quod Inane vocamus,
Per medium, per non medium concedat oportet
Æquis ponderibus, motus quacunque feruntur.
Nec quiſquam locus eſt, quo corpora cum venere
Ponderis amiſſa vi poſſint ſtare in Inani:
Nec quod Inane autem 'ſt, illis ſubſiſtere debet,
Quin ſua quod natura petit, concedere pergat,
Ne volucrum ritu flammarum, mœnia mundi
Diffugiant ſubito magnum per Inane ſoluta,
Et ne cætera conſimili ratione ſequantur:
Neve ruant cœli tonitralia templa ſuperne,
Terraque ſe pedibus raptim ſubducat, & omnes
Inter permiſtas terræ, cœlique ruinas
Corpora ſolventes, abeant per Inane profundum,
Temporis ut punctò nihil exſtet relliquiarum,
Deſertum præter ſpatium, & primordia cæca.
Nam quacunque prius de parti corpora ceſſe

Conſti-

Conſtitues, hæc rebus erit pars janua lethi:
Hac ſe turba foras dabit omnis materiai.
Præterea quoque jam non omnia corpora fingunt
In medium niti, ſed terrarum, atque liquorum,
Humorem ponti, magniſque è montibus undas,
Et quaſi terreno quæ corpore contineantur:
At contra tenueis exponunt aeris auras,
Et calidos ſimul à medio differrier igneis,
Atque ideo totum circumtremere æthera ſignis,
Et ſolis flammam per cœli cærula paſci,
Quod calor à medio fugiens ibi colligat igneis.
Quippe etiam veſci è terra mortalia ſæcla:
Nec prorſum arboribus ſummos frundeſcere ramos
Poſſe, niſi à terris paullatim quiſque cibetur.
Haud igitur poſſunt tali ratione teneri
Res in concilio, medii cuppedine victæ.
Hæc ſi pernoſces parva perfunctus opella,
(Namque alid ex alio clareſcet,) non tibi cæca
Nox iter eripiet, quin ultima naturai
Pervideas, ita res accendent lumina rebus.

T. LUCRETII.

LIBER SECUNDUS.

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quemquam 'st jucunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave 'st.
Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos instructa tua sine parte pericli:
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena:
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O miseras hominum mentes, ô pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi, quodcunque 'st! nonne videre
Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cum
Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur
Jucundo sensu, cura semota, metuque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omnino, quæ demant quemque dolorem.
Delicias quoque uti multas substernere possint,
Gratius interdum neque natura ipsa requirit.
Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
Nec domus argento fulget, auroque renidet,

Nec

Nec citharis reboant laqueata auratáque templa:
At tamen inter se prostrati in gramine molli
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus, jucunde corpora curant:
Præsertim cum tempestas arridet, & anni
Tempora conspergunt viridanteis floribus herbas,
Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus si in picturis, ostroque rubenti
Jactaris, quam si plebeia in veste cubandu'st.
Quapropter quoniam nil nostro in corpore gazæ
Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni:
Quod superest, animo quoq; nil prodesse putandum:
Si non forte tuas legiones per loca campi
Fervere cum videas belli simulacra cientes:
Fervere cum videas classem, lateque vagari,
His tibi tum rebus timefactæ relligiones
Effugiunt animo pavidæ, mortisque timores:
Tum vacuum pectus linquunt, curaque solutum.
Quod si ridicula hæc, ludibriaque esse videmus,
Re veraque metus hominum, curæque sequaces,
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela:
Audacterque inter reges, rerumque potenteis
Versantur, neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum vestis splendorem purpureai:
Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas?
Omnis cum in tenebris præsertim vita laboret.
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Huc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est
Non radii solis, neque lucida tela diei
Discutiant; sed naturæ species, ratioque.
Nunc age, quo motu genitalia materiai
Corpora res varias gignant, genitasque resolvant,
Et qua vi facere id cogantur, quæ ve sit ollis
Reddita mobilitas magnum per Inane meandi,

Expediam: tu te dictis præbere memento.
Nam certe non inter se stipata cohæret
Materies: quoniam minui rem quamque videmus,
Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo,
Ex oculisque vetustatem subducere nostris:
Cum tamen incolumis videatur summa manere,
Propterea, quia quæ decedunt corpora cuique,
Unde abeunt, minuunt: quo venere, augmine donant:
Illa senescere, at hæc contra florescere cogunt.
Nec remorantur ibi: sic rerum summa novatur
Semper, & inter se mortales mutua vivunt.
Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur:
Inque brevi spatio mutantur sæcla animantum:
Et, quasi cursores, vitai lampada tradunt.
Si cessare putas rerum primordia posse,
Cessandoque novos rerum progignere motus:
Avius à vera longe ratione vagaris.
Nam, quoniam per Inane vagantur cuncta, necesse 'st
Aut gravitate sua ferri primordia rerum,
Aut ictu forte alterius: nam cita superne
Obvia cum flixere, fit, ut diversa repente
Dissiliant: neque enim mirum, durissima quæ sint,
Ponderibus solidis, neque quicquam à tergis obstet,
Et quo jactari magis omnia materiai
Corpora pervideas, reminiscere totius imum
Nil esse in summa: neque habere ubi corpora prima
Consistant: quoniam spatium sine fine modoque 'st:
Immensumque patere in cunctas undique parteis,
Pluribus ostendi, & certa ratione probatu 'st.
Quod quoniam constat, nimirum nulla quies est
Reddita corporibus primis per Inane profundum:
Sed magis assiduo, varioque exercita motu,
Partim intervallis magnis conflicta resultant:
Pars etiam brevibus spatiis nexantur ab ictu.
Et quæcunque magis condenso conciliatu,
Exiguis intervallis connexa resultant,
Indupedita suis perplexis ipsa figuris:
Hæc validas saxi radices, & fera ferri Cor-

Corpora conſtituunt, & cætera de genere horum
Paucula: quæ porro magnum per Inane vagantur,
Et cita diſſiliunt longe, longeque recurſant
In magnis intervallis: hæc aera rarum
Sufficiunt nobis, & ſplendida lumina ſolis.
Multaque præterea magnum per Inane vagantur,
Conciliis rerum quæ ſunt rejecta, nec uſquam
Conſociare etiam motus potuere recepta:
Cujus, uti memoro, reij ſimulacrum & imago
Ante oculos ſemper nobis verſatur, & inſtat.
Contemplator enim, cum ſolis lumina cunque
Inſertim fundunt radios per opaca domorum:
Multa minuta modis multis per Inane videbis
Corpora miſceri radiorum lumine in ipſo:
Et velut æterno certamine prœlia, pugnaſque
Edere turmatim certantia: nec dare pauſam,
Conciliis, & diſcidiis exercita crebris:
Conjicere ut poſſis ex hoc, primordia rerum,
Quale ſit, in magno jactari ſemper Inani;
Duntaxat rerum magnarum parva poteſt res
Exemplare dare, & veſtigia notitiai.
Hoc etiam magis hæc animum te advertere par eſt
Corpora quæ in ſolis radiis turbare videntur:
Quod tales turbæ motus quoque materiai
Significant clandeſtinos, cæcoſque ſubeſſe.
Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis
Cummutare viam, retroque repulſa reverti
Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique parteis.
Scilicet hic à principiis eſt omnibus error.
Prima moventur enim per ſe primordia rerum;
Inde ea, quæ parvo ſunt corpora conciliatu,
Et quaſi proxima ſunt ad vireis principiorum,
Ictibus illorum cæcis impulſa cientur:
Ipſaque quæ porro paullo majora, laceſſunt.
Sic à principiis aſcendit motus, & exit
Paullatim noſtros ad ſenſus, ut moveantur.
Illa quoque in ſolis quæ lumine cernere quimus;

Nec

Nec quibus id faciant plagis apparet aperte.
Nunc, quæ mobilitas sit reddita materiai
Corporibus, paucis licet hinc cognoscere, Memmi.
Primum aurora novo cum spargit lumine terras,
Et variæ volucres nemora avia pervolitantes
Aera per tenerum liquidis loca vocibus opplent:
Quam subito soleat sol ortus tempore tali
Convestire sua perfundens omnia luce,
Omnibus in promptu, manifestumque esse videmus.
At vapor is, quem sol mittit, lumenque serenum,
Non per Inane meat vacuum, quo tardius ire
Cogitur, aerias quasi cum diverberet undas:
Nec singillatim corpuscula quæque vaporis,
Sed complexa meant inter se, conque globata.
Quapropter simul inter se retrahuntur: & extra
Officiuntur, ubi cogantur tardius ire.
At, quæ sunt solida primordia simplicitate,
Cum per Inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, atque ipsa suis è partibus unum,
Unum in quem cœpere locum connixa feruntur:
Debent nimirum præcellere mobilitate,
Et multo citius ferri, quam lumina solis:
Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo solis pervolgant fulgura cœlum:
Nam neque consilio debent tardata morari,
Nec perscrutari primordia singula quæque,
Ut videant, qua quidque geratur cum ratione.
At quidem contra hæc, ignari, materiai
Naturam non posse deum sine numine rentur
Tantopere humanis rationibus ac moderatis
Tempora mutare annorum, frugesque creare:
Nec jam cætera, mortaleis quæ suadet adire,
Ipsaque deducit dux vitæ dia voluptas,
Ut res per Veneris blanditim sæcla propagent,
Ne genus occidat humanum: quorum omnia causa
Constituisse deos fingunt sed in omnibus rebus
Magnopere à vera lapsi ratione videntur.

Nam

Nam quamvis rerum ignorem primordia quæ ſint,
Hoc tamen ex ipſis cœli rationibus auſim
Confirmare, aliiſque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus eſſe creatam
Naturam mundi, quæ tanta'ſt prædita culpa:
Quæ tibi poſterius, Memmi, faciemus aperta.
Nunc id quod ſupereſt, de motibus expediemus.
Nunc locus eſt (ut opinor) in his illud quoq; rebus
Confirmare tibi, nullam rem poſſe ſua vi
Corpoream ſurſum ferri, ſurſumque meare.
Nec tibi dent in eo flammarum corpora fraudem:
Surſus enim vorſus gignuntur, & augmina ſumunt:
Et ſurſum nitidæ fruges, arbuſtaque creſcunt,
Pondera, quantum in ſe'ſt, cum deorſũ cuncta ferantur.
Nec cum ſubſiliunt ignes ad tecta domorum,
Et celeri flamma deguſtant tigna, trabeiſque,
Sponte ſua facere id fine vi ſubigente putandu'ſt:
Quod genus, è noſtro cum miſſus corpore ſanguis
Emicat exſultans alte, ſpargitque cruorem.
Nonne vides etiam, quanta vi tigna trabeiſque
Reſpuat humor aquæ? nam quam magis merſimus altũ
Directa, & magna vi multi preſſimus ægre:
Tam cupide ſurſum revomit magis, atque remittit,
Plus ut parte foras emergant, exſilianteque.
Nec tamen hæc quantu'ſt in ſe, dubitamus, opinor,
Quin vacuum per Inane deorſum cuncta ferantur.
Sic igitur debent flammæ quoque poſſe per auras
Aeris expreſſæ ſurſum ſuccedere, quanquam
Pondera, quantum in ſe'ſt, deorſum deducere pugnent,
Noctu naſque faceis cœli ſublime volanteis,
Nonne vides longos flammarum ducere tractus,
In quaſcunque dedit parteis natura meatum?
Non cadere in terram ſtellas, & ſidera cernis?
Sol etiam ſummo de vertice diffupat omneis
Ardorem in parteis, & lumine conſerit arva.
In terras igitur quoque ſolis vergitur ardor.
Tranſverſoſque volare per imbres fulmina cernis:

Nunc

Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes
Concurſant, cadit in terras vis flammea volgo.
Illud in his quoque te rebus cognoſcere avemus:
Corpora cum deorſum rectum per Inane feruntur,
Ponderibus propriis incerto tempore firme,
Incertiſque locis ſpatio decedere paullum:
Tantum quod nomen mutatum dicere poſſis.
Quod niſi declinare ſolerent, omnia deorſum,
Imbris uti guttæ caderent per Inane profundum:
Nec foret offenſus natus, nec plaga creata
Principiis: ita nil unquam natura creaſſet.
Quod ſi forte aliquis credit graviora poteſſe
Corpora, quo citius rectum per Inane feruntur,
Incidere è ſupero levioribus, atque ita plagas
Gignere, quæ poſſint ginitaleis reddere motus:
Avius à vera longe ratione recedit.
Nam per aquas quæcunq; cadunt, atq; aera deorſum:
Hæc pro ponderibus caſus celerare neceſſe 'ſt,
Propterea, quia corpus aquæ, naturaque tenuis
Aeris haud poſſunt æque rem quamque morari:
Sed citius cedunt gravioribus exſuperata.
At contra nulli de nulla parte, neque ullo
Tempore Inane poteſt vacuum ſubſiſtere rei,
Quin, ſua quod natura petit, concedere pergat.
Omnia quapropter debent per Inane quietum
Æque ponderibus non æquis concita ferri.
Haud igitur poterunt levioribus incidere unquam
Ex ſupero graviora, neque ictus gignere per ie,
Qui varient motus, per quos natura genat res.
Quare etiam atque etiam paullum clinare neceſſe 'ſt
Corpora, nec plus quam minimum, ne fingere motus
Obliquos videamur, & id res vera refutet.
Namque hoc in promptu, manifeſtumq; eſſe videmus:
Pondera, quantum in ſe 'ſt, non poſſe obliqua meare,
Ex ſupero cum præcipitant, quod cernere poſſis.
Sed nihil omnino recta regione viai
Declinare quis eſt, qui poſſit cernere, ſeſe?

Denique

Denique si semper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur semper novus ordine certo:
Nec declinando faciunt primordia motus
Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat,
Ex infinito ne causam causa sequatur:
Libera per terras unde hæc animantibus extat,
Unde est hæc (inquam) fatis avolsa voluntas,
Per quam progredimur, quo ducit quemq; voluptas?
Declinamus item motus, nec tempore certo,
Nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens.
Nam dubio procul his rebus sua cuique voluntas
Principium dat: & hinc motus per membra rigantur.
Nonne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum
Vim cupidam tam desubito, quam mens avet ipsa?
Omnis enim totum per corpus materiai
Copia conquiri debet, concita per artus
Omneis ut studium mentis connexa sequatur:
Ut videas initium motus à corde creari,
Ex animique voluntate id procedere primum:
Inde dari porro per totum corpus & artus.
Nec simile 'st, ut cum impulsi procedimus ictu,
Viribus alterius magnis, magnoque coactu,
Nam tum materiam totius corporis omnem
Perspicuu'st nobis invitis ire, rapique,
Donicum eam refrænavit per membra voluntas.
Jamne vides igitur, quamquam vis extima multos
Pellit, & invitos cogit procedere sæpe,
Præcipiteisque rapit, tamen esse in pectore nostro
Quiddam, quod contra pugnare, obstareque possit:
Cujus ad arbitrium quoque copia materiai
Cogitur interdum flecti per membra, per artus,
Et projecta refrænatur, retroque refidit?
Quare in seminibus quoque idem fateare necesse 'st,
Esse aliam præter plagas, & pondera causam
Motibus, unde hæc est nobis innata potestas:
De nihilo quoniam fieri nil posse videmus.

Pondus

Pondus enim prohibet, ne plagis omnia fiant,
Externa quasi vi, sed ne mens ipsa necessum
Intestinum habeat cunctis in rebus agendis:
Et devicta quasi cogatur ferre, patique:
Id facit exiguum clinamen principiorum
Nec regione loci certa, nec tempore certo,
Nec stipata magis fuit unquam materiai
Copia, nec porro majoribus intervallis.
Nam neque adaugescit quicquam, neq; deperit inde.
Quapropter quo nunc in motu principiorum
Corpora, sunt, in eodem anteacta ætate fuere,
Et posthac semper simili ratione ferentur:
Et quæ consuerunt gigni, gignentur eadem
Conditione: & erunt, & crescent, inque valebunt,
Quantum cuique datum 'st per fœdera naturai.
Nec rerum summam commutare ulla potest vis.
Nam neque quo possit genus ullum materiai
Effugere ex Omni, quicquam 'st, neq; rursus, in Omne
Unde coorta queat nova vis irrumpere, & omnem
Naturam rerum mutare, & vertere motus.
Illud in his rebus non est mirabile: quare
Omnia cum rerum primordia sint in motu,
Summa tamen summa videatur stare quiete,
Præterquam si quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longe nostris ab sensibus infra
Primorum natura jacet: quapropter ubi illa
Cernere jam nequeas, motus quoq; surpere debent:
Præsertim cum quæ possimus cernere, celent
Sæpe tamen motus spatio diducta locorum.
Nam sæpe in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes, quo quamque vocantes
Invitant herbæ gemmantes rore recenti:
Et satiati agni ludunt, blandeque coniscant:
Omnia quæ nobis longe confusa videntur,
Et veluti in viridi candor consistere colli.
Præterea magnæ legiones cum loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cientes:

Et

Et circumvolitant equites, medioſque repente
Tramittunt valido quatientes impete campos:
Fulgur ibi ad cœlum ſe tollit, totaque circum
Aere renideſcit tellus, ſubterque virum vi
Excitur pedibus ſonitus, clamoreque montes
Icti rejectant voces ad ſidera mundi:
Et tamen eſt quidam locus altis montibus, unde
Stare videtur, & in campis conſiſtere fulgur.
Nunc age jam deinceps cunctarum exordia rerum,
Qualia ſint, & quam longe diſtantia formis,
Percipe, multigenis quam ſint variata figuris,
Non quod multa parum ſimili ſint prædita forma,
Sed quia non volgo paria omnibus omnia conſtant.
Nec mirum: nam cum ſit eorum copia tanta,
Ut neque finis (uti docui) neque ſumma ſit ulla:
Debent nimirum non omnibus omnia prorſum
Eſſe pari filo, ſimilique affecta figura.
Præterea genus humanum, mutæque natantes
Squammigerum pecudes, & læta arbuſta, feræque,
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant circum ripas, fonteiſque lacuſque:
Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes:
Horum unum quodvis generatim ſumere perge:
Invenies tamen inter ſe diſtare figuris.
Nec ratione alia proles cognoſcere matrem,
Nec mater poſſet prolem: quod poſſe videmus,
Nec minus, atque homines inter ſe nota cluere.
Nam ſæpe ante deum vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis exſpirans calidum de pectore flumen,
At mater virideis ſaltus orbata paragratis,
Linquit humi pedibus veſtigia preſſa biſulcis,
Omnia conviſens oculis loca, ſi queat uſquam
Conſpicere amiſſum fœtum: completque querelis
Frondiferum nemus adſiſtens: & crebra revifit
Ad ſtabulum, deſiderio perfixa juvenci.
Nec teneræ ſalices, atque herbæ rore vigentes,

Flumi-

Fluminaque ulla queunt ſummis labentia ripis
Oblectare animum, ſubitamque avertere curam:
Nec vitulorum aliæ ſpecies per pabula læta
Derivare queunt alio, curaque levare:
Uſque adeo quiddam proprium, notumque requirit.
Præterea teneri tremulis cum vocibus hœdi
Cornigeras norunt matres, agnique petulci
Balantum pecudes: ita, quod natura repoſcit,
Ad ſua quiſque fere decurrunt ubera lactis.
Poſtremo quodvis frumentum, non tamen omne
Quodque ſuo in genere inter ſe ſimile eſſe videbis,
Quin intercurrat quædam diſtantia formis,
Concharumque genus pariſi ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Littoris incurvi bibulam pavit æquor arenam.
Quare etiam atque etiam ſimili ratione neceſſe 'ſt,
Natura quoniam conſtant, neque facta manu ſunt,
Unius ad certam formam primordia rerum,
Diſſimili inter ſe quædam volitare figura.
Perfacile 'ſt jam animi ratione exſolvere nobis,
Quare fulmineus multo penetralior ignis,
Quam noſter fluat è tedis terreſtribus ortus.
Dicere enim poſſis cœleſtem fulminis ignem
Subtilem magis è parvis conſtare figuris:
Atque ideo tranſire foramina, quæ nequit ignis
Noſter hic è lignis ortus, tedaque creatus.
Præterea lumen per cornu tranſit: at imber
Reſpuitur: quare? niſi luminis illa minora
Corpora ſunt, quã de quibus eſt liquor almus aquarũ:
Et quamvis ſubito per colum vina videmus
Perfluere: at contra tardum cunctatur olivum,
Aut quia nimirum majoribus eſt elementis,
Aut magis hamatis inter ſe, perque plicatis.
Atque ideo fit uti non tam deducta repente
Inter ſe poſſint primordia ſingula quæque
Singula per cujuſque foramina permanare.
Huc accedit, uti mellis lactiſque liquores

Jucundo

Jucundo ſenſu linguæ tractentur in ore;
At contra tetra abſinthi natura, ferique
Centauri fœdo pertorquent ora ſapore:
Ut facile agnoſcas è lævibus, atque rotundis
Eſſe ea, quæ ſenſus jucunde tangere poſſunt:
At contra quæ amara, atque aſpera cunque videntur,
Hæc magis hamatis inter ſe nexa teneri,
Propterea quæ ſolere vias reſcindere noſtris
Senſibus, introituque ſuo perrumpere corpus.
Omnia poſtremo bona ſenſibus, & mala tactu,
Diſſimili inter ſe pugnant perfecta figura:
Ne tu forte putes ſerræ ſtridentis acerbum
Horrorem conſtare elementis lævibus æque
Ac Muſæa mele, per chordas organici quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant:
Neu ſimili penetrare putes primordia forma
In nareis hominum, cum tetra cadavera torrent,
Et cum ſcena croco Cilici perfuſa recens eſt,
Araque Panchæos exhalat propter odores:
Neve bonos rerum ſimili conſtare colores
Semine conſtituas, oculos qui paſcere poſſunt,
Et qui compangunt aciem, lacrymareque cogunt:
Aut fœda ſpecie tetri turpeſque videntur.
Omnis enim ſenſus quæ mulcet cauſa, juvatque,
Haud ſine principiali aliquo lævore creata 'ſt:
At contra, quæcunque moleſta, atque aſpera conſtat,
Non aliquo ſine materiæ ſqualore reperta 'ſt.
Sunt etiam quæ jam nec lævia jure putantur
Eſſe, neque omnino flexis mucronibus unca:
Sed magis angululis paullum proſtantibus, & quæ
Titillare magis ſenſus, quam lædere poſſunt:
Fæcula jam quo de genere 'ſt, inulæque ſapores.
Denique jam calidos igneis, gelidamque pruinam,
Diſſimili dentata modo compungere ſenſus
Corporis, indicio nobis eſt tactus uterque.
Tactus enim, tactus, pro divum numina ſancta,
Corporis eſt ſenſus, vel cum res extera ſeſe
Inſinuat,

Insinuat, vel cum lædit, quæ in corpore nata sit:
Aut juvat egrediens genitaleis per Veneris res:
Aut ex offensu cum turbant corpore in ipso
Semina, confundunteque inter se concita sensum:
Ut si forte manu quamvis jam corporis ipse
Tute tibi partem ferias, æque experiare.
Quapropter longe formas distare necesse 'st
Principiis, varios quæ possint edere sensus.
Denique, quæ nobis durata ac spissa videntur:
Hæc magis hamatis inter sese esse necesse 'st,
Et quasi ramosis alte compacta teneri.
In quo jam genere in primis adamantina saxa
Prima acie constant, ictus contemnere sueta,
Et validi silices, ac duri robora ferri,
Aeraque quæ claustris restantia vociferantur.
Illa autem debent ex lævibus atque rotundis
Esse magis, fluido quæ corpore liquida constant.
Nec retinentur enim inter se glomeramina quæque,
Et procursus item in proclive volubilis extat.
Omnia postremo quæ puncto tempore cernis
Diffugere, ut fumum, nebulas, flammasque necesse 'st,
Si minus omnibus sunt è lævibus atque rotundis,
At non esse tamen perplexis indupedita,
Pungere uti possint corpus, penetrareque saxa.
Nec tamen hærere inter se, quod quisque videmus
Sensibus esse datum: facile ut cognoscere possis
Non è perplexis, sed acutis esse elementis.
Sed quod amara vides eadem, quæ fluvida constant,
Sudor uti maris est, minime id mirabile habendum.
Nam quod fluvidum est, è lævibus atque rotundis
Est: at lævibus, atque rotundis mista doloris
Corpora: nec tamen hæc retineri hamata necessum 'st:
Scilicet esse globosa tamen, cum squalida constent,
Provolvi simul ut possint, & lædere sensus.
Et quo mista putes magis aspera lævibus esse
Principiis, unde 'st Nepruni corpus acerbum:
Est ratio secernundi, seorsumque videndi.

Humor

Humor dulcet ubi per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac manſueſcat.
Linquit enim ſupera tetri primordia viri
Aſpera, quo magis in terris hæreſcere poſſunt.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit, primordia rerum
Finita variare figurarum ratione.
Quod ſi non ita ſit, rurſum jam ſemina quædam
Eſſe infinito debebunt corporis auctu.
Namque in eadem una cujuſcujus brevitate
Corporis inter ſe multum variare figuræ
Non poſſunt: fac enim minimis è partibus eſſe
Corpora prima: tribus, vel paullo pluribus auge:
Nempe ubi eas parteis unius corporis omneis,
Summa atque ima locans, tranſmutans dextera lævis,
Omnimodis expertus eris, quam quiſque det ordo
Formai ſpeciem totius corporis ejus:
Quod ſupereſt, ſi forte voles variare figuras,
Addendum parteis alias erit: inde ſequetur
Adſimili ratione alias ut poſtulet ordo,
Si tu forte voles etiam variare figuras.
Ergo formai novitatem corporis augmen
Subſequitur: quare non eſt ut credere poſſis,
Eſſe infinitis diſtantia ſemina formis,
Ne quædam cogas immani maximitate
Eſſe: ſupra quod jam docui, non poſſe probari.
Jam tibi Barbaricæ veſtes, Meliboëaque fulgens
Purpura Theſſalico concharum tincta colore, &
Aurea pavonum ridenti imbuta lepore
Sæcla novo rerum ſuperata colore jacerent:
Et contemptus odor myrrhæ, melliſque ſapores,
Et cycnea mele, Phœbeaque dædala chordis
Carmina conſimili ratione oppreſſa filerent.
Namque aliis aliud præſtantius exoreretur.
Cedere item retro poſſent in deteriores
Omnia ſic parteis, ut diximus in meliores.
Namque aliis aliud retro quoque tetrius eſſet

Na-

Naribus, auribus, atque oculis orisque sapori.
Quæ quoniam non sunt in rebus reddita, certa &
Finis utrinque tenet summam: fateare necesse 'st
Materiam quoque finitis differre figuris.
Denique, ab ignibus ad gelidas, hiemisque pruinas,
Finitu 'st, retroque pari ratione remensu 'st.
Finit enim calor, ac frigus, mediique tepores
Inter utrumque jacent explentes ordine summam.
Ergo finita distant ratione creata:
Ancipiti quoniam mucrone utrinque notantur,
Hinc flammis, illinc rigidis infesta pruinis,
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit: primordia rerum,
Inter se simili quæ sunt perfecta figura,
Infinita cluere: etenim distantia cum sit
Formarum finita, necesse 'st, quæ similes sint,
Esse infinitas: aut summam materiai
Finitam constare: id quod non esse probavi.
Quod quoniam docui, nunc suaviloquis, age, paucis
Versibus ostendam, corpuscula materiai
Ex infinito summam rerum usque tenere,
Undique protelo plagarum continuato.
Nam quod rara vides magis esse animalia quædam
Fœcundamque minus naturam cernis in illis:
At regione, locoque alio, terrisque remotis
Multa licet genere esse in eo, numerumque repleri.
Sicuti quadrupedum cum primis esse videmus
In genere anguimanos elefantos, India quorum
Millibus è multis vallo munitur eburno,
Ut penitus nequeat penetrari, tanta ferarum
Vis est, quarum nos perpauca exempla videmus.
Sed tamen id quoque uti concedam, quamlibet esto
Unica res quædam nativo corpore sola,
Cui similis toto terrarum non sit in orbe:
Infinita tamen nisi erit vis materiai,
Unde ea progigni possit concepta; creari
Non poterit: neque, quod supereſt, procrescere, alique.
Quippe

Quippe etenim ſumant oculi, finita per omne
Corpora jactari unius genitalia reij;
Unde, ubi, qua vi, & quo pacto congreſſa coibunt
Materiæ tanto in pelago, turbaque aliena?
Non (ut opinor) habent rationem concifiandi:
Sed quaſi naufragiis magnis multiſque coortis,
Diſiectare ſolet magnum mare tranſtra, gubernia,
Antennas, proram, malos, tonſaſque natanteis,
Per terrarum omneis oras fluitantia apluſtra
Ut videantur, & indicium mortalibus edant,
Inſidi maris inſidias, vireiſque dolumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti:
Sic tibi ſi finita ſemel primordia quædam
Conſtituas, ævum debebunt ſparſa per omne
Diſiectare æſtus diverſi materiai:
Nunquam in concilium ut poſſunt compulſa coire:
Nec remorari in concilio, nec creſcere adaucta.
Quorum utrumque palam fieri manifeſta docet res:
Et res progigni, & genitas procreſcere poſſe.
Eſſe igitur genere in quovis primordia rerum
Infinita palam 'ſt, unde omnia ſuppeditantur:
Nec ſuperare queunt motus utique exitiales
Perpetuo, neque in æternum ſepelire ſalutem:
Nec porro rerum genitales auctificique
Motus perpetuo poſſunt ſervare creata.
Sic æquo geritur certamine principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum.
Nunc hic, nunc illic ſuperant vitalia rerum:
Et ſuperantur item: miſcetur funere vagor,
Quem pueri tollunt viſentes luminis oras:
Nec nox ulla diem, neque noctem aurora ſecuta 'ſt,
Quæ non audierit miſtos vagitibus ægris
Ploratus, mortis comites, & funeris atri.
Illud in his obſignatum quoque rebus habere
Convenit, & memori mandatum mente tenere:
Nil eſſe in promptu, quorum natura tenetur,

Quod

Quod genere ex uno consistat principiorum:
Nec quicquam, quod non permisto semine constet.
Et quam quicque magis multas vis possidet in se,
Atque potestates, ita pluria principiorum
In sese genera, ac varias docet esse figuras.
Principio tellus habet in se corpora prima,
Unde mare immensum volventes flumina fontes
Assidue renovent: habet, ignes unde oriantur.
Nam multis succensa locis ardent sola terræ.
Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ.
Tum porro nitidas fruges, arbustaque læta
Gentibus humanis habet unde extollere possit.
Unde etiam fluidas frondeis, & pabula læta
Montivago generi possit præbere ferarum,
Quare magna deum mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta 'st corporis una.
Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
Sublimem in curru bijugos agitare leones:
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem; neque posse in terra sistere terram.
Adjunxere feras, quia quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum.
Muralique caput summum cinxere corona:
Eximiis munita locis quod sustinet urbeis:
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrifice fertur divinæ matris imago.
Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem, Phrygiasque catervas
Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
Per terrarum orbem fruges cœpisse creari.
Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inventi sint,
Significare volunt indignos esse putandos,
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero cava tibia menteis,

Telaque

Telaque præportant violenti signa furoris,
Ingratos animos, atque impia pectora vulgi
Conterrere metu quæ possint numine divæ.
Ergo cum primum magnas invecta per urbeis
Munificat tacita mortaleis muta salute:
Aere atque argento sternunt iter omne viārum
Largifica stipe ditantes, ningunt que rosārum
Floribus umbrantes matrem, comitumque catervas.
Hic armata manus (Curetas nomine Graij
Quos memorant Phrygios) inter se forte catenas
Ludunt, in numerumque exsultant sanguine læti: &
Terrificas capitum quatientes numine cristas,
Dictæos referunt Curetas: qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum starent: pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret matri sub pectore volnus.
Propterea Magnam armati matrem comitantur,
Aut quia significant divam prædicere, ut armis,
Ac virtute velint patriam defendere terram:
Præsidioque parent, decorique parentibus esse.
Quæ bene, & eximie quamvis disposta ferantur,
Longe sunt tamen à vera ratione repulsa.
Omnis enim per se divum natura necesse 'st
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.
Terra quidem vero caret omni tempore sensu:
Sed quia multarum potitur primordia rerum,
Multa modis multis effert in lumina solis.
Hic si quis mare Neptunum, Cereremque vocare
Constituet fruges, & Bacchi nomine abuti
Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen:

Concedamus ut hic terrarum dictitet orbem
Esse deum matrem, dum re non sit tamen apse.
Sæpe itaque ex uno tondentes gramina campo
Lanigeræ pecudes & equorum duellica proles,
Buceriæque greges sub eodem tegmine cœli,
Ex unoque sitim sedantes flumine aquai,
Dissimili vivunt specie, retinentque parentum
Naturam, & mores generatim quæque imitantur:
Tanta 'st in quovis genere herbæ materiai
Dissimilis ratio: tanta 'st in flumine quoque.
Jam vero quamvis animantem ex omnibus unam
Ossa, cruor, venæ, calor, humor, viscera, nervi
Constituunt, quæ sunt porro distantia longe
Dissimili perfecta figura principiorum.
Tum porro quæcunque igni flammata cremantur.
Si nil præterea, tamen ex se ea corpora tradunt,
Unde ignem jacere, & lumen summittere possint:
Scintillasque agere, ac late differre favillam.
Cætera consimili mentis ratione peragrans,
Invenies intus multarum semina rerum
Corpore celare, & varias cohibere figuras.
Denique multa vides, quibus est odor, & sapor una,
Reddita sunt cum odore; imprimis pleraque dona,
Relligione animum turpi cum tangere parto.
Hæc igitur variis debent constare figuris:
Nidor enim penetrat, qua succus non it in artus:
Succus item seorsum & rerum sapor insinuatur
Sensibus, ut noscas primis differre figuris.
Dissimiles igitur formæ glomeramen in unum
Conveniunt: & res permisto semine constant.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides multis communia verbis:
Cum tamen inter se versus, ac verba necesse 'st
Confiteare alia ex aliis constare elementis.
Non quo multa parum communis littera currat,
Aut nulla inter se duo sint ex omnibus isdem:
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constant.

Sic

Sic aliis in rebus item communia multa,
Multarum rerum cum sint primordia, longe
Dissimili tamen inter se consistere summa
Possunt: ut merito ex aliis constare ferantur
Humanum genus, ac fruges, arbustaque læta.
Nec tamen omnimodis connecti posse putandu'st
Omnia: nam volgo fieri portenta videres:
Semiferas hominum species existere: & altos
Interdum ramos egigni corpore vivo:
Multaque connecti terrestria membra marinis.
Tum flammam tetro spiranteis ore Chimæras
Pascere naturam per terras omniparenteis.
Quorum nil fieri manifestu'st: omnia quando
Seminibus certis certa genitrice creata
Conservare genus crescentia posse videmus.
Scilicet id certa fieri ratione necesse 'st.
Nam sua cuique cibis ex omnibus intus in artus
Corpora discedunt: connexaque convenienteis
Efficiunt motus: at contra aliena videmus
Rejicere in terras naturam: multaque cæcis
Corporibus fugiunt è corpore percita plagis,
Quæ neque connecti cuiquam potuere, neque intra
Vitaleis motus consentire, atque animari.
Sed ne forte putes animalia sola teneri
Legibus his: eadem ratio res terminat omneis.
Nam veluti tota natura dissimiles sunt
Inter se genitæ res quæque: ita quamque necesse 'st
Dissimili constare figura principiorum:
Non quod multa parum simili sint prædita forma:
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constent.
Semina cum porro distent: differre necesse 'st
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus: quæ non animalia solum
Corpora sejungunt, sed terras, ac mare totum
Secernunt, cœlumque à terris omne retentant.
Nunc age dicta meo dulci quæsita labore
Percipe: ne forte hæc albis ex alba rearis

Principiis esse, ante oculos quæ candida cernis:
Aut ea, quæ nigrant, nigro de semine nata:
Neve, alium quemvis quæ sunt induta colorem,
Propterea gerere hunc credas, quod materiai
Corpora consimili sint ejus tincta colore.
Nullus enim color est omnino materiai
Corporibus, neque par rebus, neque denique dispar:
In quæ corpora si nullus tibi forte videtur
Posse animi injectus fieri, procul avius erras.
Nam cum cæcigeni, solis qui lumina nunquam
Aspexere, tamen cognoscant corpora tactu,
Ex ineunte ævo nullo contincta colore:
Scire licet menti quoque nostræ corpora posse
Verti in notitiam nullo circumlita fuco.
Denique nos ipsi cæcis quæcunque tenebris
Tangimus, haud ullo sentimus tincta colore.
Quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo.
Omnis enim color omnino mutatur in omneis:
Quod facere haud ullo debent primordia pacto,
Immutabile enim quiddam superare necesse 'st,
Ne res ad nihilum rediganter funditus omnes.
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Proinde colore cave contingas semina rerum:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
Præterea, si nulla coloris principiis est,
Reddita natura: at variis sunt prædita formis:
E quibus omnigenos gignunt variantque colores.
Præterea magni quod refert semina quæque
Cum quibus, & quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus accipiantque:
Perfacile extemplo rationem reddere possis,
Cur ea, quæ nigro fuerint paullo ante colore,
Marmoreo fieri possint candore repente:
Ut mare, cum magni commorunt æquora venti,
Vertitur in canos candenti marmore fluctus.
Dicere enim possis nigrum, quod sæpe videmus,

Mate-

Materies ubi permista 'st illius, & ordo
Principiis mutatus, & addita, demptaque quædam,
Continuo id fieri ut candens videatur, & album:
Quod si cæruleis constarent æquora ponti
Seminibus, nullo possent albescere pacto.
Nam quocunque modo perturbes, cærula quæ sint,
Nunquam in marmoreum possint migrare colorem.
Sin alio, atque alio sunt semina tincta colore,
Quæ maris efficiunt unum purumque nitorem:
Ut sæpe ex aliis formis, variisque figuris
Efficitur quiddam quadratum, unæque figuræ:
Conveniebat, uti in quadrato cernimus esse
Dissimileis formas: ita cernere in æquore ponti,
Aut alio in quovis uno puroque nitore
Dissimileis longe inter se varioſque colores.
Præterea, nihil officiunt, obstantque figuræ
Dissimiles, quo quadratum minus omne sit extra:
At varii rerum impediunt, prohibentque colores,
Quo minus esse una possit res tota nitore.
Tum porro, quæ ducit & inlicit, ut tribuamus
Principiis rerum nonnunquam, causa, colores,
Occidit, ex albis quoniam non alba creantur:
Nec quæ nigra cluent, de nigris: sed variis de.
Quippe etenim multo proclivius exorientur
Candida de nullo, quam de nigrante colore.
Aut alio quovis qui contra pugnet, & obstet.
Præterea, quoniam nequeunt sine luce colores
Esse, neque in lucem existunt primordia rerum:
Scire licet quam sint nullo velata colore.
Qualis enim cæcis poterit color esse tenebris,
Lumine qui mutatur in ipso, propterea quod
Recta aut obliqua percussus luce refulget?
Pluma Columbarum quo pacto in sole videtur,
Quæ sita cervices circum, collumque coronat.
Namque alias fit uti rubro fit clara pyropo:
Interdum quodam sensu fit, uti videatur
Inter cæruleum virideis miscere smaragdos.

Caudaque pavonis, larga cum luce repleta 'ſt,
Conſimili mutat ratione obverſa colores.
Qui, quoniam quodam gignuntur luminis ictu,
Scilicet id ſine eo fieri non poſſe putandu 'ſt.
Et quoniam plagæ quoddam genus excipit in ſe
Pupula, cum ſentire colorem dicitur album,
Atque aliud porro, nigrum cum, & cætera, ſentit,
Nec refert ea, quæ tangis, quo forte colore
Prædita ſint, verum quali magis apta figura:
Scire licet, nil principiis opus eſſe colores:
Sed variis formis varianteis edere tactus.
Præterea, quoniam non certis certa figuris
Eſt natura coloris, & omnia principiorum
Formamenta queunt in quovis eſſe nitore:
Cur ea, quæ conſtant ex illis, non pariter ſunt
Omnigenis perfuſa coloribus in genere omni?
Conveniebat enim corvos quoque ſæpe volanteis
Ex albis album pennis jactare colorem,
Et nigros fieri nigro de ſemine cycnos,
Aut alio quovis uno, varioque colore.
Quin etiam quanto in parteis res quæque minutas
Diſtrahitur magis, hoc magis eſt ut cernere poſſis
Evaneſcere paullatim, ſtinguique colorem.
Ut fit ubi in parvas parteis diſcerpitur aurum,
Purpura, pœniceuſque color clariſſimu' multo,
Filatim cum diſtractus diſperditur omnis:
Noſcere ut hinc poſſis, prius omnem efflare colorem
Particulas, quam diſcedant ad ſemina rerum.
Poſtremo, quoniam non omnia corpora vocem
Mittere concedis, neque odorem: propterea fit,
Ut non omnibus attribuas ſonitus, & odores:
Sic, oculis quoniam non omnia cernere quimus,
Scire licet, quædam tam conſtare orba colore,
Quam ſine odore ullo quædam, ſonituque remota:
Nec minus hæc animum cognoſcere poſſe ſagacem
Quam quæ ſunt aliis rebus privata, notiſque.
Sed ne forte putes ſolo ſpoliata colore

Corpora

Corpora prima manere: etiam ſecreta teporis
Sunt, ac frigoris omnino, calidique vaporis:
Et ſonitu ſterila, & ſucco jejuna feruntur:
Nec jaciunt ullum proprio de corpore odorem.
Sicut amaracini blandum, ſtactæque liquorem
Et nardi florem, nectar qui naribus halant,
Cum facere inſtituas: cum primis quærere par eſt,
Quoad licet, ac potis es reperire, inolentis olivi
Naturam, nullam quæ mittat naribus auram:
Quam minime ut poſſit miſtos in corpore odores,
Concoctoſque, ſuo contactos perdere viro.
Propterea demum debent primordia rerum
Non adhibere ſuum gignundis rebus odorem,
Nec ſonitum, quoniam nihil ab ſe mittere poſſunt:
Nec ſimili ratione ſaporem denique quemquam
Nec frigus, neque item calidum tepidumq; vaporem, &
Cætera, quæ cum ita ſunt tandē ut mortalia conſtent,
Molli lenta, fragoſa putri, cava corpore raro,
Omnia ſunt à principiis ſejuncta neceſſe 'ſt,
Immortalia ſi volumus ſubjungere rebus
Fundamenta, quibus nitatur ſumma ſalutis:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
Nunc ea, quæ ſentire videmus cunque neceſſe 'ſt
Ex inſenſilibus tamen omnia confiteare
Principiis conſtare: neque id manifeſta refutant,
Nec contra pugnant, in promptu cognita quæ ſunt:
Sed magis ipſa manu ducunt, & credere cogunt,
Ex inſenſilibus, quod dico, animalia gigni.
Quippe videre licet, vivos exiſtere vermeis
Stercore de tetro, putrorem cum ſibi nacta 'ſt
Intempeſtivis ex imbribus humida tellus:
Præterea cunctas itidem res vertere ſeſe.
Vertunt ſe fluvii, frondes, & pabula læta
In pecudes: vertunt pecudes in corpora noſtra
Naturam, & noſtro de corpore ſæpe ferarum
Augeſcunt vires, & corpora pennipotentum.
Ergo omneis natura cibos in corpora viva

Vertit, & hinc ſenſus animantum procreat omneis:
Non alia longe ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas, & in igneis omnia verſat.
Jamne vides igitur, magni primordia rerum
Referre in quali ſint ordine quæque locata?
Et commiſta quibus dent motus, accipiantque?
Dum porro quid id eſt, animum quod percutit ipſum?
Quod movet? & varios ſenſus expromere cogit,
Ex inſenſilibus ne credas ſenſile gigni?
Nimirum, lapides, & ligna, & terra quod una
Miſta, tamen nequeunt vitalem reddere ſenſum.
Illud in his igitur fœdus meminiſſe decebit,
Non ex omnibus omnino, quæcunque creant res,
Senſilia extemplo, & ſenſus me dicere gigni:
Sed magni referre, ea primum quantula conſtent,
Senſile quæ faciunt, & qua ſint prædita forma,
Motibus, ordinibus, poſituris denique quæ ſint:
Quarum nil rerum in lignis, glebiſque videmus.
Et tamen hæc cum ſunt quaſi putrefacta per imbreis,
Vermiculos pariunt, quia corpora materiai
Antiquis ex ordinibus, permota nova re
Conciliantur ita, ut debent animalia gigni.
Deinde ex ſenſilibus cum ſenſile poſſe creari
Conſtituunt, porro ex aliis ſentire ſuetis,
Mollia tum faciunt: nam ſenſus jungitur omnis
Viſceribus, nervis, venis, quæcunque videmus
Mollia mortali conſiſtere corpore creata.
Sed tamen eſto jam poſſe hæc æterna manere:
Nempe tamen debent aut ſenſum partis habere,
Aut ſimilia totis animalibus eſſe putari.
At nequeant per ſe partes ſentire, nec eſſe.
Nec manus à nobis potis eſt ſecreta, neque ulla
Corporis omnino ſenſum pars ſola tenere.
Namque alium ſenſus membrorum reſpuit omneis.
Linquitur ut totis animalibus adſimulentur;
Vitali ut poſſint conſentire undique ſenſu.
Qui poterunt igitur rerum primordia dici,

Et

Et lethi vitare vias, animalia cum sint,
Atque animalibu' sint mortalibus una, eademque?
Quod tamen ut possint ab cœtu, concilioque,
Nil facient, præter volgum, turbamque animantum:
Scilicet ut nequeant homines, armenta, feræque,
Inter sese ullam rem gignere conveniendo
Per Veneris res, extra homines, armenta, feraſque.
Quod si forte suum dimittunt corpore sensum,
Atque alium capiunt: quid opus fuit attribui, quod
Detrahitur? Tum præterea, quod fugimus ante,
Quatinus in pullos animaleis vertier ova
Cernimus alituum, vermeisque effervere, terram
Intempestivos cum putror cepit ob imbreis:
Scire licet gigni posse ex non sensibu' sensus.
Quod si forte aliquis dicet, duntaxat oriri
Posse ex non sensu sensus, sed mobilitate
Ante aliqua tanquam partum, quam proditur extra:
Huic satis illud erit planum facere, atque probare,
Non fieri partum, nisi concilio ante coacto:
Nec commutari quicquam sine conciliatu
Primorum, ut nequeunt ullius corporis esse
Sensus ante ipsam genitam naturam animantis.
Nimirum quia materies disiecta tenetur
Aere, fluminibus, terris, flammaque creatis:
Nec congressa modo vitaleis convenienti
Contulit inter se motus, quibus omnituentes
Accensi sensus animantem quamque tuentur.
Præterea quamvis animantem grandior ictus,
Quam patitur natura, repente adfligit, & omneis
Corporis, atque animi pergit confundere sensus.
Dissolvuntur enim posituræ principiorum,
Et penitus motus vitales impediuntur,
Donec materies omnis concussa per artus
Vitaleis animæ nodos è corpore solvit,
Dispersamque foras per caulas ejicit omneis.
Nam quid præterea facere ictum posse reamur
Oblatum, nisi discutere, ac dissolvere quæque?

Fit quoque, ut ſoleant minus oblato acriter ictu,
Reliquiæ motus vitalis vincere ſæpe,
Vincere, & ingenteis plagæ ſedare tumultus,
Inque ſuos quicquid rurſus revocare meatus,
Et quaſi jam lethi dominantem in corpore motum
Diſcutere, ac pœne amiſſos accendere ſenſus.
Nam, quare potius lethi jam limine ab ipſo
Ad vitam poſſint conlecta mente reverti,
Quam quo decurſum prope jam ſiet, ire, & abire?
Præterea quoniam dolor eſt ubi materiai
Corpora vi quadam per viſcera viva, per artus
Sollicitata ſuis trepidant in ſedibus intus:
Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas:
Scire licet, nullo primordia poſſe dolore
Tentari: nullamque voluptatem capere ex ſe:
Quandoquidem non ſunt ex ullis principiorum
Corporibus, quorum motus novitate laborent:
Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ.
Haud igitur debent eſſe ullo prædita ſenſu.
Denique, uti poſſint ſentire animalia quæque,
Principiis ſi etiam 'ſt ſenſus tribuendus eorum:
Quid? genus humanum propritim de quibu' factum'ſt,
Scilicet & riſu tremulo concuſſa cachinnant,
Et lacrymis ſpargunt rorantibus ora, genaſque,
Multaque de rerum miſtura dicere callent,
Et ſibi proporro quæ ſint primordia quærunt:
Quandoquidem totis mortalibus adſimulata
Ipſa quoque ex aliis debent conſtare elementis;
Inde alia ex aliis, nuſquam conſiſtere ut auſis.
Quippe ſequar, quodcunque loqui, ridereque dices,
Et ſapere, ex aliis eadem hæc facientibus, ut ſit.
Quod ſi délira hæc, furioſaque cernimus eſſe:
Et ridere poteſt ex non ridentibu' factus,
Et ſapere, & doctis rationem reddere dictis,
Non ex ſeminibus ſapientibus, atque diſertis:
Qui minus eſſe queant ea, quæ ſentire videmus
Seminibus permiſta carentibus undique ſenſu?

Denique

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est, unde alma liquenteis
Humorum guttas Mater cum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta,
Et genus humanum: parit omnia læcla ferarum.
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant.
Quapropter merito maternum nomen adepta 'st.
Cedit item retro de terra quod fuit ante,
In terras: & quod missum 'st ex ætheris oris,
Id rursum cœli rellatum templa receptant:
Nec sic interimit mors res, ut materiai
Corpora conficiat, sed cœtum dissupat ollis:
Inde aliis aliud conjungit, & efficit, omnes
Res ut convertant formas, mutentque colores,
Et capiant sensus, & puncto tempore reddant:
Ut noscas referre, eadem primordia rerum,
Cum quibus, & quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiantque:
Neve putes æterna penes residere potesse
Corpora prima, quod in summis fluitare videmus
Rebus, & interdum nasci, subitoque perire:
Quin etiam refert nostris in versibus ipsis,
Cum quibus, & quali sint ordine quæque locata.
Namque eadem cœlum, mare, terras, flumina, solem
Significant: eadem fruges, arbusta, animanteis:
Si non omnia sint, at multo maxima pars est
Consimilis: verum positura discrepitant hæc.
Sic ipsis in rebus item jam materiai
Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
Concursus, motus, ordo, positura, figuræ
Cum permutantur, mutari res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem
Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis
Accidere, & nova se species ostendere rerum.
Sed neque tam facilis res ulla 'st, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum constet: itemque

Nil

Nil adeo magnum, nec tam mirabile quicquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paullatim, ut cœli clarum purumque colorem,
Quemque in se cohibent palantia sidera passim,
Lunæque, & solis præclara luce nitorem:
Omnia quæ si nunc primum mortalibus adsint,
Ex improviso ceu sint objecta repente:
Quid magis his rebus poterat mirabile dici:
Aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
Nulli (ut opinor) ita hæc species miranda fuisset,
Quam tibi; jam nemo fessus satiate videndi
Suspicere in cœli dignatur lucida templa.
Desinequapropter novitate exterritus ipsa
Exspuere ex animo rationem: sed magis acri
Judicio perpende, &, si tibi vera videtur,
Dede manus: aut, si falsa est, accingere contra.
Quærit enim rationem animus, cum summa loci sit
Infinita foris, hæc extra mœnia mundi:
Quid sit ibi porro, quo prospicere usque velit mens,
Atque animi tractus liber quo pervolet ipse.
Principio nobis in cunctas undique parteis,
Et latere ex utroque, infra, superaque, per Omne
Nulla 'st finis, (uti docui) res ipsaque per se
Vociferatur, & elucet natura profundi.
Nullo jam pacto verisimile esse putandum 'st
Undique cum vorsus spatium vacet infinitum,
Seminaque innumero numero, summaque profunda
Multimodis volitent æterno percita motu:
Hunc unum terrarum orbem, cœlumque creatum:
Nil agere illa foris tot corpora materiai.
Cum præsertim hic sit natura factus, & ipsa
Sponte sua forte offensando semina rerum
Multimodis, temere, incassum, frustraque coacta,
Tandem coaluerint ea, quæ conjecta repente
Magnarum rerum fierent exordia semper,
Terrai, maris, & cœli, generisque animantum.
Quare etiam atque etiam taleis fateare necesse 'st

Esse

Esse alios alibi congressus materiai,
Qualis hic est, avido complexu quem tenet æther.
Præterea cum materies est multa parata:
Cum locus est præsto: nec res, nec causa moratur
Ulla: geni debent nimirum, & confieri res.
Nunc & seminibus si tanta 'st copia, quantam
Enumerare ætas animantum non queat omnis:
Visque eadem, & natura manet, quæ semina rerum
Conjicere in loca quæque queat, simili ratione,
Atque huc sunt conjecta: necesse 'st confiteare
Esse alios aliis terrarum in partibus orbeis,
Et varias hominum genteis, & sæcla ferarum.
Huc accedit, ut in summa res nulla sit una,
Unica quæ gignatur, & unica, solaque crescat:
Quin cujusque sient sæcli, permultaque eodem
Sint genere: in primis animalibus indice mente.
Invenies sic montivagum genus esse ferarum,
Sic hominum genitam prolem, sic denique mutas
Squammigerum pecudes, & corpora cuncta volantum.
Quapropter cœlum simili ratione fatendum 'st,
Terramque, & solem, lunam, mare, cætera, quæ sunt,
Non esse unica, sed numero magis innumerali,
Quandoquidem vitæ depactus terminus alte
Tam manet his, & tam nativo hæc corpore constant,
Quam genus omne, quod his generatim rebus abundat.
Quæ bene cognita si teneas: natura videtur
Libera continuo dominis privata superbis,
Ipsa sua per se sponte omnia Diis agere expers.
Nam pro sancta Deum tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt ævum, vitamque serenam,
Quis regere immensi summam, quis habere profundi
Indu manu validas potis est moderanter habenas?
Quis pariter cœlos omneis convertere? & omneis
Ignibus ætheriis terras suffire feraceis?
Omnibus inque locis esse omni tempore præsto?
Nubibus ut tenebras faciat, cœlique serena
Concutiat sonitu? tum fulmina mittat, & ædeis

Sæpe

Sæpe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens
Sæviat exercens telum, quod ſæpe nocenteis
Præterit, exanimatque indignos, inque merenteis?
Multaque poſt mundi tempus genitale, diemque
Primigenum maris, & terræ, ſoliſque coortum,
Addita corpora ſunt extrinſecus, addita circum
Semina, quæ magnum jaculando contulit Omne:
Unde mare, & terræ poſſent augeſcere: & unde
Adpareret ſpatium cœli domus, altaque tecta
Tolleret à terris procul, & conſurgeret aer.
Nam ſua cuique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora diſtribuuntur, & ad ſua ſæcla recedunt:
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Creſcit; & ignem ignes procudunt, ætheraque æther:
Donicum ad extremum creſcendi perfica finem
Omnia perduxit rerum natura creatrix:
Ut ſit, ubi nihilo jam plus eſt, quod datur intra
Vitaleis venas, quam quod fluit, atque recedit:
Omnibus his ætas debet conſiſtere rebus:
His natura ſuis refrænat viribus auctum.
Nam, quæcunque vides hilaro grandeſcere adauctu,
Paullatimque gradus ætatis ſcandere adultæ:
Plura ſibi adſumunt, quam de ſe corpora mittunt,
Dum facile in venas cibus omnis diditur: & dum
Non ita ſunt late diſperſa, ut multa remittant:
Et plus diſpendi faciant, quam veſcitur ætas,
Nam certe fluere, ac decedere corpora rebus
Multa, manus dandum 'ſt: ſed plura accedere debent,
Donicum oleſcendi ſummum tetigere cacumen.
Inde minutatim vireis, & robur adultum
Frangit, & in partem pejorem liquitur ætas.
Quippe etenim quanto eſt resamplior, augmine demto,
Et quo latior eſt, in cunctas undique parteis
Plura eo diſpergit, & à ſe corpora mittit:
Nec facile in venas cibus omnis diditur eij:
Nec ſitis eſt, quæ per largos exæſtuat æſtus,
Unde queat tantum ſuboriri, ac ſuppeditare,

Quantum

Quantum opus eſt, & quod ſatis eſt, natura novare.
Jure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo
Sunt; & cum externis ſuccumbunt omnia plagis:
Quandoquidem grandi cibus ævo denique deſit:
Nec tuditantia rem ceſſant extrinſecus ullam
Corpora conficere, & plagis infeſta domare.
Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
Expugnata dabunt labem, putreiſque ruinas.
Omnia debet enim cibus integrare novando:
Nequicquam, quoniam nec venæ perpetiuntur
Quod ſatis eſt, neq; quantũ opus eſt, natura miniſtrat.
Jamque adeo affecta eſt ætas, effœtaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud (ut opinor) enim mortalia ſæcla ſuperne
Aurea de cœlo demiſit funis in arva:
Nec mare, nec fluctus plangentes ſaxa crearunt:
Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit ex ſe.
Præterea nitidas fruges, vinetaque læta
Sponte ſua primum mortalibus ipſa creavit:
Ipſa dedit dulceis fœtus, & pabula læta:
Quæ nunc vix noſtro grandeſcunt aucta labore:
Conterimuſque boves, & vireis agricolarum:
Conficimus ferrum vix arvis ſuppeditati:
Uſque adeo pereunt fœtus, augentque labores.
Jamque caput quaſſans grandis ſuſpirat arator
Crebrius incaſſum magnum cecidiſſe laborem:
Et cum tempora temporibus præſentia confert
Præteritis, laudat fortunas ſæpe parentis:
Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum
Perfacile anguſtis tolerarit finibus ævum,
Cum minor eſſet agri multo modus ante viritim:
Nec tenet, omnia paullatim tabeſcere, & ire
Ad ſcopulum ſpatio ætatis defeſſa vetuſto.

T. LUCRETII.

LIBER TERTIUS.

E Tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, inluſtrans commoda vitæ:
Te ſequor ô Graiæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis,
Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quod te imitari aveo: quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi
Conſimile in curſu poſſint, ac fortis equi vis?
Tu pater, & rerum inventor: tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuiſque ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in ſaltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita.
Nam ſimul ac ratio tua cœpit vociferari,
Naturam rerum haud divina mente coortam,
Diffugiunt animi terrores, mœnia mundi
Diſcedunt, totum video per Inane geri res.
Apparet divum numen, ſedeſque quietæ:
Quas neque concutiunt venti neque nubila nimbis
Adſpergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat: ſemperque innubilus æther
Integit, & large diffuſo lumine ridet.
Omnia ſuppeditat porro natura, neque ullâ
Res animi pacem delibrat tempore in ullo.
At contra nuſquam apparent Acheruſia templa:

Nec

Nec tellus obstat, quin omnia dispiciantur,
Sub pedibus quæcunque infra per Inane geruntur.
His tibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit, atque horror, quod sic natura tua vi
Tam manifesta patet ex omni parte retecta.
Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia sint: & quam variis distantia formis
Sponte sua volitent alterno percita motu,
Quoque modo possint ex his res quæque creari:
Hasce secundum res animi natura videtur,
Atque animæ claranda meis jam versibus esse:
Et metus ille foras præceps Acherontis agendus
Funditus: humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore: neque ullam
Esse voluptatem liquidam puramque relinquit.
Nam, quod sæpe homines morbos magis esse timendos
Infamemque ferunt vitam, quam Tartara lethi,
Et se scire animi naturam, sanguinis esse, Virg. G. 2. 484.
Nec prorsum quicquam nostræ rationis egere:
Hinc licet advertas animum, magis omnia laudis,
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
Jactari causa, quam quod res ipsa probetur:
Extorres iidem patria, longeque fugati
Conspectu ex hominum, fœdati crimine turpi,
Omnibus ærumnis affecti denique vivunt:
Et quocunque tamen miseri venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, & Manibu' divis
Inferias mittunt: multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad relligionem.
Quo magis in dubiis hominem spectare periclis
Convenit, adversisque in rebus noscere qui sit.
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciunt, & eripitur persona, manet res.
Denique avarities, & honorum cæca cupido,
Quæ miseros homines cogunt transcendere fineis
Juris, & interdum socios scelerum, atque ministros
Nocteis atque dies niti præstante labore

Ad-

Ad ſummas emergere opeis: hæc volnera vitæ
Non minimam partem mortis formidine aluntur.
Turpis enim fama, & contemptus, & acris egeſtas
Semota ab dulci vita ſtabilique videntur:
Et quaſi jam lethi portas cunctarier ante:
Unde homines, dum ſe falſo terrore coacti
Reffugiſſe volunt longe, longeque receſſe:
Sanguine civili rem conflant: divitiaſque
Conduplicant avidi, cædem cædi accumulantes.
Crudeles gaudent in triſti funere fratris:
Et conſanguineum menſas odere, timentque.
Conſimili ratione ab eodem ſæpe timore
Macerat invidia ante oculos illum eſſe potentem,
Illum aſpectari, clarus qui incedit honore:
Ipſi ſe in tenebris volvi, cœnoque queruntur.
Intereunt partim ſtatuarum, & nominis ergo:
Et ſæpe uſque adeo mortis formidine vitæ
Percipit humanos odium, luciſque videndæ,
Ut ſibi conſciſcant mœrenti pectore lethum,
Obliti fontem curarum hunc eſſe timorem,
Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiai
Rumpere, & in ſumma pietatem evertere fundo.
Nam jam ſæpe homines patriam, caroſque parenteis
Prodiderunt, vitare Acheruſia templa petentes.
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ſic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe 'ſt
Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratioque.
Primum animum dico, mentem quem ſæpe vocamus,
In quo conſilium vitæ, regimenque locatum 'ſt,
Eſſe hominis partem nihilo minus, ac manus, & pes,
Atque oculi, partes animantis totius extant.
Quamvis multa quidem ſapientum turba putarunt
Senſum animi certa non eſſe in parte locatum:

Verum

Verum habitum quendam vitalem corporis esse,
Harmoniam Graij quam dicunt, quod faciat nos
Vivere cum sensu, nulla cum in parte siet mens:
Ut bona sæpe valetudo cum dicitur esse
Corporis, & non est tamen hæc pars ulla valentis:
Sic animi sensum non certa parte reponunt:
Magnopere in quo mi diversi errare videntur.
Sæpe utiq; in promptu corpus, quod cernitur, ægrit,
Cum tamen ex alia lætamur parte latenti:
Et retro fit, uti contra sit sæpe vicissim,
Cum miser ex animo, lætatur corpore toto:
Non alio pacto, quam si pes cum dolet ægri,
In nullo caput interea sit forte dolore.
Præterea molli somno cum dedita membra,
Effusumque jacet sine sensu corpus onustum:
Est aliud tamen in nobis, quod tempore in illo
Multimodis agitatur, & omneis accipit in se
Lætitiæ motus, & curas cordis inaneis.
Nunc animam quoq; ut in membris cognoscere possis
Esse, neque harmoniam corpus retinere solere:
Principio fit, uti detracto corpore multo,
Sæpe tamen nobis in membris vita moretur.
Atque eadem rursus cum corpora pauca caloris
Diffugere, forasque per os est editus aer:
Deserit extemplo venas, atque ossa relinquit:
Noscere ut hinc possis, non æquas omnia parteis
Corpora habere, neque ex æquo fulcire salutem:
Sed magis hæc, venti quæ sunt, calidique vaporis
Semina, curare in membris ut vita moretur.
Est igitur calor, ac ventus vitalis in ipso
Corpore, qui nobis moribundos deserit artus.
Quapropter, quoniam 'st animi natura reperta,
Atque animæ, quasi pars hominis: redde harmoniai
Nomen ab organico saltu delatum Heliconis,
Sive aliunde ipsi porro traxere: & in illam
Transtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat,
Quicquid id est, habeant: tu cætera percipe dicta.

Nunc

Nunc animum, atque animam dico conjuncta teneri
Inter se, atque unam naturam conficere ex se:
Sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto
Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus;
Idque situm media regione in pectoris hæret.
Hic exsultat enim pavor, ac metus: hæc loca circum
Lætitiæ mulcent: hic ergo mens, animusque 'st.
Cætera pars animæ per totum dissita corpus
Paret: & ad numen mentis, momenque movetur:
Idque sibi solum per se sapit, & sibi gaudet:
Cum neque res animam, neque corpus commovet ulla.
Et quasi cum caput aut oculus, tentante dolore,
Læditur in nobis, non omni concruciamur
Corpore: sic animus nonnunquam læditur ipse,
Lætitiaque viget, cum cætera pars animai
Per membra, atque artus nulla novitate cietur.
Verum ubi vehementi magis est commota metu mens,
Consentire animam totam per membra videmus:
Sudores itaque & pallorem exsistere toto
Corpore, & infringi linguam, vocemque aboriri,
Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus.
Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpe homines: facile ut quivis hinc noscere possit,
Esse animā cum animo conjunctā: quæ cum animi vi
Percussa 'st, exin corpus propellit, & icit.
Hæc eadem ratio naturam animi, atque animai
Corpoream docet esse: ubi enim propellere membra,
Conripere ex somno corpus, mutareque vultum,
Atque hominem totum regere ac versare videtur:
(Quorum nil fieri sine tactu posse videmus:
Nec tactum porro sine corpore) nonne fatendum 'st
Corporea natura animum constare, animamque?
Præterea pariter fungi cum corpore: & una
Consentire animum nobis in corpore cernis.
Si minus offendit vitam vis horrida lethi
Ossibus ac nervis discluſis intus adacta:
Attamen insequitur languor, terræque petitus

Sua-

Suavis, & in terra mentis qui gignitur æstus,
Interdumque quasi exsurgendi incerta voluntas.
Ergo corpoream naturam animi esse necesse 'st:
Corporeis quoniam telis ictuque laborat.
Is tibi nunc animus quali sit corpore, & unde
Constiterit, pergam rationem reddere dictis.
Principio esse aio persubtilem atque minutis
Perquam corporibus factum constare: id ita esse
Hinc licet advertas animum, ut pernoscere possis.
Nil adeo fieri celeri ratione videtur,
Quam si mens fieri proponit, & inchoat ipsa.
Ocius ergo animus, quam res se perciet ulla,
Ante oculos quarum in promptu natura videtur.
At quod mobile tantopere 'st, constare rotundis
Per quam seminibus debet, perquamque minutis:
Momine uti parvo possint impulsa moveri.
Namque movetur aqua, & tantillo momine flutat:
Quippe volubilibus, parvisque creata figuris.
At contra mellis constantior est natura,
Et pigri latices magis, & cunctantior actus.
Hæret enim inter se magis omnis materiai
Copia: nimirum quia non tam lævibus extat
Corporibus, neque tam subtilibus atque rotundis:
Namque papaverum, aura potest suspensa, levisque
Cogere, ut ab summo tibi diffluat altus acervus:
At contra lapidum conjectum, spiclorumque
Nenu potest: igitur parvissima corpora quanto
Et lævissima sunt, ita mobilitata feruntur.
At contra quo quæque magis cum pondere magno,
Asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt.
Nunc igitur, quoniam 'st animi natura reperta
Mobilis egregie: per quam constare necesse 'st
Corporibus parvis & lævibus atque rotundis.
Quæ tibi cognita res in multis, ô bone, rebus
Utilis invenietur, & opportuna cluebit,
Hæc quoque res etiam naturam delinquat ejus,
Quam tenui constet textura: quamque loco se

Con-

Contineat parvo, si possit conglomerari:
Quod simul atque hominem lethi secura quies est
Indepta, atque animi natura, animæque recessit:
Nil ibi limatum de toto corpore cernas
Ad speciem, nil ad pondus: mors omnia præstat,
Vitalem præter sensum, calidumque vaporem.
Ergo animam totam perparvis esse necesse 'st
Seminibus, nexam per venas, viscera, nervos:
Quatinus omnis ubi è toto jam corpore cessit,
Extima membrorum circum-cæsura tamen se
Incolumem præstat: nec defit ponderis hilum:
Quod genus est Bacchi cum flos evanuit, aut cum
Spiritus unguenti suavis diffugit in auras:
Aut aliquo cum jam succus de corpore cessit:
Nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quicquam:
Nimirum, quia multa, minutaque semina succos
Efficiunt, & odorem in toto corpore rerum.
Quare etiam atque etiam mentis naturam, animæque
Scire licet per quam pauxillis esse creatam
Seminibus: quoniam fugiens nil ponderis aufert.
Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda 'st.
Tenuis enim quædam moribundos deserit aura
Mista vapore: vapor porro trahit aera secum:
Nec calor est quisquam, cui non sit mistus & aer.
Rara quod ejus enim constat natura, necesse 'st
Aeris inter eum primordia multa cieri.
Jam triplex animi 'st igitur natura reperta.
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum:
Nil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus, quædam qui mente volutent.
Quarta quoque his igitur quædam natura necesse 'st
Attribuatur: ea 'st omnino nominis expers:
Qua neque mobilius quicquam, neque tenuius extat,
Nec magis è parvis, aut lævibus ex elementis:
Sensiferos motus quæ didit prima per artus.
Prima cietur enim parvis perfecta figuris:

Inde

Inde calor motus, & venti cæca poteſtas
Accipit: inde aer: inde omnia mobilitantur:
Tum quatitur ſanguis, tum viſcera perſentiſcunt
Omnia: poſtremis datur oſſibus, atque medullis
Sive voluptas eſt, ſive 'ſt contrarius ardor.
Nec temere huc dolor uſq; poteſt penetrare, neq; acre
Permanare malum, quin omnia perturbentur:
Uſque adeo ut vitæ deſit locus, atque animai
Diffugiant partes per caulas corporis omneis.
Sed plerumque fit in ſummo quaſi corpore finis
Motibus: hanc ob rem vitam retinere valemus.
Nunc ea quo pacto inter ſeſe miſta, quibuſque
Compta modis vigeant, rationem reddere aventem
Abſtrahit invitum patrij ſermonis egeſtas.
Sed tamen, ut potero ſummatim attingere, tangam.
Inter enim curſant primordia principiorum
Motibus inter ſe: nihil ut ſecernier unum
Poſſit, nec ſpatio fieri diviſa poteſtas:
Sed quaſi multæ vis unius corporis extant.
Quod genus in quovis animantum viſcere volgo
Eſt odor, & quidam calor, & ſapor: & tamen ex his
Omnibus eſt unum perfectum corporis augmen.
Sic calor, atque aer, & venti cæca poteſtas
Miſta creant unam naturam, & mobilis illa
Vis, initium motus ab ſe quæ dividit ollis,
Senſifer unde oritur primum per viſcera motus.
Nam penitus prorſum latet hæc natura, ſubeſtque:
Nec magis hæc infra quicquam eſt in corpore noſtro:
Atque anima 'ſt animæ proporro totius ipſa:
Quod genus in noſtris membris, & corpore toto
Miſta latens animi vis eſt, animæque poteſtas:
Corporibus quia de parvis, pauciſque creata 'ſt.
Sic tibi nominis hæc expers vis, facta minutis
Corporibus latet: atque animai totius ipſa
Proporro 'ſt anima, & dominatur corpore toto
Conſimili ratione neceſſe 'ſt ventus, & aer,
Et calor inter ſe vigeant commiſta per artus:

Atque

Atque aliis aliud ſubſit magis, emineatque:
Ut quiddam fieri videatur de omnibus unum:
Ne calor, ac ventus ſeorſum, ſeorſumque poteſtas
Aeris interimant ſenſum, diductaque ſolvant.
Eſt etiam calor ille animo, quem ſumit in ira,
Cum ferveſcit, & ex oculis micat acribus ardor.
Eſt & frigida multa comes formidinis aura:
Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati ſtatus aeris ille,
Pectore tranquillo qui fit, voltuque ſereno.
Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda,
Iracundaque mens facile efferveſcit in ira:
Quo genere in primis vis eſt violenta leonum:
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes:
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.
At ventoſa magis cervorum frigida mens eſt:
Et gelidas cieris per viſcera concitat auras:
Quæ tremulum faciunt membris exiſtere motum.
At natura boum placido magis aere vivit:
Nec nimis irai fax unquam ſubdita percit
Fumida ſuffundens cæcæ caliginis umbras:
Nec gelidi torpet telis perfixa pavoris:
Inter utroſque ſita 'ſt cervos, ſævoſque leones.
Sic hominum genus eſt, quamvis doctrina politos
Conſtituat pariter quoſdam, tamen illa relinquit
Naturæ cujuſque animæ veſtigia prima.
Nec radicitus evelli mala poſſe putandum 'ſt,
Quin proclivius hic iras decurrat ad acreis:
Ille metu citius paullo tentetur: at ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo.
Inque aliis rebus multis differre neceſſe 'ſt
Naturas hominum varias, moreſque ſequaceis:
Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere cauſas:
Nec reperire figurarum tot nomina, quot ſunt
Principiis, unde hæc oritur variantia rerum.
Illud in his rebus videor firmare poteſſe,
Uſque adeo naturarum veſtigia linqui

Parvola,

Parvola, quæ nequeat ratio depellere doctis:
Ut nihil impediat dignam Diis degere vitam.
Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni:
Ipsaque corporis est custos, & causa salutis.
Nam communibus inter se radicibus hærent:
Nec sine pernicie divelli posse videntur.
Quod genus è turis glebis evellere odorem
Haud facile 'st, quin intereat natura quoque ejus.
Sic animi, atque animæ naturam corpore toto
Extrahere haud facile 'st, quin omnia dissolvantur:
Implexis ita principiis ab origine prima
Inter se fiunt consorti prædita vita:
Nec sine vi quicquam alterius sibi posse videtur
Corporis, atque animi seorsum sentire potestas:
Sed communibus inter eos conflatur utrinque
Motibus accensus nobis per viscera sensus.
Præterea corpus per se nec gignitur unquam,
Nec crescit, nec post mortem durare videtur.
Non enim ut humor aquæ dimittit sæpe vaporem,
Qui datus est, neque ab hac causa convellitur ipse,
Sed manet incolumis: non, inquam, sic animai
Discidium possunt artus perferre relicti:
Sed penitus pereunt convolsi, conque putrescunt.
Ex ineunte ævo sic corporis atque animai
Mutua vitaleis discunt contagia motus,
Maternis etiam in membris, alvoque reposta;
Discidium ut nequeat fieri sine peste, maloque:
Ut videas, quoniam conjuncta 'st causa salutis,
Conjunctam quoque naturam consistere eorum.
Quod supereſt, si quis corpus sentire renutat:
Atque animam credit permistam corpore toto
Suscipere hunc motum, quem sensum nominitamus:
Vel manifestas res contra, verasque repugnat.
Quid sit enim corpus sentire quis afferet unquam,
Si non ipsa palam quod res dedit ac docuit nos?
At dimissa anima corpus caret undique sensu,
Multaque præterea perdit, cum expellitur ævo.

Dicere porro oculos nullam rem cernere posse:
Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
Desipere 'st, contra cùm sensus dicat eorum:
Sensus enim trahit, atque acies detrudit ad ipsas.
Fulgida præsertim cùm cernere sæpe nequimus,
Lumina luminibus quia nobis præpediuntur:
Quod foribus non fit: neque enim, quà cernimus ipsi,
Ostia suscipiunt ullum reclusa laborem.
Præterea si pro foribus sunt lumina nostra,
Jam magis exemptis oculis debere videtur
Cernere res animus sublatis postibus ipsis.
Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
Corporis atque animi primordia singula primis
Adposita alternis variare, ac nectere membra.
Nam cùm multo sint animai elementa minora,
Quàm quibus è corpus nobis & viscera constant:
Tum numero quoque concedunt, & rara per artus
Dissita sunt, duntaxat ut hoc promittere possis,
Quantula prima queant nobis injecta ciere
Corpora sensiferos motus in corpore, tanta
Intervalla tenere exordia prima animai.
Nam neque pulveris interdum sentimus adhæsum
Corpore, nec membris incussam insidere cretam,
Nec nebulam noctu, nec aranei tenuia fila
Obvia sentimus, quando obretimur euntes:
Nec supra caput ejusdem cecidisse vietam
Vestem, nec plumas avium, papposque volanteis,
Qui nimia levitate cadunt plerumque gravatim.
Nec repentis itum cujusvis cunque animantis
Sentimus, nec priva pedum vestigia quæque,
Corpore quæ in nostro culices, & cætera ponunt.
Usque adeo prius est in nobis multa ciendum
Semina, corporibus nostris immista per artus,
Quàm primordia sentiscant concussa animai,
Et quàm intervallis tantis tuditantia possint
Concursare, coire & dissultare vicissim.

Et

Et magis est animus vitai clausstra coercens,
Et dominantior ad vitam, quàm vis animai.
Nam sine mente, animoq; nequit residere per artus
Temporis exiguam partem pars ulla animai:
Sed comes insequitur facile, & discedit in auras,
Et gelidos artus in lethi frigore linquit.
At manet in vita, cui mens animusque remansit,
Quamvis est circum-cæsis lacer undique membris:
Truncus, ademta anima circum, membrisque remotis,
Vivit, & ætherias vitaleis suscipit auras,
Si non omnimodis, at magna parte animai
Privatus, tamen in vita cunctatur, & hæret.
Ut lacerato oculo circum si pupula manfit
Incolumis, stat cernendi vivata potestas;
Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem,
Sed circumcidas aciem, solamque relinquas:
Id quoque enim sine pernicie confiet eorum,
At si tantula pars oculi media illa peresa 'st,
Incolumis quamvis alioqui splendidus orbis,
Occidit extemplo lumen, tenebræque sequuntur:
Hoc anima atque animus vincti sunt fœdere semper.
Nunc age, nativos animantibus, & mortaleis
Esse animos, animasque leveis ut noscere possis:
Conquisita diu, dulcique reperta labore
Digna tua pergam disponere carmina vita.
Tu fac utrumque uno subjungas nomen eorum;
Atque animam, verbi causa, cum dicere pergam,
Mortalem esse docens; animum quoq; dicere credas,
Quatinus est unum inter se, conjunctaque res est.
Principio, quoniam tenuem constare minutis
Corporibus docui, multoque minoribus esse
Principiis factam, quàm liquidus humor aquai 'st,
Aut nebula, aut fumus: (nam longe mobilitate
Præstat, & à tenui causa magis icta movetur:
Quippe ubi imaginibus fumi, nebulæque movetur:
Quod genus in somnis sopiti ubi cernimus alta
Exhalare vapore altaria, ferreque fumum:

Nam procul hæc dubio nobis simulacra genuntur:)
Nunc igitur quoniam quassatis undique vasis
Diffluere humorem, & laticem discedere cernis:
Et nebula ac fumus quoniam discedit in auras:
Crede animam quoque diffundi, multoque perire
Ocius, & citius dissolvi corpora prima,
Cum semel omnibus è membris ablata recessit.
Quippe etenim corpus quod vas quasi constitit ejus,
Cum cohibere nequit conquassatum ex aliqua re,
Ac rarefactum, detracto sanguine venis.
Aere quî credas posse hanc cohiberier ullo?
Corpore qui nostro rarus magis am cohibessit?
Præterea gigni pariter cum corpore, & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore: sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas:
Consilium quoque majus, & auctior est animi vis,
Post ubi jam validis quassatu'st viribus ævi
Corpus; & obtusis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aeris auras:
Quandoquidem gigni pariter, pariterque videtur
Crescere, & (ut docui) simul ævo fessa fatiscit.
Huc accedit uti videamus, corpus ut ipsum
Suscipere immaneis morbos, durumque dolorem:
Sic animum curas acreis, luctumque metumque.
Quare participem lethi quoque convenit esse.
Quinetiam morbis in corporis avius errat
Sæpe animus; dementit enim, deliraque fatur:
Interdumque gravi lethargo fertur in altum,
Æternumque soporem, oculis, nutuque cadenti.
Unde neque exaudit voces, neque noscere vultus
Illorum potis est, ad vitam qui revocantes
Circumstant lacrymis rorantes ora, genasque.

Quare

Quare animum quoque dissolvi fateare necesse 'st :
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.
Nam dolor, ac morbus lethi fabricator uterque 'st :
Multorum exitio perdocti quod sumus ante.
Denique cur, hominem cum vini vis penetravit
Acris, & in venas discessit diditus ardor,
Consequitur gravitas membrorum ? præpediuntur
Crura vacillanti ? tardescit lingua ? madet mens ?
Nant oculi ? clamor, singultus, jurgia gliscunt ?
Et jam cætera de genere hoc quæcunque sequuntur,
Cur ea sunt, nisi quod vehemens violentia vini
Conturbare animam consuevit corpore in ipso ?
At quæcunque queunt conturbari, inque pediri,
Significant, paullo si durior insinuarit
Causa, fore ut pereant, ævo privata futuro.
Quinetiam subita vi morbi sæpe coactus
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu
Concidit & spumas agit, ingemit, & tremit artus :
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat :
Inconstanter & in jactando membra fatigat :
Nimirum, quia vis morbi distracta per artus
Turbat agens animum, spumans ut in æquore salso
Ventorum validis fervescit viribus unda.
Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore
Afficiuntur : & omnino quòd semina vocis
Ejiciuntur, & ore foras glomerata feruntur.
Quà quasi consuerunt, & sunt munita viai.
Desipientia fit, quia vis animi, atque animai
Conturbatur, & (ut docui) divisa seorsum
Dissectatur eodem illo distracta veneno.
Inde, ubi jam morbi se flexit causa, reditque
In latebras ater corrupti corporis humor :
Tum quasi talipedans primum consurgit : & omneis
Paullatim redit in sensus, animamque receptat.
Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipso
Jactetur, miserisque modis distracta laboret :
Cur eandem credis sine corpore in aere aperto

Cum validis ventis ætatem degere posse?
Et quoniam mentem sanari corpus ut ægrum,
Cernimus, & flecti medicina posse videmus:
Id quoque præsagit mortalem vivere mentem.
Addere enim parteis, aut ordine trajicere æquum 'st,
Aut aliquid prorsum de summa detrahere illum,
Commutare animum quicunque adoritur, & infit:
Aut aliam quamvis naturam flectere quærit.
At neque transferri sibi parteis, nec tribui vult,
Immortale quod est quicquam, neque defluere hilum.
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Ergo animus sive ægrescit, mortalia signa
Mittit, (uti docui) seu flectitur à medicina:
Usque adeo falsæ rationi vera videtur
Res occurrere, & effugium præcludere cunti:
Ancipitique refutatu convincere falsum.
Denique sæpe hominem paullatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere sensum:
In pedibus primùm digitos livescere, & ungueis:
Inde pedes & crura mori: post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia lethi.
Scinditur atqui animæ quoniam natura, nec uno
Tempore sincera existit mortalis habenda 'st.
Quòd si forte putas ipsam se posse per artus
Introrsum trahere, & parteis conducere in unum,
Atque ideo cunctis sensum deducere membris:
At locus ille tamen, quò copia tanta animai
Cogitur, in sensu debet majore videri.
Qui quoniam nusquam 'st, nimirum (ut diximus ante)
Dilaniata foras dispergitur: interit ergo.
Quin etiam, si jam libeat concedere falsum,
Et dare, posse animam glomerari in corpore eorum,
Lumina qui linquunt moribundi particulatim:
Mortalem tamen esse animam fateare necesse 'st.
Nec refert, utrum pereat dispersa per auras,
An contractis in se partibus obbrutescat:

Quando

Quando hominem totũ magis, ac magis undiq; sensus
Deficit, & vitæ minus, & minus undique restat.
Et quoniam mens est hominis pars una, locoque
Fixa manet certo, velut aures, atque oculi sunt,
Atque alii sensus, qui vitam cunque gubernant:
Et veluti manus, atque oculus, nareſve seorsum
Secreta à nobis nequeant sentire, neque esse:
Sed tamen in parvõ linquuntur tempore tali:
Sic animus per se non quit sine corpore, & ipso
Esse homine, illius quasi quod vas esse videtur:
Sive aliud quidvis potis es conjunctius eij
Fingere, quandoquidem connexus corpori adhæret.
Denique corporis, atque animi vivata potestas
Inter se conjuncta valent, vitaque fruuntur.
Nec sine corpore enim vitaleis edere motus
Sola potest animi per se natura: nec autem
Cassum anima corpus durare, & sensibus uti:
Scilicet, avolsus radicitus ut nequit ullam
Dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto:
Sic anima atque animus per se nil posse videntur:
Nimirum, quia per venas & viscera mistim
Per nervos, atque ossa tenentur corpore ab omni:
Nec magnis intervallis principia possunt
Libera dissultare: ideo conclusa moventur
Sensiferos motus, quos extra corpus in auras
Aeris haud possunt post mortem ejecta moveri:
Propterea quia non simili ratione tenentur.
Corpus enim atque animans erit aer, si cohibere
Sese anima, atque in eos poterit concludere motus,
Quos ante in nervis, & in ipso corpore agebat.
Quare etiam atque etiam resoluto corporis omni
Tegmine, & ejectis extra vitalibus auris,
Dissolvi sensus animi fateare necesse 'st,
Atque animam, quoniam conjuncta est causa duobus.
Denique cum corpus nequeat perferre animai
Discidium, quin id tetro tabescat odore:
Quid dubitas, quin ex imo, penitusque coorta

Emanarit, uti fumus, diffusa animæ vis?
Atque ideo tanta mutatum putre ruina
Conciderit corpus penitus: quia mota loca sunt
Fundamenta foras animæ: manantque per artus,
Perque viarum omnes flexus, in corpore qui sunt,
Atque foramina? mult modis ut noscere possis
Dispertitam animæ naturam exisse per artus:
Et prius esse sibi distractam corpore in ipso,
Quàm prolapsa foras enaret in aeris auras?
Quinetiam, fineis dum vitæ vertitur intra,
Sæpe aliqua tamen è causa labefacta videtur
Ire anima, & toto solvi de corpore membra:
Et quasi supremo langueſcere tempore voltus,
Quod genus est, animo male factum cùm perhibetur,
Aut animam liquisse, ubi jam trepidatur, & omnes
Extremum cupiunt vires reprendere vinclum.
Conquassatur enim tum mens, animæque potestas
Omnis: & hæc ipso cum corpore conlabefiunt:
Ut gravior paullo possit dissolvere causa.
Quid dubitas, tandem quin extra prodita corpus
Imbecilla foras in aperto tegmine dempto,
Non modo non omnem possit durare per ævum,
Sed minimum quodvis nequeat consistere tempus?
Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur
Ire foras animam incolumem de corpore toto,
Nec prius ad jugulum, & superas succedere fauceis:
Verùm deficere in certa regione locatam:
Ut sensus alios in parti quemque sua scit
Dissolvi: quòd si immortalis nostra foret mens:
Non jam se moriens dissolvi conquereretur:
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,
Gauderet, prælonga senex aut cornua cervus.
Denique cur animi nunquam mens, consiliumque
Gignitur in capite, aut pedibus, manibusve: sed unis
Sedibus, & certis regionibus omnis inhæret,
Si non certa loca ad nascendum reddita cuique
Sunt: & ubi quicquid possit durare creatum?

Atque

Atque ita multimodis pro totis artubus esse,
Membrorum ut nunquam existat præposterus ordo.
Usque adeo sequitur res rem, neque flamma creari in
Fluminibus solita 'st, neque in igni gignier algor.
Præterea, si immortalis natura animai 'st,
Et sentire potest secreta à corpore nostro:
Quinq; (ut opinor) eam faciendú 'st sensibus auctam:
Nec ratione alia nosmet proponere nobis
Possumus infernas animas Acheronte vagare.
Pictores itaque, & scriptorum sæcla priora
Sic animas introduxerunt sensibus auctas.
At neque seorsum oculi, neque nares, nec manus ipsa
Esse potest anima, neque seorsum lingua, nec aures:
Absque anima per se possunt sentire, nec esse.
Nec sensus ipsi seorsum consistere possunt,
Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque
Lingua: nec per se possunt sentire, nec esse.
Et quoniam toto sentimus corpore inesse
Vitalem sensum: & totum esse animale videmus:
Si subito medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, ut seorsum partem secernat utramque:
Dispertita proculdubio quoque vis animai,
Et discissa simul cum corpore disjicietur.
At quod scinditur, & parteis discedit in ullas,
Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse.
Falciferos memorant currus abscindere membra:
Sæpe ita desubito permista cæde calenteis,
Ut tremere in terra videatur ab artubus id quod
Decidit abscissum: cùm mens tamen, atq; hominis vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem:
Et simul in pugnæ studio quòd dedita mens est,
Corpore cum reliquo pugnam, cædeisque petissit:
Nec tenet, amissam lævam cum tegmine sæpe
Inrer equos abstraxe rotas, faceisque rapaceis:
Nec cecidisse alius dextram, cùm scandit, & instat.
Inde alius conatur adempto surgere crure,
Cùm digitos agitat propter moribundus humi pes:

Et caput abſciſſum calido, viventeque trunco,
Servat humi voltum vitalem, oculoſque patenteis,
Donec relliquias animai reddidit omneis.
Quin etiam tibi ſi lingua vibrante minantis
Serpentis caudam procero corpore, utrinque
Sit libitum in multas parteis diſcindere ferro:
Gmnia jam ſeorſum cernes amciſa recenti
Volnere tortari, & terram conſpergere tabo,
Ipſam ſeque retrò partem petere ore priorem,
Volneris ardenti ut morſu premat icta dolore.
Omnibus eſſe igitur totas dicemus in illis
Particulis animas? at ea ratione ſequetur
Unam animantem animas habuiſſe in corpore multas.
Ergo diviſa 'ſt ea, quæ fuit una ſimul cum
Corpore quapropter mortale utrumque putandum 'ſt,
In multas quoniam parteis diſciditur æqué.
Præterea ſi immortalis natura animai
Conſtat, & in corpus naſcentibus inſinuatur:
Cur ſuper anteactam ætatem meminiſſe nequimus?
Nec veſtigia geſtarum rerum ulla tenemus?
Nam ſi tantopere 'ſt animi mutata poteſtas,
Omnis ut actarum excideiit retinentia rerum:
Non (opinor) id ab letho jam longiter errat.
Quapropter fateare neceſſe 'ſt, qui fuit ante,
Interiiſſe: & quæ nunc eſt, nunc eſſe creatam.
Præterea, ſi jam perfecto corpore nobis
Inferri ſolita 'ſt animi vivata poteſtas,
Tum cum gignimur, & vitæ cum limen inimus:
Haud ita conveniebat, uti cum corpore, & unà
Cum membris videatur in ipſo ſanguine creſſe:
Sed velut in cavea per ſe ſibi vivere ſolam.
Quare etiam æq;etiam nec originis eſſe putandum 'ſt
Experteis animas, nec lethi lege ſoiutas.
Nam neque tantopere adnecti potuiſſe putandum 'ſt
Corporibus noſtris extrinſecus inſinuatas:
Quod fieri totum contrà manifeſta doce' res.
Namque ita connexa 'ſt per venas, viſceta, nervos,
Oſſaque,

Ossaque, uti dentes quoque sensu participentur :
Morbus ut indicat, & gelidai stringor aquai,
Et lapis oppressus sub dente è frugibus asper :
Nec tam contextæ cum sint, exire videntur
Incolumes posse, & salvas exsolvere sese
Omnibus è nervis, atque ossibus, articulisque.
Quod si forte putas extrinsecus insinuatam
Permanare animam nobis per membra solere :
Tanto qnæque magis cum corpore fusa peribit.
Quod permanat enim, dissolvitur : interit ergo.
Dispertitur enim per caulas corporis omneis :
Ut cibus in membra atque artus cum diditur omneis,
Dispertit, atque aliam naturam sufficit ex se :
Sic anima, atque animus quamvis integra recens in
Corpus eunt : tamen in manando dissolvuntur,
Dum quasi per caulas omneis diduntur in artus
Particulæ, quibus hæc animi natura creatur :
Quæ nunc in nostro dominatur corpore nata
Ex illa, quæ tunc pellitur partita per artus.
Quapropter neque natali privata videtur
Esse die natura animæ, neque funeris expers.
Semina præterea linquuntur, necne animai,
Corpore in exanimo ? quod si linquuntur, & insunt,
Haud erit, ut merito immortalis possit haberi :
Partibus amissis quoniam libata recessit.
Sin ita sincéris membris ablata profugit,
Ut nullas partéis in corpore liquerit ex se :
Unde cadavera rancenti jam viscere vermeis
Expirant ? atque unde animantum copia tanta
Exos, & exsanguis tumidos perfluctuat artus ?
Quod si forte animas extrinsecus insinuari
Vermibus, & privas in corpora posse venire
Credis, nec reputas cur millia multa animarum
Conveniant, unde una recesserit : hoc tamen est ut
Quærendum videatur, & in discrimen agendum :
Utrum tandem animæ veneuntur semina quæque
Vermiculorum, ipsæque sibi fabricentur ubi sint :

An

An jam corporibus perfectis insinuentur.
At neque, cur faciant ipsæ, quareve laborent,
Dicere suppeditat, neque enim sine corpore cum sunt,
Sollicitæ volitant morbis, algoque, fameque.
Corpus enim magis his vitiis adfine laborat:
Et mala multa animus contage fungitur ejus.
Sed tamen his esto quamvis facere utile corpus,
Cum subeant: at qua possint, via nulla videtur.
Haud igitur faciunt animæ sibi corpora, & artus.
Nec tamen est ut jam perfectis insinuentur
Corporibus: neque enim poterunt subtiliter esse
Connexæ; neque consensu contagia fient.
Denique cur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur: dolu' volpibus, & fuga cervis
A patribus datur, & patrius pavor incitat artus?
Et jam cætera de genere hoc, cur omnia membris
Ex ineunte ævo ingeneraſcunt, inque genuntur,
Si non certa suo quia semine seminioque
Vis animi pariter crescit cum corpore toto?
Quòd si immortalis foret, & mutare soleret
Corpora, permistis animantes moribus essent:
Effugeret canis Hyrcano de semine sæpe
Cornigeri incursum cervi, tremeretque per auras
Aeris accipiter fugiens veniente columba:
Desiperent homines, saperent fera sæcla ferarum.
Illud enim falsa fertur ratione, quod aiunt
Immortalem animam mutato corpore flecti.
Quod mutatur enim, dissolvitur: interit ergo.
Trajiciuntur enim partes, atque ordine migrant.
Quare dissolvi quoque debent posse per artus,
Denique ut intereant una cum corpore cunctæ.
Sin animas hominum dicent in corpora semper
Ire humana, tamen quæram cur è sapienti
Stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus:
Nec tam doctus equæ pullus, quàm fortis equi vis:
Si non certa suo quia semine, seminioque
Vis animi pariter crescit cum corpore toto.

Sci-

Scilicet in tenero teneraſcere corpore mentem
Confugient; quod ſi jam ſit, fateare neceſſe 'ſt,
Mortalem eſſe animam, quoniam mutata per artus
Tantopere amittit vitam, ſenſumque priorem.
Quove modo poterit pariter cum corpore quoque
Confirmata cupitum ætatis tangere florem
Vis animi, niſi erit conſors in origine prima?
Quidve foras ſibi vult membris exire ſenectis?
An metuit concluſa manere in corpore putri?
Et domus ætatis ſpatio ne feſſa vetuſto
Obruat? an non ſunt immortali ulla pericla?
Denique connubia ad Veneris, partuſque ferarum
Eſſe animas præſto, deridiculum eſſe videtur:
Et ſpectare immortaleis mortalia membra
Innumero numero, certareque præproperanter
Inter ſe quæ prima, potiſſimaque inſinuetur:
Si non fortè ita ſunt animarum fœdera pacta,
Ut, quæ prima volans advenerit, inſinuetur
Prima, neque inter ſe contendant viribus hilum.
Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes eſſe queunt, nec piſces vivere in arvis,
Nec cruor in lignis, nec ſaxis ſuccus ineſſe.
Certum ac diſpoſitum 'ſt, ubi quicquid creſcat, & inſit:
Sic animi natura nequit ſine corpore oriri
Sola, neque à nervis, & ſanguine longius eſſe.
Hoc ſi poſſet enim, multo prius ipſa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus eſſe
Poſſet, & innaſci quavis in parte ſoleret:
Tandem in eodem homine, atq; in eodem vaſe maneret.
Quod quoniam in noſtro quoq; conſtat corpore certũ
Diſpoſitumque videtur, ubi eſſe, & creſcere poſſit
Seorſum anima, atq; animus: tanto magis inficiandum
Torum poſſe extra corpus durare, genique.
Quare, corpus ubi interiit, periiſſe neceſſe 'ſt
Confiteare animam diſtractam in corpore toto.
Quippe etenim mortale æterno jungere & unà
Conſentire putare, & fungi mutua poſſe,

Deſipere

Desipere 'st: quid enim diversius esse putandum 'st,
Aut magis inter se disjunctum, discrepitansque,
Quàm, mortale quod est, immortali, atque perenni
Junctum, in concilio sævas tolerare procellas?
Præterea quæcunque manet æterna, necesse 'st,
Aut quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat arctas
Dissociare intus parteis, ut materiai
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus antè;
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sicut Inane 'st:
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut ideo, quia nulla loci sit copia circum,
Quò quasi res possint discedere, dissoluique:
Sicut summarum summa 'st æterna, neque extrà
Quis locus est, quò diffugiat: neque corpora sunt, quæ
Possint incidere, & valida dissolvere plaga:
At neque (ut docui) solido cum corpore mentis
Natura 'st, quoniam admistum 'st in rebus Inane:
(Nec tamen est ut Inané) neq; autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint fortè coorta
Proruere hanc mentis violento turbine molem,
Aut aliam quamvis cladem importare pericli:
Nec porro natura loci spatiumque profundi
Deficit, exspergi quò possit vis animai,
Aut alia quavis possit vi pulsa perire:
Haud igitur lethi præclusa 'st janua menti.
Quod si forte ideo magis immortalis habenda 'st,
Quòd lethalibus ab rebus munita tenetur:
Aut quia non veniunt omnino aliena salutis:
Aut quia quæ veniunt, aliqua ratione recedunt
Pulsa prius, quàm, quid noceant, sentire queamus:
Scilicet à vera longè ratione remotum 'st.
Præter enim quàm quòd morbis tum corporis ægrit,
Advenit id, quod eam de rebus sæpe futuris
Macerat, inque metu male habet, curisque fatigat:
Præteritisque admissa annis peccata remordent.

Adde

Adde furorem animi proprium, atque oblivia rerum;
Adde quòd in nigras lethargi mergitur undas.
Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura animi mortalis habetur:
Et velut anteacto nil tempore sensimus ægri,
Ad confligendum venientibus undique pœnis:
Omnia cum belli trepido concussa tumultu
Horrida contremuere sub altis ætheris auris:
In dubioque fuit sub utrorum regna cadendum
Omnibus humanis esset, terraque marique:
Sic ubi non erimus: cùm corporis, atque animai
Discidium fuerit, quibus è sumus uniter apti,
Scilicet haud nobis quicquam, qui non erimus tum,
Accidere omnino poterit, sensumque movere:
Non si terra mari miscebitur, & mare cœlo.
Etsi jam nostro sentit de corpore, pòst quàm
Distracta 'st animi natura, animæque potestas:
Nil tamen hoc ad nos, qui cœtu, conjugioque
Corporis, atque animæ consistimus uniter apti.
Nec, si materiam nostram conlegerit ætas
Post obitum, rursumque redegerit, ut fita nunc est:
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ,
Pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum,
Interrupta semel cùm sit repetentia nostra,
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, antè
Qui fuimus: nec jam de illis nos afficit angor,
Quos de materia nostra nova proferet ætas.
Nam cùm respicias immensi temporis omne
Præteritum spatium: tum motus materiai
Multimodi quàm sint: facile hoc adcredere possis,
Semina sæpe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta;
Nec memori tamen id quimus deprendere mente.
Inter enim jecta 'st vitai pausa, vageque
Deerrarunt passim motus ab sensibus omnes:
Debet enim, miserè quoi fortè ægreque futurum 'st,
Ipse quoque esse in eo tum tempore, cum malè possit
Accidere: at quoniam mors eximit, improhibetque,

Illum

Illum, cui possint incommoda conciliari
Hæc eadem, in quibus & nunc nos sumus, antè fuisse:
Scire licet nobis nihil esse in morte timendum:
Nec miserum fieri, qui non est, posse: neque hilum
Differre, an nullo fuerit jam tempore natus,
Mortalem vitam mors cui immortalis ademit.
Proinde ubi se videas hominem miserarier ipsum,
Post mortem fore, ut aut putescat corpore posto:
Aut flammis interfiat, malisve ferarum:
Scire licet, non sincerum sonare, atque subesse
Cæcum aliquem cordi stimulum, quamvis neget ipse
Credere se quemquam sibi sensum in morte futurum.
Non (ut opinor) enim dat, quod promittit, & inde
Nec radicitus è vita se tollit, & eicit;
Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
Vivus enim sibi cum proponit quisque, futurum
Corpus uti volucres lacerent in morte, feræque:
Ipse sui miseret: neque enim se vindicat hilum,
Nec removet satis à projecto corpore: & illud
Se fingit, sensuque suo contaminat adstans,
Hinc indignatur se mortalem esse creatum:
Nec videt, in vera nullum fore morte alium se,
Qui possit vivus sibi se lugere peremptum,
Stansque jacentem, nec lacerari, urive dolore.
Nam si in morte malum 'st, malis morsuque ferarum
Tractari: non invenio quî non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis;
Aut in melle situm suffocari, atque rigere
Frigore, cum in summo gelidi cubat æquore saxi:
Urgerive superne obtritum pondere terræ.
At jam non domus accipiet te læta, neque uxor
Optima, nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent:
Non poteris factis tibi fortibus esse, tuisque
Præsidio: miser, ô miser, aiunt, omnia ademit
Una dies infesta tibi tot præmia vitæ.
Illud in his rebus non addunt, Nec tibi earum

Jam

Jam desiderium insidet rerum insuper una.
Quod bene si videant animo, dictisque sequantur:
Dissolvant animi magno se angore metuque.
Tu quidem ut es letho sopitus, sic eris ævi
Quod superest, cunctis privatu' doloribus ægris:
At nos horrifico cinefactum te prope busto
Insatiabiliter deflebimus, æternumque
Nulla dies nobis mœrorem è pectore demet.
Illud ab hoc igitur quærendum 'st, quid sit amari
Tantopere, ad somnum si res redit, atque quietem,
Cur quisquam æterno possit tabescere luctu?
Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque
Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis:
Ex animo ut dicant, Brevis hic est fructus homullis:
Jam fuerit, neque post unquam revocare licebit.
Tanquam in morte mali cum primis hoc sit eorum
Quod sitis exurat miseros, atque arida torreat,
Aut aliæ cujus desiderium insideat rei.
Nec sibi enim quisquam tum se, vitamque requirit,
Cum pariter mens, & corpus sopita quiescunt:
Nam licet æternum per nos sic esse soporem,
Nec desiderium nostri nos adrigit ullum:
Et tamen haudquaquam nostros tunc illa per artus
Longe ab sensiferis primordia motibus errant:
Quin correptus homo ex somno se conligit ipse.
Multo igitur mortem minus ad nos esse putandum,
Si minus esse potest, quam quod nihil esse videmus.
Major enim turbæ dissectus materiai
Consequitur letho, nec quisquam expergitus exstat,
Frigida quem semel est vitai pausa secuta.
Denique si vocem rerum natura repente
Mittat, & hoc aliquoi nostrum sic increpet ipsa:
Quid tibi tantopere 'st mortalis, quod nimis ægris
Luctibus indulges? quid mortem congemis, ac fles?
Nam si grata fuit tibi vita anteacta, priorque,
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere:

Cur

Cur non, ut plenus vitæ conviva, recedis?
Æquo animoque capis securam, stulte, quietem?
Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profusa:
Vitaque in offensu 'st: cur amplius addere quæris,
Rursum quod pereat male, & ingratum occidat omne?
Nec potius vitæ finem facis, atque laboris?
Nam tibi præterea quod machiner, inveniamque
Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.
Si tibi non annis corpus jam marcet, & artus
Confecti languent: eadem tamen omnia restant,
Omnia si pergas vivendo vincere sæcla:
Atque etiam potius, si nunquam sis moriturus.
Quid respondeamus, nisi justam intendere litem
Naturam? & veram verbis exponere causam?
At qui obitum lamentetur miser amplius æquo,
Non merito inclamet magis, & voce increpet acri?
Aufer abhinc lacrymas, barathro, & compesce querelas:
Grandior hic vero si jam, seniorque queratur:
Omnia perfunctus vitai præmia, marces:
Sed quia semper aves, quod abest, præsentia temnis:
Imperfecta tibi elapsa 'st, ingrataque vita,
Et nec-opinanti mors ad caput adstitit ante,
Quam satur, ac plenus possis discedere rerum.
Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte:
Æquo animoque, agedum, jam aliis concede: necesse 'st.
Jure (ut opinor) agat, jure increpet, inciletque.
Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
Semper, & ex aliis aliud reparare necesse 'st:
Nec quidquam in barathrum, nec tartara decidit atra.
Materies opus est, ut crescant postera sæcla:
Quæ tamen omnia te, vita perfuncta, sequentur.
Nec minus ergo ante hæc, quâ nunc, cecidere, cadentq;
Sic alid ex alio nunquam desistet oriri,
Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.
Respice item quam nil ad nos anteacta vetustas
Temporis æterni fuerit, quam nascimur, ante.
Hoc igitur speculum nobis natura futuri

Tempo-

Temporis exponit : poſt mortem denique noſtram
Num quid ibi horribile apparet ? num triſte videtur
Quicquam ? nonne omni ſomno ſecurius exſtat ?
Atque ea nimirum, quæcunque Acheronte profundo
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis.
Nec miſer impendens magnum timet aere ſaxum
Tantalus, ut fama 'ſt, caſſa formidine torpens :
Sed magis in vita divum metus urget inanis
Mortaleis, caſumque timent, quemcunque ferat fors.
Nec Tityon volucres ineunt Acheronte jacentem :
Nec, quod ſub magno ſcrutentur pectore, quidquam
Perpetuam ætatem poterunt reperire profecto,
Quamlibet immani projectu corporis exſtet,
Qui non ſola novem diſpenſis jugera membris
Obtineat, ſed qui terrai totius orbem :
Non tamen æternum poterit perferre dolorem :
Nec præbere cibum proprio de corpore ſemper.
Sed Tityos nobis hic eſt, in amore jacentem
Quem volucres lacerant, atque exeſt anxius angor :
Aut alia quavis ſcindunt cuppedine curæ.
Siſyphus in vita quoque nobis ante oculos eſt,
Qui petere à populo faſceis, ſævaſque ſecureis
Imbibit : & ſemper victus, triſtiſque recedit.
Nam petere imperium, quod inane'ſt, nec datur unquã:
Atque in eo ſemper durum ſufferre laborem :
Hoc eſt adverſo nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à ſummo jam vertice rurſum
Volvitur, & plani raptim petit æquora campi.
Deinde animi ingratam naturam paſcere ſemper :
Atque explere bonis rebus, ſatiareque nunquam :
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Cum redeunt : fœtuſque ferunt, varioſque lepores,
Nec tamen explemur vitai fructibus unquam :
Hoc (ut opinor) id eſt, ævo florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas:
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.
Cerberus & Furiæ jam vero, & lucis egenus
Tartarus,

Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus,
Hæc neque sunt usquam, neque possunt esse profecto.
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Est insignibus insignis, sceleriſque luela,
Carcer, & horribilis de saxo jactu' deorsum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ:
Quæ tamen & si absunt, at mens sibi conscia facti
Præmetuens, adhibet stimulos, torretque flagellis:
Nec videt interea, qui terminus esse malorum
Possit, nec quæ sit pœnarum denique finis:
Atq; eadem metuit magis hæc ne in morte graveſcant:
Hinc Acheruſia fit stultorum denique vita.
Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:
Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.
Inde alii multi reges, rerumque potentes
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
Strauit, iterque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus salsas docuit superire lacunas:
Et contempsit, aquis insultans, murmura ponti,
Lumine adempto, animam moribundo corpore fudit.
Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,
Ossa dedit terræ, proinde ac famul infimus esset.
Adde repertores doctrinarum, atque leporum:
Adde Heliconiadum comites: quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete 'st.
Denique Democritum postquam matura vetustas
Admonuit memorem motus langueſcere mentis,
Sponte sua letho caput obvius obtulit ipse.
Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio superavit, & omneis
Præstinxit, stellas exortus uti ætherius sol.
Tu vero dubitabis, & indignabere obire,
Mortua quoi vita est prope jam vivo, atque videnti?
Qui somno partem majorem conteris ævi?
Et vigilans stertis, nec somnia cernere ceſſas,

Sol-

Sollicitamque geris caſſa formidine mentem?
Nec reperire potes, quid ſit tibi ſæpe mali, cum
Ebrius urgeris multis miſer undique curis,
Atque animi incerto fluitans errore vagaris?
Si poſſent homines, proinde ac ſentire videntur
Pondus ineſſe animo, quod ſe gravitate fatiget,
Et quibus id fiat cauſis cognoſcere, & unde
Tanta mali tanquam moles in pectore conſtet:
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus,
Quid ſibi quiſque velit, neſcire, & quærere ſemper,
Commutare locum, quaſi onus deponere poſſit.
Exit ſæpe foras magnis ex ædibus ille,
Eſſe domi quem pertæſum 'ſt, ſubitoque revertit:
Quippe foris nihilo melius qui ſentiat eſſe.
Currit agens mannos ad villam hic præcipitanter,
Auxilium tectis quaſi ferre ardentibus inſtans:
Oſcitat extemplo, tetigit cum limina villæ:
Aut abit in ſomnum gravis, atque oblivia quærit:
Aut etiam properans urbem petit, atque reviſit,
Hoc ſe quiſque modo fugit: at, quem ſcilicet, ut ſit,
Effugere haud potis eſt, ingratis hæret, & angit,
Propterea, morbi quia cauſam non tenet æger:
Quam bene ſi videat: jam, rebus quiſque relictis
Naturam primum ſtudeat cognoſcere rerum,
Temporis æterni quoniam, non unius horæ,
Ambigitur ſtatus, in quo ſit mortalibus omnis
Ætas poſt mortem, quæ reſtat cumque, manenda.
Denique tantopere in dubiis trepidare periclis
Quæ mala nos ſubigit vitai tanta cupido?
Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat,
Nec devitari lethum pote, quin obeamus.
Præterea verſamur ibidem, atque inſumus uſque:
Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas.
Sed dum abeſt, quod avemus, id exſuperare videtur
Cætera: poſt aliud, cum contigit illud, avemus:
Et ſitis æqua tenet vitai ſemper hianteis:
Poſteraque, in dubio 'ſt, fortunam quam vehat ætas,

Quidve

Quidve ferat nobis casus, quive exitus instet.
Nec prorsum, vitam ducendo, demimus hilum
Tempore de mortis, nec delibrare valemus,
Quo minus esse diu possimus morte perempti.
Proinde licet quot vis vivendo condere sæcla,
Mors æterna tamen nihilo minus illa manebit:
Nec minus ille diu jam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitai fecit, & ille,
Mensibus, atque annis qui multis occidit anté.

T. LU-

T. LUCRETII.

LIBER QUARTUS.

AVia Pieridum peragro loca nullius antè
Trita solo: juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ:
Primum quod magnis doceo de rebus, & arctis
Relligionum animos nodis exsolvere pergo:
Deinde, quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, musæo contingens cuncta lepore.
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.
Nam veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur:
Sed potius tali tactu recreata valescat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac: volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi musæo dulci contingere melle,
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum percipis omnem
Naturam rerum: ac præsentis utilitatem.

Sed

Sed quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia sint, & quam variis distantia formis
Sponte sua volitent æterno percita motu:
Quoque modo possint res ex his quæque creari:
Atque, animi quoniam docui natura quid esset,
Et quibus è rebus cum corpore compta vigeret,
Quove modo distracta rediret in ordia prima:
Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
Attinet, esse ea, quæ rerum simulacra vocamus:
Quæ quasi membranæ summo de corpore rerum
Dereptæ volitant ultro citroque per auras:
Atque eadem nobis vigilantibus obvia menteis
Terrificant, atque in somnis, cum sæpe figuras
Contuimur miras, simulacraque luce carentum:
Quæ nos horrifice languenteis sæpe sopore
Excierunt: ne forte animas Acherunte reamur
Effugere, aut umbras inter vivos volitare:
Neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
Cum corpus simul, atque animi natura perempta,
In sua discessum dederint primordia quæque.
Dico igitur, rerum effigias, tenuesque figuras
Mittier ab rebus summo de corpore earum:
Quæ quasi membrana, vel cortex nominitanda 'st:
Quod speciem, ac formam similem gerit ejus imago,
Quoiuscunque cluet de corpore fusa vagari.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde,
Principio, quoniam mittunt in rebus apertis
Corpora res multæ, partim diffusa solute,
Robora seu fumum mittunt, igneſque vaporem:
Et partim contexta magis, condensaque, ut olim
Cum veteres ponunt tunicas æstate cicadæ,
Et vituli cum membranas de corpore summo
Nascentes mittunt, & item cum lubrica serpens
Exuit in spinis vestem: nam sæpe videmus
Illorum spoliis vepreis volitantibus auctas.
Hæc quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
Ab rebus mitti summo de corpore earum.

Nam,

Nam, cur illa cadant magis, ab rebusque recedant,
Quam quæ tenuia sunt, ostendi 'st nulla potestas,
Præsertim cum sint in summis corpora rebus
Multa minuta jaci quæ possint ordine eodem,
Quo fuerint, veterem & formæ servare figuram,
Et multo citius, quanto minus endopediri
Pauca queunt, & sunt in prima fronte locata.
Nam certe jaci, atque emergere multa videmus.
Non solum ex alto penitusque, ut diximus ante,
Verum de summis ipsum quoque sæpe colorem:
Et volgo faciunt id lutea, russaque vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta theatris
Per malos volgata, trabeisque trementia flutant,
Namque ibi consessum caveai subter, & omnem
Scenai speciem patrum, matrumque, deorumque,
Inficiunt, coguntque suo fluitare colore:
Et quanto circum mage sunt inclusa theatri
Mœnia, tam magis hæc intus perfusa lepore
Omnia conrident correpta luce diei.
Ergo lintea de summo cum corpore fucum
Mittunt, effigias quoque debent mittere tenueis
Res quæque, ex summo quoniam jaculantur utræque.
Sunt igitur jam formarum vestigia certa,
Quæ volgo volitant subtili prædita filo,
Nec singillatim possunt secreta videri.

Præterea, omnis odos, fumus, vapor, atq; aliæ res
Consimiles, ideo diffusæ rebus abundant,
Ex alto quia dum veniunt extrinsecus ortæ,
Scinduntur per iter flexum, nec recta viarum
Ostia sunt, quia contendunt exire coorta.
At contra, tenuis summi membrana coloris
Cum jacitur, nihil est, quod eam discerpere possit
In promptu, quoniam 'st in prima fronte locata.
Postremo in speculis, in aqua, splendoreque in omni
Quæcunque apparent nobis simulacra: necesse 'st,
Quandoquidem simili specie sunt prædita rerum
Esse in imaginibus missis consistere eorum.

Nam cur illa cadant magis, ab rebusque recedant,
Quam quæ tenuia sunt, ostendi 'st nulla potestas.
Sunt igitur tenues formarum, consimilesque
Effigiæ, singillatim quas cernere nemo
Cum possit: tamen assiduo, crebroque repulsu
Rejectæ, reddunt speculorum ex æquore visum:
Nec ratione alia servari posse videntur
Tantopere, ut similes reddantur quoique figuræ.
Nunc age, quam tenui natura constet imago,
Percipe: & in primis quoniam primordia tantum
Sunt infra nostros sensus, tantoque minora,
Quam quæ primum oculi cœptant non posse tueri.
Nunc tamen id quoq; uti confirmem, exordia rerum
Cunctarum quam sint subtilia, percipe paucis.
Primum animalia sunt jam partim tantula, eorum
Tertia pars nulla ut possit ratione videri.
Horum intestinum quodvis quale esse putandum 'st?
Quid? cordis globus aut oculi: quid? membra: quid? artus:
Quantula sunt? quid? præterea primordia quæque,
Unde anima, atque animi constet natura necessum 'st,
Nonne vides, quam sint subtilia, quamque minuta?
Præterea, quæcunque suo de corpore odorem
Exspirant acrem, panaces, absinthia tetra,
Abrotonique graves, & tristia centaurea:
Horum unumquodvis leviter si forte ciebis,
Quamprimum noscas rerum simulacra vagare
Multa modis multis, nulla vi, cassaque sensu.
Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo 'st
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
Sed ne forte putes ea demum sola vagare,
Quæcunque ab rebus rerum simulacra recedunt:
Sunt etiam, quæ sponte sua gignuntur, & ipsa
Constituuntur in hoc cœlo, qui dicitur aer:
Quæ multis formata modis sublime feruntur,
Nec speciem mutare suam liquentia cessant:
Et quoiusquemodi formarum vertere in ora
Ut nubeis facile interdum concrescere in alto

Cer-

Cernimus, & mundi ſpeciem violare ſerenam,
Aera mulcenteis motu: nam ſæpe gigantum
Ora volare videntur, & umbram ducere late:
Interdum magni montes, avolſaque ſaxa
Montibus anteire, & ſolem ſuccedere præter:
Inde alios trahere, atque inducere bellua nimbos.
Nunc ea quam facili, & celeri ratione genantur,
Perpetuoque fluant ab rebus, lapſaque cedant.
Semper enim ſummum quidquid de rebus abundat,
Quod jaculentur: & hoc alias cum pervenit in res,
Tranſit, ut in primis veſtem: ſed in aſpera ſaxa,
Aut in materiem ut ligni pervenit: ibi jam
Scinditur, ut nullum ſimulacrum reddere poſſit.
At cum, ſplendida quæ conſtant, oppoſta fuerunt,
Denſaque, ut in primis ſpeculum'ſt: nihil accidit horū
Nam neque uti veſtem, poſſunt tranſire, neque ante
Scindi, quam meminit lævor præſtare ſalutem.
Quapropter fit, ut hinc nobis ſimulacra genantur.
Et quamvis ſubito, quovis in tempore, quamque
Rem contra ſpeculum ponas, apparet imago:
Perpetuo fluere ut noſcas è corpore ſummo
Texturas rerum tenueis, tenueiſque figuras.
Ergo multa brevi ſpatio ſimulacra genuntur,
Ut merito celer his rebus dicatur origo.
Et quaſi multa brevi ſpatio ſummittere debet
Lumina ſol, ut perpetuo ſint omnia plena:
Sic à rebus item ſimili ratione neceſſe 'ſt
Temporis in puncto rerum ſimulacra ferantur
Multa modis multis in cunctas undique parteis.
Quandoquidem ſpeculum queiſcunq; obvertimus oris
Res ibi reſpondent ſimili forma, atque colore.
Præterea modo quom fuerit liquidiſſima cœli
Tempeſtas, perquam ſubito ſit turbida fœde
Undique, uti tenebras omneis Acherunta rearis
Liquiſſe, & magnas cœli compleſſe cavernas.
Uſque adeo tetra nimborum nocte coorta,
Impendent atræ formidinis ora ſuperne.

Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo 'st,
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
Et quæ mobilitas oris tranantibus auras
Reddita sit, longo ut spatio brevis hora teratur,
In quemcunque locum diverso numine tendunt,
Suavidicis potius, quam multis versibus edam:
Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor, in ætheriis dispersus nubibus Austri.
Principio persæpe leveis res, atque minutis
Corporibus factas, celereis licet esse videre.
In quo jam genere 'st solis lux, & vapor ejus,
Propterea quia sunt è primis facta minutis:
Quæ quasi truduntur, perque aeris intervallum
Non dubitant transire, sequenti concita plaga.
Suppeditatur enim confestim lumine lumen,
Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.
Quapropter simulacra pari ratione necesse 'st
Immemorabile per spatium transcurrere posse
Temporis in puncto: primum quod parvola causa
Est, procul à tergo quæ provehat, atque propellat:
Deinde, quod usque adeo textura prædita rara
Mittuntur, facile ut quasvis penetrare queant res,
Et quasi permanare per aeris intervallum.
Præterea, si, quæ penitus corpuscula rerum
Ex alto in terras mittuntur, solis uti lux,
Ac vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei
Per totum cœli spatium diffundere sese:
Perque volare mare, ac terras, cœlumque rigare,
Quod supera'st: ubi tam volucri hæc levitate feruntur,
Quid? quæ sunt igitur jam prima in fronte parata
Cum jaciuntur, & emissum res nulla moratur,
Nonne vides citius debere, & longius ire:
Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo solis pervolgant lumina cœlum?
Hoc etiam in primis specimen verum esse videtur,
Quam celeri motu rerum simulacra ferantur,

Quod

Quod ſimul ac primum ſub divo ſplendor aquai
Ponitur: extemplo, cœlo ſtellante, ſerena
Sidera reſpondent in aqua radiantia mundi.
Jamne vides igitur, quam puncto tempore imago
Ætheris ex oris ad terrarum accidat oras?
Quare etiam atq; etiam mitti hæc fateare neceſſe 'ſt
Corpora, quæ feriant oculos, viſumque laceſſant:
Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores:
Frigus ut à fluviis, calor à ſole, æſtus ab undis
Æquoris, exeſor mœrorum litora circum.
Nec variæ ceſſant voces volitare per auras:
Denique in os ſalſi venit humor ſæpe ſaporis,
Cum mare verſamur propter: dilutaque contra
Cum tuimur miſceri abſinthia, tangit amaror.
Uſque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur: & in cunctas dimittitur undique parteis,
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi:
Perpetuo quoniam ſentimus, & omnia ſemper
Cernere, odorari licet, & ſentire ſonorem.
Præterea quoniam manibus tractata figura
In tenebris quædam, cognoſcitur eſſe eadem, quæ
Cernitur in luce, & claro candore: neceſſe 'ſt
Conſimili cauſa tactum, viſumque moveri.
Nunc igitur, ſi quadratum tentamus, & id nos
Commovet in tenebris: in luci quæ poterit res
Accidere ad ſpeciem, quadrata niſi ejus imago?
Eſſe in imaginibus quapropter cauſa videtur
Cernendi, neque poſſe ſine his res ulla videri.
Nunc ea, quæ dico, rerum ſimulacra, feruntur
Undique: & in cunctas jaciuntur didita parteis.
Verum, nos oculis quia ſolis cernere quimus,
Propterea fit, uti, ſpeciem quo vertimus, omnes
Res ibi eam contra feriant forma, atque colore.
Et quantum quæque à nobis res abſit, imago
Efficit, ut videamus, & internoſcere curat.
Nam cum mittitur, extemplo protrudit, agitque
Aera, qui inter ſe cunque 'ſt, oculoſque locatus

Iſque ita per noſtras acies perlabitur omneis:
Et quaſi perterget pupillas, atque ita tranſit.
Propterea fit, uti videamus quam procul abſit
Res quæque: & quanto plus aeris ante agitatur,
Et noſtros oculos perterget longior aura,
Tam procul eſſe magis res quæque remota videtur.
Scilicet hæc ſumme celeri ratione geruntur,
Quale fit ut videamus: & una quam procul abſit.
Illud in his rebus minime mirabile habendum 'ſt,
Cur ea, quæ feriant oculos ſimulacra, videri
Singula cum nequeant, res ipſæ perſpiciantur,
Ventus enim quoq; paullatim cum verberat, & cum
Acre ferit frigus, non primam quamque ſolemus
Particulam venti ſentire, & frigoris ejus:
Sed magis unverſum: fierique perinde videmus
Corpore tum plagas in noſtro, tanquam aliquæ res
Verberet, atque ſui det ſenſum corporis extra.
Præterea lapidem digito cum tundimus, ipſum
Tangimus extremum ſaxi, ſummumque colorem:
Nec ſentimus eum tactu, verum magis ipſam
Duritiem penitus ſaxi ſentimus in alto.
Nunc age, cur ultra ſpeculum videatur imago,
Percipe; nam certe penitus remmota videtur.
Quod genus illa, foris quæ vere tranſpiciuntur,
Janua cum per ſe tranſpectum præbet apertum,
Multa facitque foris ex ædibus ut videantur.
Is quoque enim duplici, geminoque fit aere viſus.
Primus enim 'ſt, citra poſteis qui cernitur aer.
Inde fores ipſæ dextra, lævaque ſequuntur.
Poſt extraria lux oculos perterget, & aer
Alter, & illa, foris quæ vere tranſpiciuntur.
Sic ubi ſe primum ſpeculi projecit imago,
Dum venit ad noſtras acies, protrudit, agitque
Aera qui inter ſe cunque 'ſt, oculoſque locatus:
Et facit, ut prius hunc omnem ſentire queamus,
Quã ſpeculum: ſed ubi ſpeculum quoq; ſenſimus ipſum
Continuo à nobis in id hæc, quæ fertur, imago

Perve-

Pervenit, & noſtros oculos rejecta reviſit:
Atque alium præ ſe propellens aera volvit,
Et facit, ut prius hunc, quam ſe, videamus: eoque
Diſtare à ſpeculo tantum remmota videtur.
Quare etiam atque etiam minime mirarier eſt par,
Illis, quæ reddunt ſpeculorum ex æquore viſum,
Aeribus binis, quoniam res confit utroque.
Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars eſt,
In ſpeculis fit ut in lævia videantur, eo quod
Planitiem ad ſpeculi veniens cum offendit imago,
Non convertitur incolumis: ſed recta retrorſum
Sic eliditur, ut ſiquis prius, arida quam ſit
Cretea perſona, adlidat pilæve, trabive:
Atque ea continuo rectam ſi fronte figuram
Servet, & eliſam retro ſeſe exprimat ipſa:
Fiet, ut, ante oculus fuerit qui dexter, hic idem
Nunc ſit lævus, & è læva ſit mutua dexter.
Fit quoque, de ſpeculo in ſpeculum ut tradatur imago:
Quinque etiam, ſexve ut fieri ſimulacra fuêrit.
Nam quæcunque retro parte, interiore latebunt:
Inde tamen, quamvis torte, penituſque remota,
Omnia per flexos aditus educta licebit
Pluribus hæc ſpeculis videantur in ædibus eſſe,
Uſque adeo è ſpeculo in ſpeculum tralucet imago,
Et cum læva data 'ſt, fit rurſum ut dextera fiat:
Inde retrorſum reddit ſe, & convertit eôdem,
Quinetiam, quæcunque latuſcula ſunt ſpeculorum
Adſimili lateris flexura prædita noſtri:
Dextera eapropter nobis ſimulacra remittunt,
Aut quia de ſpeculo in ſpeculum transfertur imago,
Inde ad nos eliſa bis advolat: aut etiam quod
Circumagitur, cum venit imago, propterea quod
Flexa figura docet ſpeculi convertier ad nos.
Indugredi porro pariter ſimulacra, pedemque
Ponere nobiſcum credas, geſtumque imitari,
Propterea, quia de ſpeculi qua parte recedas,
Continuo nequeunt illinc ſimulacra reverti:

Omnia quandoquidem cogit natura referri,
Ac resilire ab rebus ad æquos reddita flexus.
Splendida porro oculi fugitant, vitantque tueri:
Sol etiam cæcat, contra si tendere pergas,
Propterea quia vis magna 'st ipsius: & alte
Aera per purum graviter simulacra feruntur,
Et feriunt oculos turbantia composituras.
Præterea splendor, quicunqu' est acer, adurit
Sæpe oculos, ideo quod semina possidet ignis
Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando.
Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati, quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt simulacris obvia rerum,
Multaque sunt oculis in eorum denique mista,
Quæ contage sua palloribus omnia pingunt.
E tenebris autem quæ sunt in luce, tuemur,
Propterea, quia cum proprior caliginis aer
Ater init oculos prior, & possedit apertos:
Insequitur candens confestim lucidus aer,
Qui quasi purgat eos, ac nigras discutit umbras
Aeris illius: nam multis partibus hic est
Mobilior, multisque minutior, & mage pollens.
Qui simul atque vias oculorum luce replevit:
Atque patefecit, quas ante obsederat ater:
Continuo rerum simulacra adaperta sequuntur:
Quæ sita sunt in luce, lacessuntque, ut videamus.
Quod contra facere in tenebris à luce nequimus,
Propterea, quia posterior caliginis aer
Crassior insequitur, qui cuncta foramina complet:
Obsiditque vias oculorum, ne simulacra
Possint ullarum rerum conjecta moveri.
Quadrataque procul turreis cum cernimus urbis,
Propterea fit, uti videantur sæpe rotundæ,
Angulus obtusus quia longe cernitur omnis,
Sive etiam potius non cernitur, ac perit ejus
Plaga, nec ad nostras acies perlabitur ictus,
Aera per multum quia dum simulacra feruntur,
Co-

Cogit hebescere eum crebris offensibus aer.
Hinc, ubi suffugit sensum simul angulus omnis,
Fit, quasi tornata ut saxorum structa tuantur:
Non tamen ut coram quæ sunt, vereque rotunda,
Sed quasi adumbratim paullum simulata videntur.
Umbra videtur item nobis in sole moveri,
Et vestigia nostra sequi, gestumque imitari,
Aera si credas privatum lumine, posse
Indugredi, motus hominum, gestusque sequentem.
Nam nihil esse potest aliud nisi lumine cassus
Aer, id, quod nos umbram perhibere suemus.
Nimirum, quia terra locis ex ordine certis
Lumine privatur solis, quacunque meantes
Officimus: repletur item, quod liquimus ejus.
Propterea fit, uti videatur, quæ fuit umbra
Corporis, è regione eadem nos usque secuta.
Semper enim nova se radiorum lumina fundunt,
Primaque dispereunt, quasi in ignem lana trahatur.
Propterea facile & spoliatur lumine terra:
Et repletur item, nigrasque sibi abluit umbras.
Nec tamen hîc oculos falli concedimus hilum.
Nam, quocunque loco sit lux, atque umbra, tueri
Illorum est, eadem vero sint lumine necne:
Umbraque, quæ fuit hîc, eadem num transeat illuc:
An potius fiat, paullo quod diximus ante:
Hoc animi demum ratio discernere debet:
Nec possunt oculi naturam noscere rerum.
Proinde animi vitium hoc oculis adfingere noli.
Qua vehimur navi, fertur, cum stare videtur:
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire:
Et fugere ad puppim colles, campique videntur,
Quos agimus præter navim, velisque volamus.
Sidera cessare ætheriis adfixa cavernis
Cuncta videntur: at adsiduo in sunt omnia motu:
Quandoquidem longos obitus exorta revisunt,
Cum permensa suo sunt cœlum corpore claro:
Solque pari ratione manere, & luna videtur

In ſtatione, ea quæ ferri res indicat ipſa.
Exſtanteſque procul medio de gurgite montes,
Claſſibus inter quos liber patet exitus: iidem
Apparent, & longe divolſi licet, ingens
Inſula conjunctis tamen ex his una videtur.
Atria verſari, & circumcurſare columnæ
Uſque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipſi
Deſierunt verti, vix ut jam credere poſſint,
Non ſupra ſeſe ruere omnia tecta minari.
Jamque rubrum tremulis jubar ignibus erigere alte
Cum cœptat natura: ſupraque extollere monteis:
Quos tibi tum ſupra ſol monteis eſſe videtur,
Comminus ipſe ſuo contingens fervidus igni:
Vix abſunt nobis miſſus bis mille ſagittæ:
Vix etiam curſus quingentos ſæpe veruti.
Inter eos, ſolemque jacent immania ponti
Æquora, ſubſtrata ætheriis ingentibus oris:
Interjectaque ſunt terrarum millia multa:
Quæ variæ retinent gentes, & ſæcla ferarum.
At conlectus aquæ digitum non altior unum,
Qui lapides inter fiſtit per ſtrata viarum,
Deſpectum præbet ſub terras impete tanto,
A terris quantum cœli patet altus hiatus:
Nubila deſpicere, & cœlum ut videare videre, &
Corpora mirando ſub terras abdita cœlo.
Denique, ubi in medio nobis equus acer obhæſit
Flumine, & in rapidas amnis deſpeximus undas:
Stantis equi corpus tranſverſum ferre videtur
Vis, & in adverſum flumen contrudere raptim:
Et, quocunque oculos trajecimus, omnia ferri,
Et fluere adſimili nobis ratione videntur.
Porticus æquali quamvis eſt denique ductu,
Stanſque in perpetuum paribus ſuffulta columnis:
Longa tamen parte ab ſumma cum tota videtur,
Paullatim trahit anguſti faſtigia coni,
Tecta ſolo jungens, atque omnia dextera lævis:
Donicum in obſcurum coni conduxit acumen.

In

In pelago nautis ex undis ortus, in undis
Sol fit uti videatur obire, & condere lumen:
Quippe ubi nil aliud nisi aquam, cœlumq; tuentur,
Ne leviter credas labefactari undique sensus.
At maris ignaris, in portu clauda videntur
Navigia, aplustris fractis, obnitier undis.
Nam quæcunque supra rorem salis edita pars est
Remorum, recta 'st: & recta superne guberna,
Quæ demersa liquore obeunt, refracta videntur.
Omnia converti, sursumque supina reverti:
Et reflexa prope in summo fluitare liquore.
Raraque per cœlum cum venti nubila portant
Tempore nocturno: tum splendida signa videntur
Labier adversum nubeis, atque ire superne
Longe aliam in partem, quam quo ratione feruntur.
At si forte oculo manus uni subdita subter
Pressit eum: quodam sensu fit, uti videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo,
Bina lucernarum florentia lumina flammis,
Binaque per totas ædeis geminare supellex:
Et duplices hominum facies, & corpora bina.
Denique cum suavi devinxit membra sopore
Somnus, & in summa corpus jacet omne quiete:
Tum vigilare tamen nobis, & membra movere
Nostra videmur, & in noctis caligine cæca
Cernere censemus solem, lumenque diurnum:
Concluso que loco cœlum, mare, flumina, monteis
Mutare, & campos pedibus transire videmur:
Et sonitus audire, severa silentia noctis
Undique cum constent, & reddere dicta tacentes.
Cætera de genere hoc mirando multa videmus:
Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt:
Nequicquam, quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus ipsi,
Pro visis ut sint, quæ non sunt sensibu' visa.
Nam nihil egregius, quam res secernere apertas
A dubiis, animus quas ab se protinus abdit.

Denique,

Denique, nil sciri siquis putat, id quoque nescit,
An sciri possit, quo se nil scire fatetur.
Hunc igitur contra mittam contendere causam,
Qui capite ipse suo instituit vestigia retro.
Et tamen hoc quoque uti concedam scire, at id ipsum
Quæram, quom in rebus veri nil viderit ante,
Unde sciat, quid sit scire, & nescire vicissim:
Notitiam veri quæ res, falsique crearit:
Et dubium certo quæ res differre probarit.
Invenies primis ab sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque sensus posse refelli.
Nam majore fide debet reperirier illud,
Sponte sua veris quod possit vincere falsa.
Quid majore fide porro, quam sensus haberi
Debet? an ab sensu falso ratio orta, valebit
Dicere eos contra, quæ tota ab sensibus orta 'st?
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa sit omnis.
An poterunt oculos aures reprehendere? an aureis
Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris?
An confutabunt nares, oculive revincent?
Non (ut opinor) ita 'st: nam seorsum quoiq; potestas
Divisa 'st: sua vis quoique 'st: ideoque necesse 'st,
Quod molle, aut durũ est: gelidum, fervensve: seorsum
Id molle, aut durum: gelidum, fervensve videri:
Et seorsum varios rerum sentire colores,
Et quæcunque coloribu' sunt conjuncta, necesse 'st.
Seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores
Nascuntur, seorsum sonitus: ideoque necesse 'st,
Non possint alios alii convincere sensus.
Nec porro poterunt ipsi reprendere sese:
Æqua fides quoniam debebit semper haberi.
Proinde, quod in quoqu'st his visũ tempore, verum'st.
Et, si non poterit ratio dissolvere causam,
Cur ea, quæ fuerint juxtim quadrata, procul sint
Visa rotunda: tamen præstat rationis egentem
Reddere mendose causas utriusque figuræ,
Quam manibus manifesta suis emittere quæquam:

Et

Et violare fidem primam, & convellere tota
Fundamenta, quibus ſixatur vita, ſaluſque.
Non modo enim ratio ruat omnis: vita quoque ipſa
Concidat extemplo, niſi credere ſenſibus auſis,
Præcipiteiſque locos vitare, & cætera, quæ ſint,
In genere hoc fugienda, ſequi, contraria quæ ſint.
Illa tibi eſt igitur verborum copia caſſa
Omnis: quæ contra ſenſus inſtructa, parata 'ſt.
Denique ut in fabrica, ſi prava 'ſt regula prima:
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit:
Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum:
Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa neceſſum 'ſt,
Prava, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta,
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque:
Prodita judiciis fallacibus omnia primis:
Sic igitur ratio tibi rerum, prava neceſſe 'ſt,
Falſaque ſit, falſis quæcunque ab ſenſibus orta 'ſt,
Nunc alii ſenſus quo pacto quiſque ſuam rem
Sentiat, haud quaquam ratio ſcrupoſa relicta 'ſt.
Principio auditur ſonus, & vox omnis, in aureis
Inſinuata ſuo pepulere ubi corpore ſenſum.
Corpoream quoq; enim vocem conſtare fatendum 'ſt,
Et ſonitum, quoniam poſſunt impellere ſenſus.
Præterradit enim vox fauceis ſæpe: facitque
Aſperiora foras gradiens arteria clamor.
Quippe, per anguſtum turba majore coorta
Ire foras ubi cœperunt primordia vocum:
Scilicet expletis quoque janua raditur oris;
Rauca ſuis, & iter lædit, qua vox it in auras.
Haud igitur dubium eſt, quin voces, verbaq; conſtent
Corporeis è principiis, ut lædere poſſint.
Nec te fallit item, quid corporis auferat, & quid
Detrahit ex hominum nervis, ac viribus ipſis
Perpetuus ſermo nigrai noctis ad umbram,
Auroræ perductus ab exoriente nitore,
Præſertim ſi cum ſummo 'ſt clamore profuſus.
Ergo corpoream vocem conſtare neceſſe 'ſt,

Multa

Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
Asperitas autem vocis fit ab asperitate
Principiorum, & item lævor lævore creatur.
Nec simili penetrant aureis primordia forma,
Quom tuba depresso graviter sub murmure mugit,
Aut reboant raucum retrocita cornua bombum:
Vallibus & cycni gelidis orti ex Heliconis
Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam.
Hasce igitur penitus voces cum corpore nostro
Exprimimus, rectoque foras emittimus ore:
Mobilis articulat verborum dædala lingua,
Formaturaque labrorum pro parte figurat.
Atque ubi non longum spatium 'st, unde illa profecta
Perveniat vox quæque, necesse 'st verba quoque ipsa
Plane exaudiri, discernique articulatim.
Servat enim formaturam, servatque figuram.
At si interpositum spatium sit longius æquo:
Aera per multum confundi verba necesse 'st,
Et conturbari vocem, dum transvolat auras.
Ergo fit, sonitum ut possis audire, neque illum
Internoscere, verborum sententia quæ sit,
Usqueadeo confusa venit vox, inque pedita.
Præterea edictum sæpe unum perciet aureis
Omnibus in populo, missum præconis ab ore.
In multas igitur voces vox una repente
Diffugit, in privas quoniam se dividit aureis,
Obsignans formam verbis, clarumque sonorem.
At, quæ pars vocum non aureis accidit ipsas,
Præterlata perit frustra diffusa per auras:
Pars solidis adlisa locis, rejecta sonorem
Reddit: & interdum frustratur imagine verbi.
Quæ bene cum videas, rationem reddere possis
Tute tibi, atque aliis, quo pacto per loca sola
Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites cum monteis inter opacos
Quærimus, & magna dispersos voce ciemus.
Sex etiam, aut septem loca vidi reddere voces.

Unam

Unam cum jaceres: ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant dicta referre.
Hæc loca capripedes Satyros, Nymphaſque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur:
Quorum noctivago ſtrepitu, ludoque jocanti
Adfirmant volgo taciturna filentia rumpi,
Chordarumque ſonos fieri, dulceiſque querelas,
Tibia quas fundit, digitis pulſata canentum:
Et genus agricolûm late ſentiſcere, cum Pan
Pinea ſemiteri capitis velamina quaſſans,
Unco ſæpe labro calamos percurrit hianteis,
Fiſtula ſilveſtrem ne ceſſet fundere muſam.
Cætera de genere hoc monſtra, ac portenta loquuntur,
Ne loca deſerta ab divis quoque forte putentur
Sola tenere: ideo jactant miracula dictis:
Aut aliqua ratione alia dicuntur, ut omne
Humanum genus eſt avidum nimis auricularum.
Quod ſupereſt, non eſt mirandum, qua ratione
Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas,
Hæc loca per voces veniant, aureiſque laceſſant.
Conloquimur clauſis foribus: quod ſæpe videmus:
Nimirum, quia vox per flexa foramina rerum
Incolumis tranſire poteſt, ſimulacra renutant.
Perſcinduntur enim, niſi recta foramina tranant:
Qualia ſunt vitri, ſpecies quæ travolat omnis.
Præterea parteis in cunctas dividitur vox:
Ex aliis aliæ quoniam gignuntur, ubi una
Diſſiluit ſemel in multas exorta, quaſi ignis
Sæpe ſolet ſcintilla ſuos ſe ſpargere in igneis,
Ergo replentur loca vocibus, abdita retro
Omnia quæ circum fuerint, ſonituque cientur.
At ſimulacra viis directis omnia tendunt,
Ut ſunt miſſa ſemel, quapropter cernere nemo
Se ſupra potis eſt: at voces accipere extra.
Et tamen ipſa quoque hæc, dum tranſit clauſa viarum
Vox, obtunditur, atque aureis confuſa penetrat:
Et ſonitum potius, quam verba, audire videmur.

Hæc,

Hæc, queis ſentimus ſuccum, lingua atque palatam,
Pluſculum habent in ſe rationis, pluſque operai.
Principio ſuccum ſentimus in ore, cibum cum
Mandendo exprimimus: ceu plenam ſpongiam aquai
Si quis forte manu premere, exſiccareque cœpit.
Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, & raræ per plexa foramina linguæ.
Hæc ubi lævia ſunt manantis corpora ſucci
Suaviter attingunt, & ſuaviter omnia tractant
Humida linguai circum ſudantia templa.
At contra pungunt ſenſum, lacerantque coorta,
Quanto quæque magis ſunt aſperitate repleta.
Deinde voluptas eſt è ſucco in fine palati.
Cum vero deorſum per fauceis præcipitavit:
Nulla voluptas eſt, dum diditur omnis in artus.
Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo, quod capis, concoctum didere poſſis
Artubus, & ſtomachi humectum ſervare tenorem.
Nunc aliis alius cur ſit cibus, ut videamus,
Expediam: quareve, aliis quod triſte, & amarum'ſt,
Hoc tamen eſſe aliis poſſit prædulce videri.
Tantaque in his rebus diſtantia, differitaſque 'ſt,
Ut quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum.
Eſt utique, ut ſerpens hominis contacta ſalivis
Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.
Præterea nobis veratrum eſt acre venenum:
At capris adipes, & coturnicibus auget.
Ut, quibus id fiat rebus, cognoſcere poſſis,
Principio meminiſſe decet, quæ diximus ante,
Semina multimodis in rebus miſta teneri.
Porro omnes, quæcunque cibum capiunt animantes,
Ut ſunt diſſimiles extrinſecus, & generatim
Extima membrorum circumcæſura coercet,
Proinde & ſeminibus diſtant, variantque figura.
Semina cum porro diſtent, differre neceſſe 'ſt
Intervalla, viaſque, foramina quæ perhibemus,
Omnibus in membris, & in ore, ipſoque palato.

Eſſe

Esse minora igitur quædam, majoraque debent,
Esse triquetra aliis, aliis quadrata necesse 'st :
Multa rotunda, modis multis multangula quædam.
Namque figurarum ut ratio, motusque reposcunt,
Proinde foraminibus debent differre figuræ :
Et variare viæ proinde ac textura coercet.
Ergo ubi quod suave 'st aliis, aliis fit amarum :
Illis, queis suave 'st, lævissima corpora debent
Contrectabiliter caulas intrare palati.
At contra, quibus est eadem res intus acerba :
Aspera nimirum penetrant, hamataque fauceis.
Nunc facile ex his est rebus cognoscere quæque.
Quippe, ubi quoi febris bili superante coorta 'st,
Aut alia ratione aliqua 'st vis excita morbi :
Perturbatur ibi totum jam corpus, & omnes
Commutantur ibi posituræ principiorum :
Fit, prius ad sensum ut quæ corpora conveniebant,
Nunc non conveniant, & cætera sint magis apta,
Quæ penetrata queunt sensum progignere acerbum.
Utraque enim sunt in mellis commista sapore,
Id quod jam superà tibi sæpe ostendimus ante.
Nunc age, quo pacto nareis adjectus odoris
Tangat, agam primum res multas esse necesse 'st,
Unde fluens volvat varius se fluctus odorum.
Nam fluere, & mitti volgo, spargique putandum 'st.
Verum aliis alius magis est animantibus aptus,
Dissimileis propter formas, ideoque per auras.
Mellis apes quamvis longe ducuntur odore :
Volturiique cadaveribus : tum fissa ferarum
Ungula quo tulerit gressum, promissa canum vis
Ducit : & humanum longe præsentit odorem
Romulidarum arcis servator, candidus anser.
Sic aliis alius nidor datus, ad sua quemque
Pabula ducit, & à tetro resilire veneno
Cogit : eoque modo servantur sæcla ferarum :
Hic odor ipse igitur, nareis quicunque lacessit,
Est alio ut possit permitti longius alter.

Sed

Sed tamen haud quiſquam tam longe ferrur eorum,
Quam ſonitus, quam vox, mitto jam dicere, quã res,
Quæ feriunt oculorum acies, viſumque laceſſunt.
Errabundus enim tarde venit, ac perit ante
Paullatim facilis diſtractus in aeris auras:
Ex alto primum quia vix emittitur ex re.
Nam penitus fluere, atque recedere rebus odores
Significat, quod fracta magis redolere videntur
Omnia, quod contrita, quod igni conlabefacta.
Deinde videre licet majoribus eſſe creatum
Principiis voci: quoniam per ſaxea ſæpta
Non penetrat, qua vox volgo, ſonituſque feruntur.
Quare etiam quod olet, non tam facile eſſe videbis
Inveſtigare, in qua ſit regione locatum,
Refrigeſcit enim cunctando plaga per auras:
Nec calida ad ſenſum decurrit nuntia rerum.
Errant ſæpe canes itaque, & veſtigia quærunt.
Nec tamen hoc ſolis in odoribus, atque ſaporum
In genere eſt: ſed item ſpecies rerum, atque colores
Non ita conveniunt ad ſenſus omnibus omnes,
Ut non ſint aliis quædam magis acria viſis.
Quinetiam gallum, noctem explaudentibus alis
Auroram clara conſuetum voce vocare,
Nemu queunt rapidi contra conſtare leones,
Inque tueri: ita continuo meminere fugai:
Nimirum, quia ſunt gallorum in corpore quædam
Semina: quæ, cum ſunt oculis immiſſa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroces:
Cum tamen hæc noſtras acies nil lædere poſſint:
Aut quia non penetrant, aut quòd penetrantibus illis
Exitus ex oculis liber datur, in remeando
Lædere ne poſſint ex ulla lumina parte.
Nunc age, quæ moveant animum res, accipe, & unde,
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico, rerum ſimulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique parteis

Tenuia,

Tenuia, quæ facile inter ſe junguntur in auris,
Obvia cum veniunt, ut aranea, bracteaque auri.
Quippe etenim multo magis hæc ſunt tenuia textu,
Quam quæ percipiunt oculos, viſumque laceſſunt:
Corporis hæc quoniam penetrant per rara: cientque
Tenuem animi naturam intus, ſenſumque laceſſunt.
Centauros itaque & Scyllarum membra videmus,
Cerbereaſque canum facies, ſimulacraque eorum,
Quorum morte obitu tellus amplectitur oſſa:
Omne genus quoniam paſſim ſimulacra feruntur,
Partim ſponte ſua quæ fiunt aere in ipſo:
Partim quæ variis ab rebus cumque recedunt:
Et quæ conſiſtunt ex horum facta figuris.
Nam certe ex vivo Centauri non fit imago:
Nulla fuit quoniam talis natura animalis.
Verum ubi equi, atq; hominis caſu convenit imago:
Hæreſcit facile extemplo, quod diximus ante,
Propter ſubtilem naturam, & tenuia texta.
Cætera de genere hoc eâdem ratione creantur.
Quæ cum mobiliter ſumma levitate feruntur,
Ut prius oſtendi: facile uno commovet ictu
Quælibet una animum nobis ſubtilis imago.
Tenuis enim mens eſt, & mire mobilis ipſa.
Hæc fieri (ut memoro) facile hinc cognoſcere poſſis,
Quatinus hoc ſimile eſt oculis, quod mente videmus,
Atque oculis ſimili fieri ratione neceſſe 'ſt:
Nunc igitur quonim docui me forte leones
Cernere per ſimulacra, oculos quæcunque laceſſunt:
Scire licet mentem ſimili ratione moveri
Per ſimulacra leonum cætera, quæ videt æque,
Nec minus, atque oculi: niſi quod mage tenuia cernit.
Nec ratione alia, cum ſomnus membra profudit,
Mens animi vigilat, niſi quod ſimulacra laceſſunt
Hæc eadem noſtros animos, quæ, quom vigilamus:
Uſque adeo, certe ut videamur cernere eum, quem
Reddita vitai jam mors, & terra potita 'ſt.
Hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes

Corpo-

Corporis affecti ſenſus per membra quieſcunt,
Nec poſſunt falſum veris convincere rebus.
Præterea meminiſſe jacet, languetque ſopore,
Nec diſſentit, eum mortis, lethique potitum
Jampridem, quem mens vivum ſe cernere credit.
Quod ſupereſt, non eſt mirum, ſimulacra moveri,
Brachiaque in numerum jactare, & cætera membra.
Nam fit, ut in ſomnis facere hoc videatur imago.
Quippe, ubi prima perit, alioque eſt altera nata
Endo ſtatu, prior hæc geſtum mutaſſe videtur.
Scilicet id fieri celeri ratione putandum 'ſt.
'Tanta eſt mobilitas, & rerum copia tanta,
'Tantaque ſenſibili quovis eſt tempore in uno
'Copia particularum, ut poſſit ſuppeditare.
Multaque in his rebus quæruntur, multaque nobis
Clarandum 'ſt, plane ſi res exponere avemus.
Quæritur in primis, quare, quod quoique libido
Venerit, extemplo mens cogitet ejus idipſum.
An 'ne voluntatem noſtram ſimulacra tuentur?
Et ſimulac volumus, nobis occurrit imago?
Si mare, ſi terram cordi 'ſt, ſi denique cœlum,
Conventus hominum, pompam, convivia, pugnas,
Omnia ſub verbône creat natura, paratque?
Quom præſertim aliis eâdem in regione, locoque
Longe diſſimileis animus res cogitet omnis?
Quid porro, in numerum procedere quom ſimulacra
Cernimus in ſomnis, & mollia membra movere,
Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt?
Et repetunt oculis geſtum pede convenienti?
Scilicet arte madent ſimulacra, & docta vagantur,
Nocturno facere ut poſſint in tempore ludos?
An magis illud erit verum, quia tempore in uno
Cum ſentimus id: ut cum vox emittitur una:
Tempora multa latent, ratio quæ comperit eſſe:
Propterea fit, uti quovis in tempore quæque
Præſto ſint ſimulacra locis in queiſque parata?
Tanta eſt mobilitas, & eorum copia tanta.

Et

Et quia tenuia sunt, nisi se contendit, acute
Cernere non potis est animus, proinde omnia, quæ sunt
Præterea, pereunt, nisi sic sese ipse paravit.
Ipse parat sese porro, speratque futurum,
Ut videat, quod consequitur rem quamque: fit ergo.
Nonne vides, oculos etiam, quom, tenuia quæ sint,
Cernere cœperunt, contendere se, atque parare:
Nec sine eo fieri posse, ut cernamus acute?
Et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
Si non advertas animum, proinde esse, quasi omni
Tempore semotæ fuerint, longeque remotæ.
Cur igitur mirum est, animus si cætera perdit,
Præter quam quibus est in rebus deditus ipse?
Deinde adopinamur de signis maxima parvis:
Ac nos in fraudem induimus, frustramur & ipsi.
Fit quoque, ut interdum non suppeditetur imago
Ejusdem generis: sed fœmina quæ fuit ante,
In manibus vir tum factus videatur adesse:
Aut alia ex alia facies, ætasque sequatur:
Quod ne miremur, sopor, atque oblivia curant.
Illud in his rebus vitium vehementer, & istum
Effugere errorem, vitareque præmeditator,
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Prospicere ut possimus: &, ut proferre viai
Proceros passus, ideo fastigia posse
Surarum, ac feminum pedibus fundata plicari:
Brachia tum porro validis ex apta lacertis
Esse, manusque datas utraque à parte ministras,
Ut facere ad vitam possimus, quæ foret usus.
Cætera de genere hoc inter quæcunque putantur:
Omnia perversa præpostera sunt ratione.
Nil adeo quoniam natum 'st in corpore, ut uti
Possemus: sed quod natum 'st, id procreat usum.
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata:
Nec dictis orare prius, quàm lingua creata 'st:
Sed potius longe linguæ præcessit origo
Sermonem: multoque creatæ sunt prius aures,

Quam

Quam ſonus eſt auditus: & omnia denique membra
Ante fuere, (ut opinor) eorum quam foret uſus.
Haud igitur potuere utendi creſcere cauſa.
At contra conferre manu certamina pugnæ,
Et lacerare artus, fœdareque membra cruore,
Ante fuit multo, quam lucida tela volarent.
Et volnus vitare prius natura coegit,
Quam daret objectum parmai læva per artem,
Scilicet & feſſum corpus mandare quieti,
Multo antiquius eſt, quam lecti mollia ſtrata.
Et ſedare ſitim prius eſt, quam pocula, natum.
Hæc igitur poſſent utendi cognita cauſa
Credier, ex uſu quæ ſunt, vitaque reperta.
Illa quidem ſeorſum ſunt omnia, quæ prius ipſa
Nata, dedere ſuæ poſt notitiam utilitatis.
Quo genere in primis ſenſus, & membra videmus.
Quare etiam atq; etiam procul eſt, ut credere poſſis,
Utilitatis ob officium potuiſſe creari.
Illud item non eſt mirandum, corporis ipſa
Quod natura cibum quærit quoiuſque animantis.
Quippe etenim fluere, atque recedere corpora rebus
Multa modis multis docui: ſed plurima debent
Ex animalibus iis, quæ ſunt exercita motu:
Multaque per ſudorem ex alto preſſa feruntur:
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.
His igitur rebus rareſcit corpus: & omnis
Subruitur natura: dolor quam conſequitur rem.
Propterea capitur cibus, ut ſuffulciat artus:
Et recreet vireis interdatus, atque patentem
Per membra ac venas ut amorem obturet edendi.
Humor item diſcedit in omnia, quæ loca cunque
Poſcunt humorem: glomerataque multa vaporis
Corpora, quæ ſtomacho præbent incendia noſtro,
Diſſupat adveniens liquor, ac reſtinguit, ut ignem:
Urere ne poſſit calor amplius aridus artus.
Sic igitur tibi anhela ſitis de corpore noſtro
Abluitur, ſic expletur jejuna cupido.

Nunc

Nunc qui fiat, uti passus proferre queamus,
Cum volumus, varieque datum sit membra movere:
Et quæ res tantum hoc oneris protrudere nostri
Corporis insuerit, dicam: tu percipe dicta.
Dico, animo nostro primum simulacra meandi
Accidere, atque animum pulsare, ut diximus ante.
Inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
Rem quisquam, quam mens providit, quid velit, ante.
At, quod providet, illius rei constat imago.
Ergo animus cum sese ita commovet, ut velit ire,
Inque gredi: ferit extemplo, quæ in corpore toto
Per membra, atque artus, animai dissita vis est.
Et facile 'st factu, quoniam conjuncta tenetur.
Inde ea proporro corpus ferit: atque ita tota
Paullatim moles protruditur, atque movetur.
Præterea tum rarescit quoque corpus: & aer,
Scilicet ut debet, qui semper mobilis exstat,
Per patefacta venit, penetratque foramina largus:
Et dispergitur ad parteis ita quasque minutas
Corporis: hinc igitur rebus fit utrinque duabus,
Corpus uti, ut navis velis, ventoque, feratur.
Nec tamen illud in his rebus mirabile constat,
Tantula quod tantum corpus corpuscula possint
Contorquere, & onus totum convertere nostrum.
Quippe etenim ventus subtili corpore tenuis
Trudit agens magnam magno molimine navim:
Et manus una regit quantovis impete euntem:
Atque gubernaclum contorquet quolibet unum.
Multaque per trochleas, & tympana pondere magno
Commovet, atque levi sustollit machina nisu.
Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem
Inriget, atque animi curas è pectore solvat:
Suavidicis potius, quam multis versibus, edam,
Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor, in ætheriis dispersus nubibus Austri.
Tu mihi da tenueis aureis, animumque sagacem:
Ne fieri negites, quæ dicam, posse: retroque

Vera

Vera repulſanti diſcedas pectore dicta:
Tutemet in culpa quom ſis, ne cernere poſſis.
Principio ſomnus fit, ubi eſt diſtracta per artus
Vis animæ, partimque foras ejecta receſſit:
Et partim contruſa magis conceſſit in altum.
Diſſolvuntur enim tum demum membra fluuntque.
Nam dubium non eſt, animai quin opera ſit
Senſus hic in nobis: quem cum ſopor impedit eſſe,
Tum nobis animam perturbatam eſſe putandum 'ſt,
Ejectamque foras, non omnem: namque jacêret
Æterno corpus perfuſum frigore lethi:
Quippe ubi nulla latens animai pars remaneret
In membris, cinere ut multa latet obrutus ignis:
Unde reconflari ſenſus per membra repente
Poſſit, ut ex igni cæco conſurgere flamma.
Sed quibus hæc rebus novitas confletur, & unde
Perturbari anima, & corpus langueſcere poſſit,
Expediam: tu fac ne ventis verba profundam.
Principio externa corpus de parte neceſſum 'ſt,
Aeriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque ejus crebro pulſarier ictu.
Proptereaque fere res omnes, aut corio ſunt,
Aut ſeta, aut conchis, aut callo, aut cortice tectæ.
Interiorem etiam partem ſpiantibus aer
Verberat hic idem cum ducitur, atque reflatur.
Quare utrinque ſecus quom corpus vapulet, & quom
Perveniant plagæ per parva foramina nobis
Corporis ad primas parteis, elementaque prima:
Fit quaſi paullatim nobis per membra ruina.
Conturbantur enim poſituræ principiorum
Corporis, atque animi, ſic, ut pars inde animai
Ejiciatur, & introrſum pars abdita cedat:
Pars etiam diſtracta per artus, non queat eſſe
Conjuncta inter ſe, nec motu mutua fungi.
Inter enim ſæpit aditus natura, viaſque.
Ergo ſenſus abit mutatis motibus alte.
Et quoniam non eſt, quaſi quod ſuffulciat artus,

Debile

Debile fit corpus, langueſcunt omnia membra :
Brachia, palpebræq; cadunt, popliteſque procumbunt
'Sæpe etiam ſummittuntur, vireiſque reſolvunt.
Deinde cibum ſequitur ſomnus, quia quæ facit aer,
Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omneis,
Efficit : & multo ſopor ille graviſſimus exſtat,
Quem ſatur, aut laſſus capias ; quia plurima tum ſe
Corpora conturbant magno contuſa labore.
Fit ratione eadem conjectus porro animai
Altior, atque foras ejectus largior ejus,
Et diviſior inter ſe, ac diſtractior intus.
Et quoi quiſque fere ſtudio devinctus adhæret :
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati :
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens :
In ſomnis eadem plerumque videmur obire :
Cauſidici cauſas agere, & componere leges :
Induperatores pugnare, ac prœlia obire :
Nautæ contractum cum ventis cernere bellum :
Nos agere hoc autem, & naturam quærere rerum
Semper, & inventam patriis exponere chartis.
Cætera ſic ſtudia, atque artes plerumque videntur
In ſomnis animos hominum fruſtrata tenere.
Et, quicunque dies multos ex ordine ludis
Adſiduas dederunt operas : plerumque videmus,
Quom jam deſtiterint ea ſenſibus uſurpare,
Relliquias tamen eſſe vias in mente patenteis,
Qua poſſint eadem rerum ſimulacra venire.
Permultos itaque illa dies eadem obverſantur
Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
Cernere ſaltanteis, & mollia membra moventeis :
Et citharæ liquidum carmen, chordaſque loquenteis,
Auribus accipere, & conſeſſum cernere eundem,
Scenaique ſimul varios ſplendere decores.
Uſque adeo magni refert ſtudium, atque voluntas,
Et quibus in rebus conſuerint eſſe operati
Non homines ſolum, ſed vero animalia cuncta.
Quippe videbis, equos forteis, cum membra jacebunt,

In somnis sudare tamen, spirareque sæpe,
Et quasi de palma summas contendere vireis:
'Tunc quasi carceribus patefactis sæpe quiete
Venantumque canes in molli sæpe quiete
Jactant crura tamen subito, voceſque repente
Mittunt, & crebras reducunt naribus auras,
Ut vestigia si teneant inventa ferarum,
Expergefactique sequuntur inania sæpe
Cervorum simulacra, fugæ quasi dedita cernant:
Donec discussis redeant erroribus ad se.
At consueta domi catulorum blanda propago
Degere, sæpe levem ex oculis, volucremq; soporem
Discutere, & corpus de terra conripere instant,
Proinde quasi ignotas facies, atque ora tuantur.
Et quam quæque magis sunt aspera semina eorum:
Tam magis in somnis eadem fævire necessum 'st.
At variæ fugiunt volucres, penniſque repente
Sollicitant divûm nocturno tempore lucos,
Accipitres somno in leni si prœlia, pugnasque
Edere sunt persectantes, visæque volantes.
Porro hominum mentes magnis quæ motibus edunt?
Magna etenim sæpe in somnis faciuntque, geruntque.
Reges expugnant, capiuntur, prœlia miscent:
Tollunt clamores, quasi si jugulentur ibidem.
Multi depugnant, gemituſque doloribus edunt:
Et quasi pantheræ morsu sævique leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.
Multi de magnis per somnum rebu' loquuntur:
Indicioque sui facti persæpe fuere.
Multi mortem obeunt: multi de montibus altis
Se quasi præcipitent ad terram corpore toto,
Exterrentur, & ex somno, quasi mentibu' capti,
Vix ad se redeunt permoti corporis æstu.
Flumen item sitiens, aut fontem propter amœnum
Adsidet, & totum prope faucibus occupat amnem.
Pusi sæpe lacum propter, se, ac dolia curta,
Somno devincti credunt extollere vestem,

Totius

Totius humorem ſaccatum ut corpori' fundant:
Cum Babylonica magnifico ſplendore rigantur.
Tum, quibus ætatis treta primitus inſinuantur,
Semen ubi ipſa dies membris matura creavit:
Conveniunt ſimulacra foris è corpore quoque,
Nuntia præclari voltus, pulchrique coloris:
Qui ciet inritans loca turgida ſemine multo:
Ut, quaſi tranſactis ſæpe omnibu'-rebu' profundant
Fluminis ingenteis fluctus, veſtemque cruentent.
Sollicitatur id in nobis, quod diximus ante,
Semen; adulta ætas cum primum roborat artus.
Namque alias aliud res commovet, atque laceſſit:
Ex homine humanum ſemen ciet una hominis vis.
Quod ſimulatque ſuis ejectum ſedibus exit:
Per membra, atque artus decedit corpore toto
In loca conveniens nervorum certa, cietque
Continuo parteis genitaleis corporis ipſas.
Inritata tument loca ſemine, fitque voluntas
Ejicere id, quo ſe contendit dira libido:
'Incitat inritans loca turgida ſemine multo,
Idque petit corpus mens, unde 'ſt ſaucia amore.
'Namque omnes plerumque cadunt in volnus, & illam
'Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu,
'Et ſi comminus eſt, hoſtem ruber occupat humor.
Sic igitur, Veneris qui telis accipit ictum,
Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,
Seu mulier toto jactans è corpore amorem,
Unde feritur, eo tendit, geſtitque coire,
Et jacere humorem in corpus de corpore ductum.
Namque voluptatem præſagit multa cupido.
Hæc Venus eſt nobis: hinc autem 'ſt nomen amoris:
Hinc illæ primum Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta, & ſucceſſit frigida cura.
Nam ſi abeſt, quod ames: præſto ſimulacra tamen ſunt
Illius, & nomen dulce obverſatur ad aureis.
Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris
Abſterrêre ſibi, atque alio convertere mentem:

Et jacere humorem conlectum in corpora quæque:
Nec retinere semel conversum unius amore:
Et servare sibi curam, certumque dolorem.
Ulcus enim vivescit, & inveterascit alendo,
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit,
Si non prima novis conturbes volnera plagis,
Volgivagaque vagus Venere ante recentia cures,
Aut alio possis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem:
Sed potius, quæ sunt sine pœna, commoda sumit.
Nam certa, & pura est sanis magis inde voluptas,
Quam miseris: etenim potiundi tempore in ipso
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum:
Nec constat quid primum oculis, manibusq; fruantur.
Quod petiere, premunt arcte, faciuntque dolorem
Corporis, & denteis inlidunt sæpe labellis,
Osculaque adfigunt, quia non est pura voluptas:
Et stimuli subsunt, qui instigant lædere idipsum,
Quodcunque est, rabies unde illæ germina surgunt.
Sed leviter pœnas frangit Venus inter amorem,
Blandaque refrænat morsus admista voluptas.
Namque in eo spes est, unde 'st ardoris origo,
Restingui quoque posse ab eodem corpore flammam.
Quod fieri contra coram natura repugnat:
Unaque res hæc est, quoius quam pluria habemus,
Tam magis ardescit dira cuppedine pectus.
Nam cibus, atque humor membris adsumitur intus:
Quæ quoniam certas possunt obsidere parteis,
Hoc facile expletur laticum, frugumque cupido:
Ex hominis vero facie, pulchroque colore,
Nil datur in corpus præter simulacra fruendum
'Tenuia, quæ vento spes raptat sæpe misella.
Ut bibere in somnis sitiens quom quærit, & humor
Non datur, ardorem in membris qui stinguere possit:
Sed laticum simulacra petit, frustraque laborat:
In medioque sitit torrenti flumine potans.
Sic in amore Venus simulacris ludit amanteis:

Nec

Nec satiare queunt spectando corpora coram:
Nec manibus quidquam teneris abradere membris
Possunt, errantes incerti corpore toto.
Denique quom membris conlatis flore fruuntur
Ætatis: quom jam præsagit gaudia corpus,
Atque in eo est Venus, ut muliebria conserat arva:
Adfigunt avide corpus, junguntque salivas
Oris: & inspirant pressantes dentibus ora:
Nequicquam, quoniam nihil inde abradere possunt,
Nec penetrare, & abire in corpus corpore toto.
Nam facere interdum id velle, & certare videntur:
Usqueadeo cupide Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.
Tandem ubi se rupit nervis conlecta cupido:
Parva fit ardoris violenti pausa parumper;
Inde redit rabies eadem, & furor ille revisit:
Quom sibi, quod cupiant ipsi, contingere quærunt:
Nec reperire, malum id possunt quæ machina vincat:
Usque adeo incerti tabescunt volnere cæco.
Adde quod absumunt vireis, pereuntque labore.
Adde quod alterius sub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, & vadimonia fiunt.
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans:
Unguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident:
Scilicet & grandes viridi cum luce smaragdi
Auro includuntur, teriturque thalassina vestis
Assidue, & Veneris sudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ:
Interdum in pallam, ac Melitensia, Ceaque vertunt.
Eximia veste & victu convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur:
Nequicquam, quoniam medio de fonte lepórum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat:
Aut quod conscius ipse animus se forte remordet,
Desidiose agere ætatem, lustrisque perire:
Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit:
Quod cupido adfixum cordi vivescit, ut ignis:

Aut nimium jactare oculos, aliumve tueri
Quod putat, in voltuque videt vestigia risus.
Atque in amore mala hæc proprio, summeq; secundo
Inveniuntur: in adverso vero, atque inopi sunt,
Prendere quæ possis oculorum lumine aperto,
Innumerabilia: ut melius vigilare sit ante,
Qua docui ratione, cavereque, ne inlaqueeris.
Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur,
Non ita difficile est quam captum retibus ipsis
Exire: & validos Veneris perrumpere nodos.
Et tamen implicitus quoque possis, inque peditus
Effugere infestum, nisi tute tibi obvius obstes:
Et prætermittas animi vitia omnia primum:
Tum quæ corpori' sunt ejus, quam percupis, ac vis.
Nam hoc faciunt homines plerumque, cupidine cæci:
Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda veré.
Multimodis igitur pravas, turpesque videmus
Esse in deliciis, summoque in honore vigere.
'Atque alios alii inrident, Veneremque iuadent
'Ut placent, quoniam fœdo adflictantur amore:
'Nec sua respiciunt miseri mala maxima sæpe.
Nigra, μελίχρως est: immunda & fœtida, ἄκοσμος.
Cæsia, παλλαδίον: nervosa, & lignea, δορκάς.
Parvola, pumilio, χαρίτων ἴα, tota merum sal:
Magna, atque immanis, καπιτώλιον, plenaq; honoris:
Balba, loqui non quit, τραυλίζει, muta, prudens est.
At flagrans, odiosa, loquacula, λαμπάδιον, fit.
Ἰσχνὸν ἐρασμιώτιον tum fit, quom vivere non quit
Præ macie: ῥαδινὴ vero est, jam mortua tussi.
At gemina & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho.
Simula, λιπὴ, ac satyra 'st: labiosa, φίλημα.
Cætera de genere hoc longum 'st si dicere coner.
Sed tamen esto jam quantovis oris honore,
Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur:
Nempe aliæ quoq; sunt: nempe hac fine vivimus ante:
Nempe eadem facit, & scimus facere omnia turpi:
Et miseram tetris se suffit odoribus ipsa:

Quam

Quam famulæ longe fugitant, furtimque cachinnant.
At lacrymans excluſus amator limina ſæpe
Floribus & ſertis operit, poſteiſque ſuperbos
Unguit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.
Quem ſi jam admiſſum, venientem offenderit aura
Una modo, cauſas abeundi quærat honeſtas:
Et meditata diu cadat alte ſumpta querela:
Stultitiæque ibi ſe damnet, tribuiſſe quod illi
Plus videat, quam mortali concedere par eſt.
Nec veneres noſtras hoc fallit: quo magis ipſæ
Omnia ſummopere hos vitæ poſtſcenia celant,
Quos retinere volunt, adſtrictoſque eſſe in amore:
Nequicquam, quoniam tu animo tamen omnia poſſis
Protrahere in lucem, atque omneis anquirere niſus.
Et ſi bello animo 'ſt, & non odioſa viciſſim,
Prætermittet te humanis concedere rebus.
Nec mulier ſemper ficto ſuſpirat amore:
Quæ complexa viri corpus cum corpore jungit,
Et tenet adſuctis humectans oſcula labris.
Nam facit ex animo ſæpe; & communia quærens
Gaudia, ſollicitat ſpatium decurrere amoris.
Nec ratione alia volucres, armenta, feræque,
Et pecudes, & equæ maribus ſubſidere poſſent,
Si non, ipſa quod illorum ſubat, ardet abundans
Natura, & venerem ſalientum læta retractat.
Nonne vides etiam, quos mutua ſæpe voluptas
Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
In triviis non ſæpe canes diſcedere aventes,
Divorſi cupide ſummis ex viribu' tendunt,
Cum interea validis Veneris compagibus hærent?
Quod facerent nunquam, niſi mutua gaudia noſſent:
Quæ lacere in fraudem poſſent, vinctoſque tenere.
Quare etiã atq;etiam (ut dico) eſt communi' voluptas.
Et commiſcendo cum ſemen forte virile
Fœmina commulxit ſubita vi, conripuitque:
Tum ſimiles matrum materno ſemine fiunt:

Ut patribus patrio: sed quos utriusque figuræ
Esse vides juxtim, miscenteis volta parentum:
Corpore de patrio, & materno sanguine crescunt,
Semina quom Veneris stimulis excita per artus
Obvia conflixit conspirans mutuus ardor:
Et neque utrum superavit eorum, nec superatum 'st.
Fit quoque, ut interdum similes exsistere avorum
Possint, & referant proavorum sæpe figuras,
Propterea, quia multa modis primordia multis
Mista suo celant in corpore sæpe parentes,
Quæ patribus patres tradunt à stirpe profecta.
Inde Venus varia producit sorte figuras:
Majorumque refert voltus, voceſque, comasque.
Quandoquidem nihilo minus hæc de semine certo
Fiunt, quam facies, & corpora, membraque nobis.
Et muliebre oritur patrio de semine sæclum:
Maternoque mares existunt corpore creti.
Semper enim partus duplici de semine constat:
Atque, utri simile est magis id, quodcunque creatur,
Ejus habet plus parte æqua, quod cernere possis,
Sive virûm suboles, sive 'st muliebris origo.
Nec divina fatum genitalem numina quoiquam
Absterrent, pater à natis ne dulcibus unquam
Appelletur, & ut sterili Venere exigat ævum:
Quod plerique putant: & multo sanguine mœsti
Conspergunt aras: adolentque altaria donis,
Ut gravidas reddant uxores semine largo.
Nequicquam divûm numen, sorteisque fatigant.
Nam steriles nimium crasso sunt semine partim:
Et liquido præter justum, tenuique vicissim.
Tenue, locis quia non potis est adfigere adhæsum,
Liquitur extemplo, & revocatum cedit ab ortu.
Crassius hoc porro, quoniam concretius æquo
Mittitur: aut non tam prolixo provolat ictu:
Aut penetrare locos æque nequit: aut penetratum,
Ægre admiscetur muliebri semine semen,

Nam

Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur.
Atque alias alii complent magis, ex aliisque
Suscipiunt aliæ pondus magis, inque gravescunt.
Et multæ steriles Hymenæis ante fuerunt
Pluribus: & nactæ post sunt tamen, unde puellos
Suscipere, & partu possent ditescere dulci.
Et, quibus ante domi fœcundæ sæpe nequissent
Uxores parere, inventa 'st illis quoque compar
Natura, ut possent natis munire senectam.
Usque adeo magni refert, ut semina possint
Seminibus commiscerì genitaliter apta,
Crassaque conveniant liquidis, & liquida crassis,
Quæ quoi juncta viro sit femina per Veneris res.
Atque adeo refert, quo victu vita colatur.
Namque aliis rebus concrescunt semina membris,
Atque aliis extenuantur, tabentque vicissim.
Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoque permagni refert: nam more ferarum,
Quadrupedumque magis ritu, plerumque putantur
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
Nec molles opu' sunt motus uxoribus hilum.
Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat,
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet:
Atque exossato ciet omni pectore fluctus.
Licet enim sulci recta regione, viaque
Vomerem, atque locis avertit seminis ictum.
Idque sua causa consuerunt scorta moveri,
Ne complerentur crebro, gravidæque jacerent,
Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset:
Conjugibus quod nil nostris opus esse videtur.
Nec divinitus est interdum, Veneriscque sagittis,
Deteriore fit ut forma muliercula ametur.
Nam facit ipsa suis interdum femina factis,
Morigerisque modis, & mundo corpori' cultu,
Ut facile insuescat secum vir degere vitam.

Quod ſupereſt, conſuetudo concinnat amorem.
Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo ſpatio tamen, atque labaſcit,
Nonne vides, etiam guttas in ſaxa cadenteis
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

T. LU-

T. LUCRETII.

LIBER QUINTUS.

QUis potis eſt dignum polleti pectore carmen
Condere, pro rerum majeſtate, hiſque repertis?
Quiſve valet verbis tantum, qui fundere laudes
Pro meritis ejus poſſit, qui talia nobis
Pectore prata ſuo, quæſitaque præmia liquit?
Nemo (ut opinor) erit mortali corpore cretus.
Nam ſi, ut ipſa petit majeſtas cognita rerum,
Dicendum 'ſt: deus ille fuit, deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invênit eam, quæ
Nunc appellatur ſapientia: quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantiſque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.
Confer enim divina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe:
Cum tamen his poſſet ſine rebus vita manere:
Ut fama 'ſt, aliquas etiam nunc vivere genteis.
At bene non poterat ſine puro pectore vivi.
Quo magis hic merito nobis deus eſſe videtur:
Ex quo nunc etiam per magnas dida genteis
Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ.
Herculis antiſtare autem ſi facta putabis:
Longius à vera multo ratione ferere.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obeſſet, & horrens Arcadius ſus?

Denique

Denique quid Cretæ taurus, Lernæaque peſtis
Hydra venenatis poſſet vallata colubris?
Quidve tripectora tergemini vis Geryonai?
Et Diomedis equi ſpirantes naribus ignem,
Thracen, Biſtoniaſque plagas, atque Iſmara propter,
Tantopere officerent nobis? unciſque timendæ
Unguibus Arcadiæ volucres Stymphâla colentes?
Aureaque Heſperidum ſervans fulgentia mâla
Aſper, acerba tuens, immani corpore ſerpens,
Arboris amplexus ſtirpem: quid denique obeſſet,
Propter Atlantæum littus, pelageque ſevera,
Quo neq; noſter adit quiſquam, neq; Barbarus audet?
Cætera de genere hoc quæ ſunt portenta perempta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
Nil, ut opinor, ita ad ſatiatem terra ferarum
Nunc etiam ſcatit, & trepido terrore repleta 'ſt
Per nemora ac montes magnos, ſylvaſq; profundas:
Quæ loca vitandi plerumque eſt noſtra poteſtas.
At niſi purgatum 'ſt pectus, quæ prœlia nobis,
Atque pericula tunc ingratis inſinuandum?
Quantæ conſcindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curæ? quantique perinde timores?
Quidve ſuperbia, ſpurcities, petulantia, quantas
Efficiunt cladeis? quid luxus, deſidieſque?
Hæc igitur qui cuncta ſubegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis: nonne decebit,
Hunc hominem numero divûm dignarier eſſe?
Cum bene præſertim multa, ac divinitus ipſis
Immortalibu' de divis dare dicta ſuerit:
Atque omnem rerum naturam pandere dictis,
Quoius ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes
Proſequor: ac doceo dictis, quo quæque creata
Fœdere ſint, in eo quàm ſit durare neceſſum:
Nec validas ævi valeant reſcindere leges.
Quo genere in primis animi natura reperta 'ſt,
Nativo primum conſiſtere corpore creta:
Nec poſſe incolumis magnum durare per ævum:

Sed

Sed ſimulacra ſolere in ſomnis fallere mentem,
Cernere cum videamur eum, quem vita reliquit.
Quod ſupereſt, nunc me huc rationis detulit ordo,
Ut mihi, mortali conſiſtere corpore mundum,
Nativumque ſimul, ratio reddunda ſit, eſſe:
Et quibus ille modis congreſſus materiai
Fundarit terram, cœlum, mare, ſidera, ſolem,
Lunaique globum: tum quæ tellure animantes
Exſtiterint: & quæ nullo ſint tempore natæ:
Quove modo genus humanum variante loquela
Cœperit inter ſe veſci per nomina rerum:
Et quibus ille modis divûm metus inſinuarit
Pectora, terrarum qui in orbi ſancta tuetur
Fana, lacus, lucos, aras, ſimulacraque divûm.
Præterea ſolis curſus, lunæque meatus
Expediam, qua vi flectat natura gubernans:
Ne forte hîc inter cœlum, terramque reamur
Libera ſponte ſua curſus luſtrare peremneis,
Morigera ad fruges augendas, atque animanteis:
Neve aliqua divûm volvi ratione putemus.
Nam, bene qui didicere deos ſecurum agere ævum,
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri poſſint, præſertim rebus in illis,
Quæ ſupera caput ætheriis cernuntur in oris:
Rurſus in antiquas referuntur relligiones,
Et dominos acreis adſciſcunt, omnia poſſe
Quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,
Quid nequeat: finita poteſtas denique quoique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus hærens.
Quod ſupereſt, ne te in promiſſis plura moremur,
Principio, maria ac terras, cœlumque tuêre:
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Treis ſpecies tam diſſimileis, tria talia texta,
Una dies dabit exitio: multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina mundi.
Nec me animi fallit, quam res nova, miraque menti,
Accidat, exitium cœli terræque futurum:

Et

Et quam difficile id mihi sit pervincere dictis:
Ut fit, ubi insolitam rem adportes auribus ante,
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,
Nec jacere indu manus, via qua munita fideij
Proxima fert humanum in pectus, templaq; mentis.
Sed tamen effabor: dictis dabit ipsa fidem res
Forsitan, & graviter terrarum & motibus orbis
Omnia conquassari in parvo tempore cernes:
Quod procul à nobis flectat fortuna gubernans;
Et ratio potius, quam res persuadeat ipsa,
Succidere horrisono posse omnia victa fragore.
Qua prius aggrediar quam de re fundere fata
Sanctius, & multo certa ratione magis, quam
Pythia quæ tripode è Phœbi, lauroque profatur:
Multa tibi expediam doctis solatia dictis:
Relligione refrænatus ne forte rearis,
Terras, & solem, cœlum, mare, sidera, lunam,
Corpore divino debere æterna manere:
Propterea que putes, ritu par esse Gigantum,
Pendere eos pœnas immani pro scelere omneis,
Qui ratione sua disturbent mœnia mundi,
Præclarumque velint cœli restinguere solem,
Immortalia mortali sermone notantes:
Quæ procul usqueadeo divino ab numine distent,
Inque deûm numero sic sint indigna videri,
Notitiam potius præbere ut posse putentur,
Quid sit vitali motu, sensuque remotum.
Quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
Posse animi natura putetur, consiliumque.
Sicut in æthere non arbor, nec in æquore salso:
Nubes esse queunt, neque pisces vivere in arvis:
Nec cruor in lignis, nec saxis succus inesse.
Certum, ac dispositum'st, ubi quicquid crescat, & insit:
Sic animi natura nequit sine corpore oriri
Sola, neque à nervis, & sanguine longiter esse.
Hoc si posset enim: multo prius ipsa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus esse

Posset,

Posset, & innasci quavis in parte soleret:
Tandem in eodem homine, atq; in eodem vase maneret.
Quod quoniam nostro quoq; constat corpore certum,
Dispositumque videtur, ubi esse, & crescere possit
Seorsum anima, atq; animus: tanto magis inficiandum,
Totum posse extra corpus, formamque animalem
Putribus in glebis terrarum, aut solis in igni,
Aut in aqua durare, aut altis ætheris oris.
Haud igitur constant divino prædita sensu,
Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.
Illud item non est ut possis credere, sedes
Esse Deûm sanctas in mundi partibus ullis.
Tenuis enim natura Deûm, longeque remota
Sensibus à nostris, animi vix mente videtur.
Quæ quoniam manuum tactum suffûgit, & ictum,
Tactile nil nobis quod sit, contingere debet.
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipsum.
Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
Dissimiles debent, tenues de corpore eorum.
Quæ tibi posterius largo sermone probabo.
Dicere porro, hominum causa voluisse parare
Præclaram mundi naturam, propterea que
Id laudabile opus divûm laudare decere,
Æternumque putare, atque immortale futurum,
Nec fas esse, Deûm quod sit ratione vetusta
Gentibus humanis fundatum perpetuo ævo,
Sollicitare suis ullum de sedibus unquam,
Nec verbis vexare, & ab imo evertere summam:
Cætera de genere hoc adfingere, & addere, Memmi,
Desipere 'st; quid enim immortalibus, atque beatis
Gratia nostra queat largirier emolumenti,
Ut nostra quicquam causa gerere adgrediantur?
Quidve novi potuit tanto post ante quietos
Inlicere, ut cuperent vitam mutare priorem?
Nam gaudere novis rebus debere videtur,
Cui veteres obsunt? sed, cui nil accidit ægri
Tempore in anteacto, cum pulchre degeret ævum,

Quid

Quid potuit nòvitatis amorem accendere tali?
An credo in tenebris vita, ac mœrore jacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?
Quidve mali fuerat nobis non esse creatis?
Natus enim debet quicunque 'st, velle manere
In vita, donec retinebit blanda voluptas.
Qui nunquam vero vitæ gustavit amorem,
Nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?
Exemplum porro gignundis rebus, & ipsa
Notities hominum, divis unde insita primum?
Quid vellent facere ut scirent, animoque viderent?
Quove modo 'st unquam vis cognita principiorum,
Quidnam inter sese permutato ordine possent,
Si non ipsa dedit specimen natura creandi?
Namq; ita multa modis multis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,
Quæcunque inter se possint congressa creare,
Ut non sit mirum si in taleis disposituras
Deciderunt quoque, & in taleis vênere meatus,
Qualibus hæc rerum genitur nunc summa novando.
Quod si jam rerum ignorem primordia quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis cœli rationibus ausim
Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus esse paratam
Naturam rerum, tanta stat prædita culpa.
Principio, quantum cœli tegit impetus ingens,
Inde avidam partem montes silvæque ferarum
Possedere, tenent rupes, vastæque paludes,
Et mare, quod late terrarum distinet oras.
Inde duas porro prope parteis fervidus ardor,
Assiduusque geli casus mortalibus aufert.
Quod superest arvi, tamen id natura sua vi
Sentibus obducat, ni vis humana resistat,
Vitai causa valido consueta bidenti
Ingemere, & terram pressis proscindere aratris.

Si

Si non fœcundas vertentes vomere glebas,
Terraique ſolum ſubigentes cimus ad ortus:
Sponte ſua nequeant liquidas exiſtere in auras:
Et tamen interdum magno quæſita labore,
Cum jam per terras frondent, atque omnia florent;
Aut nimiis torret fervoribus ætherius ſol,
Aut ſubiti perimunt imbres, gelidæque pruinæ,
Flabraque ventorum violento turbine vexant.
Præterea genus horriferûm natura ferarum,
Humanæ genti infeſtum, terraque marique,
Cur alit, atque auget? cur anni tempora morbos
Apportant? quare mors immatura vagatur?
Tum porro puer, ut ſævis projectus ub undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitali auxilio: cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit:
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum 'ſt,
Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.
At variæ creſcunt pecudes, armenta, feræque:
Nec crepitacula eis opu' ſunt, nec cuiquâ adhibenda'ſt
Almæ nutricis blanda atque infracta loquela:
Nec varias quærunt veſteis pro tempore cœli.
Denique non armis opus eſt, non mœnibus altis,
Queis ſua tutentur, quando omnibus omnia large
Tellus ipſa parit, naturaque dædala rerum.
Principio quoniam terrai corpus, & humor,
Aurarumque leves animæ, calidique vapores,
E quibus hæc rerum conſiſtere ſumma videtur,
Omnia nativo ac mortali corpore conſtant:
Debet tota eadem mundi natura putari.
Quippe etenim quorum parteis, & membra videmus
Corpore nativo & mortalibus eſſe figuris:
Hæc eadem ferme mortalia cernimus eſſe,
Et nativa ſimul: quapropter maxima mundi
Cum videam membra, ac parteis conſumpta regigni,
Scire licet, cœli quoque idem terræque fuiſſe
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.

Illud

Illud in his rebus ne me arripuisse rearis,
Memmi, quod terram, atque ignem mortalia sumpsi
Esse: neque humorem dubitavi, auraſque perire:
Atque eadem gigni, rursusque augescere dixi:
Principio pars terrai nonnulla perusta
Solibus assiduis, multa pulsata pedum vi
Pulveris exhalat nebulam, nubeisque volanteis,
Quas validi toto dispergunt aere venti:
Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
Imbribus, & ripas radentia flumina rodunt.
Præterea pro parte sua quodcunque alid, auget,
Roditur: & quoniam dubio procul esse videtur
Omniparens, eadem rerum commune sepulcrum:
Ergo terra tibi limatur, & aucta recrescit.
Quod superest, humore novo mare, flumina, fonteis
Semper abundare, & latices manare perenneis,
Nil opus est verbis, magnus decursus aquarum
Undique declarat: sed primum quicquid aquai
Tollitur, in summaque fit, ut nihil humor abundet,
Partim quod validi verrentes æquora venti
Deminuunt, radiisque retexens ætherius sol:
Partim quod subter per terras dividitur omneis.
Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Convenit: inde super terras fluit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.
Aera nunc igitur dicam, qui corpore toto
Innumerabiliter privas mutatur in horas.
Semper enim quodcunque fluit de rebus, id omne
Aeris in magnum fertur mare: qui nisi contra
Corpora retribuat rebus, recreetque fluenteis,
Omnia jam resoluta forent, & in aera versa.
Haud igitur cessat gigni de rebus, & in res
Recidere assidue, quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis, ætherius sol
Inrigat assidue cœlum candore recenti,
Suppeditatque novo confestim lumine lumen.

Nam

Nam primum quicquid fulgoris diſperit eij,
Quocunq; accidit: id licet hinc cognoſcere poſſis,
Quod ſimul ac primum nubes ſuccedere ſoli
Cœpere, & radios inter quaſi rumpere lucis,
Extemplo inferior pars horum diſperit omnis,
Terraque inumbratur, qua nimbi cunque feruntur,
Ut noſcas ſplendore novo res ſemper egere,
Et primum jactum fulgoris quemque perire,
Nec ratione alia res poſſe in ſole videri,
Perpetuo ni ſuppeditet lucis caput ipſum.
Quin etiam nocturna tibi, terreſtria quæ ſunt,
Lumina, pendentes lychni, claræque coruſcis
Fulguribus pingues multa caligine tedæ,
Conſimili properant ratione, ardore miniſtro
Suppeditare novum lumen, tremere ignibus inſtant:
Inſtant, nec loca lux inter quaſi rupta relinquit:
Uſqueadeo properanter ab omnibus ignibus ejus
Exitium celeri toleratur origine flammæ.
Sic igitur, ſolem, lunam, ſtellaſque putandum
Ex alio, atque alio lucem jactare ſubortu,
Et primum quicquid flammai perdere ſemper:
Inviolabilia hæc ne credas forte vigere.
Denique non lapides quoque vinci cernis ab ævo?
Non altas turreis ruere, & putreſcere ſaxa?
Non delubra deûm, ſimulacraque feſſa fatiſci?
Nec ſanctum numen fati protollere fineis
Poſſe? neque adverſus naturæ fœdera niti?
Denique non monumenta virûm dilapſa videmus
Cedere proporro, ſubitoque ſeneſcere caſu?
Non ruere avolſos ſilices à montibus altis,
Nec validas ævi vireis perferre patique
Finiti? neque enim caderent avolſa repente,
Ex infinito quæ tempore pertoleraſſent
Omnia tormenta ætatis privata fragore.
Deniq; jam tûere hoc circû, ſupraque, quod omnem
Continet amplexu terram: quod procreat ex ſe
Omnia (quod quidam memorant) recipitq; peremta:

Totum

Totum nativum mortali corpore constat.
Nam quodcunque alias ex se res auget, alitque,
Deminui debet, recreari cum recipit res.
Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrai & cœli, semperque æterna fuere:
Cur supera bellum Thebanum, & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere poetæ?
Quo tot facta virûm toties cecidere? nec usquam
Æternis famæ monumentis insita florent?
Verum (ut opinor) habet novitatem summa, recensq;
Natura 'st mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur:
Nunc etiam augescunt, nunc addita navigiis sunt
Multa: modo organici melicos peperere sonores.
Denique natura hæc rerum, ratioque reperta 'st
Nuper, & hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere voces.
Quod si forte fuisse antehac eadem omnia credis:
Sed periisse hominum torrenti sæcla vapore,
Aut cecidisse urbeis magno vexamine mundi,
Aut ex imbribus assiduis exisse rapaceis
Per terras, amneis, atque oppida cooperuisse:
Tanto quippe magis victus fateare necesse 'st,
Exitium quoque terrai, cœlique futurum.
Nam cum res tantis morbis tantisque periclis
Tentarentur: ibi si tristior incubuisset
Causa, darent late cladem, magnasque ruinas:
Nec ratione alia mortales esse videmur
Inter nos: nisi quod morbis ægriscimus isdem,
Atque illi, quos à vita natura removit.
Præterea quæcunque manent æterna, necesse 'st,
Aut quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat arctas
Dissociare intus parteis, ut materiai
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante:
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sicut Inane 'st,

Quod

Quod manet intactum, neq; ab ictu fungitur hilum:
Aut etiam, quia nulla loci sit copia circum,
Quo quasi res possint discedere, dissolvique,
Sicut summarum summa 'st æterna, neque extra
Quis locus est, quo dissiliant: neq; corpora sunt, quæ
Possint incidere, & valida dissolvere plaga.
At neque (uti docui) solido cum corpore mundi
Natura 'st, quoniam admistum 'st in rebus Inane:
Nec tamen est ut Inane, neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint forte coorta
Proruere hanc rerum violento turbine summam,
Aut aliam quamvis cladem importare pericli.
Nec porro natura loci, spatiumque profundi
Deficit, exspergi quo possint mœnia mundi,
Aut alia quavis possint vi pulsa perire.
Haud igitur lethi præcluſa 'st janua cœlo,
Nec soli, terræque, nec altis æquoris undis:
Sed patet immani, & vasto respectat hiatu.
Quare etiam nativa necessum 'st confiteare
Hæc eadem: neq; enim mortali corpore quæ sunt,
Ex infinito jam tempore adhuc potuissent
Immensi validas ævi contemnere vireis.
Denique tantopere inter se cum maxima mundi
Pugnent membra, pio nequaquam concita bello:
Nonne vides aliquam longi certaminis ollis
Posse dari finem? vel cum sol, & vapor omnis
Omnibus epotis humoribus exsuperarint,
Quod facere intendunt, neq; adhuc conata patrantur:
Tantum suppeditant amnes, ultroque minantur
Omnia diluviare ex alto gurgite ponti,
Nequicquam, quoniam verrentes æquora venti
Deminuunt, radiisque retexens ætheriis sol;
Et siccare prius confidunt omnia posse,
Quam liquor incepti possit contingere finem
Tantum spirantes æquo certamine bellum
Magnis de rebus inter se cernere certant:
Cum semel in terra fuerit superantior ignis,

Et

Et semel (ut fama 'st) humor regnarit in arvis.
Ignis enim superavit, & ambens multa perussit,
Avia cum Phaethonta rapax vis solis equorum
Æthere raptavit toto, terrasque per omneis.
At pater omnipotens ira tum percitus acri
Magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram; solque cadenti
Obvius æternam succepit lampada mundi:
Disiectosque redegit equos, junxitque trementeis:
Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans,
Scilicet ut veteres Graiûm cecinere poetæ:
Quod procul à vera 'st animi ratione repulsum
Ignis enim superare potest, ubi materiai
Ex infinito sunt corpora plura coorta:
Inde cadunt vires aliqua ratione revictæ:
Aut pereunt res exustæ torrentibus auris.
Humor item quondam cœpit superare coortus,
Ut fama 'st hominum, multas quando obruit urbeis,
Inde ubi vis aliqua ratione aversa recessit,
Ex infinito fuerat quæcunque coorta,
Constiterunt imbres, & flumina vim minuerunt.
Sed quibus ille modis conjectus materiai
Fundârit cœlum ac terram, pontique profunda,
Solisque & lunæ cursus, ex ordine ponam.
Nam certe neque consilio primordia rerum
Ordine se quæque, atque sagaci mente locarunt:
Nec quos quæque darent motus pepigere profecto:
Sed quia multa modis multeis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,
Quæcunque inter se possent congressa creare:
Propterea fit, uti magnum volgata per ævum
Omnigenos cœtus, & motus experiundo,
Tandem ea conveniant, quæ ut convenêre, repente
Magnarum rerum fiant exordia sæpe,
Terrai, maris, & cœli, generisque animantum.

Hîc

Hîc neque tum ſolis rota cerni lumine largo
Altivolans poterat, neque magni ſidera mundi,
Nec mare, nec cœlum, nec denique terra, neque aer,
Nec ſimilis noſtris rebus res ulla videri:
Sed nova tempeſtas quædam, moleſque coorta,
Diffugere inde loci partes cœpere, pareſque
Cum paribus jungi res, & diſcludere mundum,
Membraque dividere, & magnas diſponere parteis
Omnigenis è principiis, diſcordia quorum,
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concurſus, motus turbabat, prœlia miſcens,
Propter diſſimileis formas variaſque figuras,
Quod non omnia ſic poterant conjuncta manere,
Nec motus inter ſeſe dare convenienteis:
Hoc eſt à terris altum ſecernere cœlum,
Et ſeorſum mare, uti ſecreto humore pateret,
Seorſus item puri, ſecretique ætheris ignes.
Quippe etenim primum terrai corpora quæque,
Propterea quod erant gravia, & perplexa, coibant,
In medioque imas capiebant omnia ſedes.
Quæ quantò magis inter ſe perplexa coibant,
Tam magis expreſſere ea, quæ mare, ſidera, ſolem,
Lunamque efficerent, & magni mœnia mundi.
Omnia enim magis hæc ê levibus atque rotundis
Seminibus, multoque minoribu' ſunt elementis,
Quam tellus: ideo per rara foramina terræ
Partibus erumpens primus ſe ſuſtulit æther
Signifer, & multos ſecum levis abſtulit igneis:
Non alia longe ratione, ac ſæpe videmus,
Aurea cum primum gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina ſolis,
Exhalantque lacus nebulam, fluviique perennes:
Ipſa quoque interdum tellus fumare videtur:
Omnia quæ ſurſum cum conciliantur in alto,
Corpore concreto ſubtexunt nubila cœlum:
Sic igitur tum ſe levis, ac diffuſilis æther
Corpore concreto circumdatus undique ſepſit,

Et

Et late diffusus in omneis undique parteis,
Omnia sic avido complexu cætera sepsit.
Hunc exordia sunt solis lunæque secuta:
Inter utrosque globi quorum vertuntur in auris:
Quæ neque terra sibi adscivit, neq; maximus æther:
Quod nec tam fuerint gravia, ut depressa sederent:
Nec levia, ut possent per summas labier oras:
Et tamen inter utrosque ita sunt, ut corpora viva
Versent, & partes ut mundi totius extent.
Quod genus in nobis quædam licet in statione
Membra manere, tamen cum sint ea, quæ moveantur.
His igitur rebus retractis, terra repente,
Maxima qua nunc se ponti plaga cærula tendit,
Succidit, & salso suffudit gurgite fossas:
Inque dies quanto circum magis ætheris æstus,
Et radii solis cogebant undique terram
Verberibus crebris extrema ad limina apertam,
In medio ut propulsa suo condensa coiret:
Tam magis expressus salsus de corpore sudor
Augebat mare manando, camposque natanteis:
Et tanto magis illa foras elapsa volabant
Corpora multa vaporis, & aeris, altaque cœli
Densebant procul à terris fulgentia templa:
Sidebant campi, crescebant montibus altis
Ascensus: neque enim poterant subsidere saxa,
Nec pariter tantundem omnes succumbere partes.
Sic igitur terræ concreto corpore pondus
Constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum
Confluxit gravis, & subsedit funditus, ut fæx.
Inde mare, inde aer, inde æther ignifer ipse,
Corporibus liquidis sunt omnia pura relicta,
Et leviora aliis alia, & liquidissimus æther,
Atque levissimus aerias super influit auras,
Nec liquidum corpus turbantibus aeris auris
Commiscet: sinit hæc violentis omnia verti
Turbinibus: sinit incertis turbare procellis:
Ipse suos igneis certo fert impete labens.

Nam

Nam modice fluere, atque uno posse æthera nisu,
Significat ponti mare, certo quod fluit æstu,
Unum labendi conservans usque tenorem.
Motibus astrorum nunc quæ sit causa canamus.
Principio magnus cœli si vertitur orbis:
Ex utraque polum parti premere aera nobis
Dicendum 'st: extraq; tenere, & claudere utrinque:
Inde alium supera fluere, atque intendere eôdem,
Quo volvenda micant æterni sidera mundi:
Ast alium subter, contra qui subvehat orbem:
Ut fluvios versare rotas, atque haustra videmus.
Est etiam quoque, uti possit cœlum omne manere
In statione, tamen cum lucida signa ferantur:
Sive quod inclusi rapidi sunt ætheris æstus,
Quærentesque viam circumversantur, & ignes
Passim per cœli volvunt se immania templa:
Sive aliunde fluens alicunde extrinsecus aer
Versat agens igneis: sive ipsi serpere possunt,
Quo cujusque cibus vocat atque invitat eunteis,
Flammea per cœlum pascenteis corpora passim.
Nam quid in hoc mundo sit eorum, ponere certum
Difficile 'st: sed quid possit, fiatque per Omne
In variis mundis varia ratione creatis,
Id doceo: plureisque sequor disponere causas
Motibus astrorum: quæ possint esse per Omne.
E quibus una tamen sit & hæc quoq; causa necesse 'st,
Quæ vegeat motum signis: sed quæ sit earum
Præcipere, haud quaquam 'st pedetentim progredientis.
Terraque ut in media mundi regione quiescat,
Evanescere paullatim, & decrescere pondus
Convenit: atque aliam naturam subter habere
Ex ineunte ævo conjunctam, atque uniter aptam
Partibus aeriis mundi, quibus insita fidit.
Propterea non est oneri, neque deprimit auras:
Et sua cuique homini nullo sunt pondere membra:
Nec caput est oneri collo, nec denique totum
Corporis in pedibus pondus sentimus inesse.

At quæcunque foris veniunt, impoſtaque nobis
Pondera ſunt, lædunt permulto ſæpe minora:
Uſqueadeo magni refert, cui quæ adjaceat res.
Sic igitur tellus non eſt aliena repente
Adlata, atque auris aliunde objecta alienis:
Sed pariter prima concepta ab origine mundi:
Certaque pars ejus, quaſi nobis membra, videtur.
Præterea grandi tonitru concuſſa repente
Terra, ſupra ſe quæ ſunt, concutit omnia motu:
Quod facere haud ulla poſſet ratione, niſi eſſet
Partibus aeriis mundi, cœloque revincta.
Nam communibus inter ſe radicibus hærent
Ex ineunte ævo conjuncta, atque uniter apta.
Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis
Suſtineat corpus tenuiſſima vis animai,
Propterea quia tam conjuncta, atq; uniter apta 'ſt?
Denique jam ſaltu pernici tollere corpus
Quis potis eſt, niſi vis animæ, quæ membra gubernat?
Jamne vides quantum tenuis natura valere
Poſſit, ubi eſt conjuncta gravi cum corpore, ut aer
Conjunctus terris, & nobis eſt animi vis?
Nec nimio ſolis major rota, nec minor ardor
Eſſe poteſt, noſtris quam ſenſibus eſſe videtur.
Nam quibus è ſpatiis cunque ignes lumina poſſunt
Adjicere, & calidum membris adflare vaporem,
Illa ipſa intervalla nihil de corpore limant
Flammarum, nihilo ad ſpeciem 'ſt contractior ignis.
Proinde calor quoniam ſolis, lumenque profuſum
Perveniunt noſtros ad ſenſus, & loca tingunt:
Forma quoque hinc ſolis debet filumque videri,
Nil adeo ut poſſis plus, aut minus addere vere.
Lunaque ſive notho fertur loca lumine luſtrans,
Sive ſuam proprio jactat de corpore lucem,
Quicquid id eſt, nihilo fertur majore figura,
Quam, noſtris oculis quam cernimus, eſſe videtur.
Nam prius omnia, quæ longe remmota tuemur
Aera per multum ſpecie confuſa videntur,

Quam

Quam minimum filum: quapropter luna neceſſe 'ſt,
Quandoquidem claram ſpeciem, certamque figuram
Præbet, ut eſt oris extremis cunque notata,
Quanta hæc cunque fuat, tanta hinc videatur in alto.
Poſtremo quoſcunque vides hinc ætheris igneis,
(Quandoquidem, quoſcunq; in terris cernimus igneis,
Dum tremor eſt clarus, dum cernitur ardor eorum;
Perparvum quiddam interdum mutare videntur
Alterutram in partem filum, cum longius abſint,)
Scire licet, perquam pauxillo poſſe minores
Eſſe, vel exigua majores parte, brevique:
Illud item non eſt mirandum, qua ratione
Tantulus ille queat tantum ſol mittere lumen,
Quod maria, ac terras omneis cœlumque rigando
Compleat, & calido perfundat cuncta vapore.
Nam licet hinc mundi patefactum totius unum
Largifluum fontem ſcatere, atque erumpere flumen
Ex omni mundo, quo ſic elementa vaporis
Undique conveniunt, & ſic conjectus eorum
Confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor;
Nonne vides etiam, quam late parvus aquai
Prata riget fons interdum, campiſque redundet?
Eſt etiam quoque, uti non magno ſolis ab igni
Aera percipiat calidis fervoribus ardor,
Opportunus ita 'ſt ſi forte, & idoneus aer,
Ut queat accendi parvis ardoribus ictus:
Quod genus interdum ſegetes ſtipulamque videmus
Accipere ex una ſcintilla incendia paſſim,
Forſitan & roſea ſol alte lampade lucens
Poſſideat multum cæcis fervoribus ignem
Circum ſe, nullo qui ſit fulgore notatus,
Æſtiferum ut tantum radiorum exaugeat ictum.
Nec ratio ſolis ſimplex, nec certa pateſcit,
Quo pacto æſtivis è partibus Ægocerotis
Brumaleis adeat flexus, atque inde revertens
Cancris ut vertat metas ſe ad ſolſtitialeis:
Lunaque menſibus id ſpatium videatur obire,

Annua sol in quo consumit tempora cursu:
Non, inquam, simplex his rebus reddita causa 'st.
Nam fieri vel cum primis id posse videtur,
Democriti quod sancta viri sententia ponit:
Quanto quæque magis sint terram sidera propter,
Tanto posse minus cum cœli turbine ferri.
Evanescere enim rapidas illius, & acreis
Imminui subter vireis, ideoque relinqui
Paullatim solem cum posterioribu' signis,
Inferior multo quod sit, quam fervida signa:
Et magis hoc lunam: & quanto demissior ejus
Cursus abest procul à cœlo, terrisque propinquat,
Tanto posse minus cum signis tendere cursum.
Flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur
Inferior quam sol, tanto magis omnia signa
Hanc adipiscuntur, circum præterque feruntur.
Propterea fit, ut hæc ad signum quodque reverti
Mobilius videatur, ad hanc quia signa revisunt.
Fit quoque ut è mundi transversis partibus aer
Alternis certo fluere alter tempore possit,
Qui queat æstivis solem detrudere signis
Brumaleis usque ad flexus, gelidumque rigorem:
Et qui rejiciat gelidis à frigoris umbris
Æstiferas usque in parteis, & fervida signa.
Et ratione pari lunam, stellasque putandum 'st,
Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos,
Aeribus posse alternis à partibus ire.
Nonne vides etiam diversis nubila ventis
Diversas ire in parteis, inferna supernis?
Qui minus illa queant per magnos ætheris orbeis
Æstibus inter se diversis sidera ferri?
At nox obruit ingenti caligine terras,
Aut ubi de longo cursu sol extima cœli
Impulit, atque suos efflavit languidus igneis
Concussos itere, & labefactos aere multo:
Aut quia sub terras cursum convertere cogit
Vis eadem, supera terras quæ pertulit orbem.

Tem-

Tempore item certo roſeam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, & lumina pandit,
Aut quia ſol idem ſub terras ille revertens
Anticipat cœlum radiis accendere tentans:
Aut quia conveniunt ignes, & ſemina multa
Confluere ardoris conſuerunt tempore certo,
Quæ faciunt ſolis nova ſemper lumina gigni.
Quod genus Idæis fama 'ſt è montibus altis
Diſperſos igneis orienti lumine cerni:
Inde coire globum quaſi in unum, & conficere orbem:
Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Eſſe, quod hæc ignis tam certo tempore poſſint
Semina confluere, & ſolis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo quæ tempore fiunt
Omnibus in rebus: floreſcunt tempore certo
Arbuſta, & certo dimittunt tempore florem.
Nec minus in certo denteis cadere imperat ætas
Tempore, & impubem molli pubeſcere veſte,
Et pariter mollem mâlis demittere barbam.
Fulmina poſtremo, nix, imbres, nubila, venti,
Non nimis incertis fiunt in partibus anni.
Namque ubi ſic fuerunt cauſarum exordia prima,
Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,
Conſequa natura 'ſt jam rerum ex ordine certo.
Greſcere itemque dies licet, & tabeſcere noctеis,
Et minui luces, cum ſumant augmina noctes:
Aut quia ſol idem ſub terras, atque ſuperne,
Imparibus currens anfractibus ætheris oras
Partit: & in parteis non æquas dividit orbem:
Et quod ab alterutra detraxit parte, reponit
Ejus in adverſa tanto plus parte relatus,
Donicum ad id ſignum cœli pervênit, ubi anni
Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras,
Nam medio curſu flatus Aquilonis, & Auſtri,
Diſtinet æquato cœlum diſcrimine metas,
Propter ſigniferi poſituram totius orbis:
Annua ſol in quo contundit tempora ſerpens,

Obliquo terras, & cœlum lumine luſtrans:
Ut ratio declarat eorum, qui loca cœli
Omnia diſpoſitis ſignis ornata notarunt:
Propterea fit uti videantur dicere verum:
Aut quia craſſior eſt certis in partibus aer,
Sub terris ideo tremulum jubar hæſitat ignis,
Nec penetrare poteſt facile atque emergere ad ortus.
Propterea noctes hiberno tempore longæ
Ceſſant, dum veniat radiatum inſigne diei:
Aut etiam, quia ſic alternis partibus anni
Tardius & citius conſuerunt confluere igneis,
Qui faciant ſolem certa de ſurgere parte.
Luna poteſt ſolis radiis percuſſa nitere,
Inque dies majus lumen convertere nobis
Ad ſpeciem, quantum ſolis ſecedit ab orbe,
Donicum eum contra pleno bene lumine fulſit,
Atque oriens obitus ejus ſuper edita vidit:
Inde minutatim retro quaſi condere lumen
Debet item, quanto propius jam ſolis ad ignem
Labitur ex alia ſignorum parte per orbem:
Ut faciunt, lunam qui fingunt eſſe pilai
Conſimilem, curſuſque viam ſub ſole tenere:
Propterea fit, uti videantur dicere verum.
Eſt etiam quoque uti proprio cum lumine poſſit
Volvier, & varias ſplendoris reddere formas.
Corpus enim licet eſſe aliud, quod fertur, & una
Labitur omnimodis occurſans officienſque,
Nec potis eſt cerni, quia caſſum lumine fertur.
Verſarique poteſt, globus ut, ſi forte, pilai
Dimidia ex parti cadenti lumine tinctus:
Verſandoque globum varianteis edere formas,
Donicum eam partem, quæcunque eſt ignibus aucta,
Ad ſpeciem vertit nobis, oculoſque patenteis:
Inde minutatim retro contorquet, & aufert
Luciferam partem glomeraminis, atque pilai:
Ut Babylonicâ Chaldæam doctrina refutans
Aſtrologorum artem contra convincere tendit:

Pro-

Proinde quasi fieri nequeat, quod pugnat uterque,
Aut minus hoc illo sit cur amplectier ausis.
Denique, cur nequeat semper nova luna creari
Ordine formarum certo, certisque figuris,
Inque dies privos adolescere quæque creata,
Atque alia illius reparari in parte, locoque,
Difficile 'st ratione docere, & vincere verbis:
Ordine cum videas tam certo multa creari.
Ite ver, & Venus, & Veneris prænuntius ante
Pinnatus graditur Zephyrus vestigia propter:
Flora quibus mater præspergens ante viai
Cuncta coloribus egregiis, & odoribus opplet.
Inde loci sequitur calor aridus, & comes una
Pulverulenta Ceres, & Etesia flabra Aquilonum.
Inde Autumnus adit: graditur simul Euius Euan:
Inde aliæ tempestates, ventique sequuntur,
Altitonans Vulturnus, & Auster fulmine pollens:
Tandem Bruma niveis adfert, pigrumque rigorem
Reddit, hyems sequitur, crepitans ac dentibus Algus.
Quo minus est mirum, si certo tempore luna
Gignitur, & certo deletur tempore rursus:
Cum fieri possint tam certo tempore multa.
Solis item quoque defectus, lunæque latebras,
Pluribus è causis fieri tibi posse putandum 'st.
Nam cur luna queat terram secludere solis
Lumine, & à terris altum caput obstruere eii,
Objiciens cæcum radiis ardentibus orbem:
Tempore eodem aliud facere id non posse putetur
Corpus, quod cassum labatur lumine semper?
Solque suos etiam dimittere languidus igneis
Tempore cur certo nequeat, recreareque lumen,
Cum loca præteriit flammis infesta per auras:
Quæ faciunt igneis interstingui atque perire?
Et cur terra queat lunam spoliare vicissim
Lumine, & oppressum solem super ipsa tenere,
Menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras:
Tempore eodem aliud nequeat succurrere lunæ

Corpus, vel ſupera ſolis perlabier orbem,
Quod radios interrumpat, lumenque profuſum?
Et tamen ipſa ſuo ſi fulgit luna nitore,
Cur nequeat certa mundi langueſcere parte,
Dum loca luminibus propriis inimica pererrat?
Menſtrua dum rigidas coni perlabitur umbras?
Quod ſupereſt, quoniam magni per cærula mundi
Qua fieri quicquid poſſet ratione, reſolvi:
Solis uti varios curſus, lunæque meatus
Noſcere poſſemus, quæ vis, & cauſa cieret:
Quove modo ſoleant offecto lumine obire,
Et nec-opinanteis tenebris obducere terras:
Cum quaſi connivent, & aperto lumine rurſum
Omnia conviſunt clara loca candida luce.
Nunc redeo ad mundi novitatem, & mollia terræ
Arva, novo fœtu quid primum in luminis oras
Tollere, & incertis tentarit credere ventis,
Principio genus herbarum, viridemque nitorem
Terra dedit circum colleis: campoſque per omneis
Florida fulſerunt viridanti prata colore:
Arboribuſque datum 'ſt variis exinde per auras
Creſcendi magnum immiſſis certamen habenis.
Ut pluma atque pili primum ſetæque creantur
Quadrupedûm in membris, & corpore pennipotentum:
Sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
Suſtulit: inde loci mortalia ſæcla creavit
Multa modis multis varia ratione coorta.
Nam neque de cœlo cecidiſſe animalia poſſunt,
Nec terreſtria de ſalſis exiſſe lacunis.
Linquitur ut merito maternum nomen adepta
Terra ſit, è terra quoniam ſunt cuncta creata.
Multaque nunc etiam exiſtunt animalia terris,
Imbribus, & calido ſolis concreta vapore.
Quo minus eſt mirum, ſi tum ſunt plura coorta,
Et majora nova tellure, atque æthere adulto.
Principio genus alituum, variæque volucres
Ova relinquebant excluſæ tempore verno:

Fol-

Folliculos ut nunc teretes æstate cicadæ
Linquunt, sponte sua victum, vitamque petentes.
Tum tibi terra dedit primum mortalia sæcla:
Multus enim calor, atque humor superabat in arvis.
Hinc ubi quæque loci regio opportuna dabatur,
Crescebant uteri terræ radicibus apti:
Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum fugiens humorem, auraſque petissens,
Convertebat ibi natura foramina terræ,
Et succum venis cogebat fundere apertis
Consimilem lactis: sicut nunc fœmina quæque
Cum peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
Impetus in mammas convertitur ille alimenti.
Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
Præbebat multa & molli lanugine abundans.
At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras.
Omnia enim pariter crescunt, & robora sumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
Humanum, atque animal prope certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim,
Aeriaſque simul volucreis variantibu' formis.
Sed quia finem aliquam pariendi debet habere,
Destitit, ut mulier spatio defessa vetusto.
Mutat enim mundi naturam totius ætas,
Ex alioque alius status excipere omnia debet,
Nec manet ulla sui similis res: omnia migrant,
Omnia commutat natura, & vertere cogit.
Namque aliud putrescit, & ævo debile languet:
Porro aliud concrescit, & è contemptibus exit.
Sic igitur mundi naturam totius ætas
Mutat, & ex alio terram status excipit alter,
Quod potuit, nequeat: possit quod non tulit ante.
Multaque tum tellus etiam portenta creare
Conata 'st, mira facie, membrisque coorta.
Androgynũ inter utrum, nec utrumq; & utrinq; remotũ

Orba pedum partim, manuum viduata viciſſim:
Multa ſine ore etiam, ſine voltu cæca reperta,
Vinctaque membrorum per totum corpus adhæſu:
Nec facere ut poſſent quicquam, nec cedere quoquã,
Nec vitare malum, nec ſumere quod foret uſus.
Cætera de genere hoc monſtra, ac portenta creabat:
Nequicquam, quoniam natura abſterruit auctum:
Nec potuere cupitum ætatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.
Multa videmus enim rebus concurrere debere,
Ut propagando poſſint procudere ſæcla.
Pabula primum ut ſint, genitalia deinde per artus
Semina quæ poſſint membris manare remiſſis:
Fœminaque ut maribus conjungi poſſit, habendum
Mittua queis nectant inter ſe gaudia, utriſque.
Multaq; tum interiiſſe animantum ſæcla neceſſe 'ſt.
Nec potuiſſe propagando procudere prolem.
Nam quæcunque vides veſci vitalibus auris,
Aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas eſt
Ex ineunte ævo genus id tutata reſervans.
Multaque ſunt, nobis ex utilitate ſua quæ
Commendata manent tutelæ tradita noſtræ.
Principio genus acre leonum, ſævaque ſæcla
Tutata 'ſt virtus, vulpeis dolus, & fuga cervos.
At leviſomna canum fido cum pectore corda,
Et genus omne, quod eſt veterino ſemine partum,
Lanigeræque ſimul pecudes, & bucera ſæcla,
Omnia ſunt hominum tutelæ tradita, Memmi.
Nam cupide fugere feras, pacemque ſecutæ
Sunt, & larga ſuo ſine pabula parta labore:
Quæ damus utilitatis eorum præmia cauſa.
At, queis nil horum tribuit natura, nec ipſa
Sponte ſua poſſent ut vivere, nec dare nobis
Utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
Præſidio noſtro paſci genus, eſſeque tutum?
Scilicet hæc aliis prædæ, lucroque jacebant
Indupedita ſuis fatalibus omnia vinclis,

Do-

Donicum ad interitum genus id natura redegit.
Sed neque Centauri fuerunt neque tempore in ullo
Esse queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas,
Hinc illinc par vis ut non sic esse potis sit.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde,
Principio circum tribus actis impiger annis
Floret equus, puer haudquaquā: quin sæpe etiam num
Ubera mammarum in somnis lactantia quærit.
Post ubi equum validæ vires ætate senecta,
Membraque deficiunt fugienti languida vita:
Tum demum pueris ævo florente, juventas
Occipit, & molli vestit lanugine malas:
Ne forte ex homine, & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, nec esse:
Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas, & cætera de genere horum,
Inter se quorum discordia membra videmus:
Quæ neque floreſcunt pariter, neque robora sumunt
Corporibus, neque projiciunt ætate senecta:
Nec simili Venere ardescunt, nec moribus unis
Conveniunt, nec sunt eadem jucunda per artus.
Quippe videre licet, pinguescere sæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ 'st acre venenum.
Flamma quidem vero cum corpora fulva leonum
Tam soleat torrere, atque urere, quam genus omne
Visceris, in terris quodcunque & sanguinis extet:
Qui fieri potuit, triplici cum corpore ut unà
Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?
Quare etiam tellure nova, cœloque recenti
Talia qui fingit potuisse animalia gigni,
Nixus in hoc uno novitatis nomine inani,
Multa licet simili ratione effutiat ore:
Aurea tum dicat per terras flumina volgo
Fluxisse, & gemmis florere arbusta fuesse:
Aut hominem tanto membrorum esse impete natum,

Trans

Trans maria alta pedum niſus ut ponere poſſet;
Et manibus totum circum ſe vertere cœlum.
Nam quod multa fuere in terris ſemina rerum,
Tempore quo primum tellus animalia fudit:
Nil tamen eſt ſigni, miſtas potuiſſe creari
Inter ſe pecudes, compactaque membra animantum:
Propterea quia quæ de terris nunc quoque abundant
Herbarum genera, ac fruges, arbuſtaque læta,
Non tamen inter ſe poſſunt complexa creari.
Res ſic quæque ſuo ritu procedit: & omnes
Fœdere naturæ certo diſcrimina ſervant.
Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creaſſet:
Et majoribus & ſolidis magis oſſibus intus
Fundatum, & validis aptum per viſcera nervis:
Nec facile ex æſtu, nec frigore quod caperetur:
Nec novitate cibi nec labi corporis ulla.
Multaque per cœlum ſolis volventia luſtra
Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robuſtus erat curvi moderator aratri
Quiſquam: nec ſcibat ferro molirier arva.
Nec nova defodere in terram virgulta, nec altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod ſol, atq; imbres dederant, quod terra crearat
Sponte ſua, ſatis id placabat pectora donum:
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque, & quæ nunc hiberno tempore cernis.
Arbuta Pœniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus etiam majora ferebat.
Multaque præterea novitas tum florida mundi
Pabula dia tulit, miſeris mortalibus ampla.
At ſedare ſitim fluvii fonteſque vocabant:
Ut nunc montibus è magnis decurſus aquai
Clamoreis late ſitientia ſæcla ferarum.
Denique noctivagi ſilveſtria templa tenebant
Nympharum, quibus exibant humore fluenta
Lubrica, proluvie larga lavere humida ſaxa,

Humida

Humida saxa super viridi stillantia musco:
Et partim plano scatere atque erumpere campo.
Nec dum res igni scibant tractare: nec uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora, atq; cavos monteis, sylvasque colebant
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare imbreisque coacti.
Nec commune bonum poterant spectare, nec ullis
Moribus inter se scibant, nec legibus uti.
Quod cuique obtulerat prædæ fortuna, ferebat,
Sponte sua, sibi quisque valere & vivere doctus.
Et Venus in sylvis jungebat corpora amantum.
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,
Vel violenta viri vis, atque impensa libido:
Vel pretium, glandes, atque arbuta, vel pira lecta.
Et manuum mira freti virtute, pedumque,
Consectabantur sylvestria sæcla ferarum
Missilibus saxis, & magno pondere clavæ.
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris,
Setigerisque pares suibus sylvestria membra
Nudabant terræ nocturno tempore capti,
Circum se foliis ac frondibus involventes.
Nec plangore diem magno, solemque per agros
Quærebant pavidi, palantes noctis in umbris:
Sed taciti respectabant, somnoque sepulti,
Dum rosea face sol inferret lumina cœlo.
A parvis quod enim consuerant cernere semper
Alterno tenebras, & lucem tempore gigni,
Non erat, ut fieri posset, mirarier unquam,
Nec diffidere, ne terras æterna teneret
Nox, in perpetuum detracto lumine solis:
Sed magis illud erat curæ, quod sæcla ferarum
Infestam miseris faciebant sæpe quietem:
Ejectique domo fugiebant saxea tecta
Setigeri suis adventu, validique leonis,
Atque intempesta cedebant nocte paventes;
Hospitibus sævis instrata cubilia fronde.

Nec

Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia fæcla
Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.
Unus enim tum quiſque magis deprenſus eorum
Pabula viva feris præbebat dentibus hauſtus:
Et nemora ac monteis gemitu, ſylvaſque replebat,
Viva videns vivo ſepeliri viſcera buſto.
At quos effugium ſervarat, corpore adeſo,
Poſterius tremulas ſuper ulcera tetra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus Orcum,
Donicum eos vita privarant vermina ſæva,
Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.
At non multa virûm ſub ſignis millia ducta
Una dies dabat exitio: nec turbida ponti
Æquora lædebant naveis ad ſaxa, viroſque.
Sed temere in caſſum mare fluctibu' ſæpe coortis
Sævibat, leviterque minas ponebat inaneis.
Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.
Improba navigii ratio tum cæca jacebat.
Tum pænuria deinde cibi, languentia letho
Membra dabat: contra nunc rerum copia merſat.
Illi imprudentes ipſi ſibi ſæpe venenum
Vergebant: nunc dant aliis ſollertius ipſi.
Inde caſas poſtquam, ac pelleis, ignemq; pararunt,
Et mûlier conjuncta viro conceſſit in unum:
Caſtaque privatæ Veneris connubia læta
Cognita ſunt, prolemque ex ſe videre creatam:
Tum genus humanum primum molleſcere cœpit:
Ignis enim curavit, ut alſia corpora frigus
Non ita jam poſſent cœli ſûb tegmine ferre:
Et Venus imminuit vireis, puerique parentum
Blanditiis facile ingenium fregêre ſuperbum.
Tunc & amicitiam cœperunt jungere habentes
Finitima inter ſe, nec lædere, nec violare:
Et pueros commendarunt, muliebreque ſæclum
Vocibus, & geſtu, cum balbe ſignificarent,
Imbecillorum eſſe æquum miſererier omnium.

Non

Non tamen omnimodis poterat concordia gigni:
Sed bona magnaque pars ſervabant fœdera caſti:
Aut genus humanum jam tum foret omne peremptum,
Nec potuiſſet adhuc perducere ſæcla propago.
At varios linguæ ſonitus natura ſubegit
Mittere, & utilitas expreſſit nomina rerum:
Non alia longe ratione atque ipſa videtur
Protrahere ad geſtum pueros infantia linguæ,
Cum facit, ut digito, quæ ſint præſentia, monſtrent.
Sentit enim vim quiſque ſuam, quam poſſit abuti,
Cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,
Illis iratus petit, atque infenſus inurget.
At catuli pantherarum, ſcymnique leonum
Unguibus, ac pedibus jam tum, morſuque repugnant,
Vixdum cum ipſis ſunt dentes ungueſque creati.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere, & à pennis tremulum petere auxiliatum.
Proinde putare aliquem tum nomina diſtribuiſſe
Rebus, & in de homines didiciſſe vocabula prima,
Deſipere 'ſt: nam cur hic poſſet cuncta notare
Vocibus, & varios ſonitus emittere linguæ,
Tempore eodem alii facere id non quiſſe putentur?
Præterea, ſi non alii quoque vocibus uſi
Inter ſe fuerant: unde inſita notities eſt
Utilitatis, & unde data 'ſt huic prima poteſtas,
Quid vellet, facere, ut ſcirent, animoque viderent?
Cogere item plureis unus, victoſque domare
Non poterat, rerum ut perdiſcere nomina vellent:
Nec ratione docere ulla, ſuadereque ſurdis,
Quid facto eſſet opus, faciles neque enim paterentur,
Nec ratione ulla ſibi ferrent amplius aureis
Vocis inauditos ſonitus obtundere fruſtra.
Poſtremo quid in hac mirabile tantopere eſt re,
Si genus humanum, cui vox, & lingua vigeret,
Pro vario ſenſu varias res voce notaret,
Cum pecudes mutæ, cum denique ſæcla ferarum
Diſſimileis ſoleant voces variaſque ciere,

Cum

Cum metus, aut dolor est, & cum jam gaudia gliscunt.
Quippe etenim id licet è rebus cognoscere apertis.
Irritata canum cum primum magna Molossum
Mollia ricta fremunt duros nutantia denteis:
Longe alio sonitu rabie districta minantur:
Et cum jam latrant, & vocibus omnia complent.
At catulos blande cum lingua lambere tentant,
Aut ubi eos jactant pedibus, morsuque petentes,
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus:
Longe alio pacto gannitu vocis adulant:
Ac cum deserti baubantur in ædibus, aut cum
Plorantes fugiunt summisso corpore plagas.
Denique non hinnitus item differre videtur,
Inter equas, ubi equus florenti ætate juvencus
Pinnigeri sævit calcaribus ictus Amoris,
Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma:
Ac cum sis alias concussis artubus hinnit?
Postremo genus alituum, variæque volucres,
Accipitres, atque ossifragæ, mergique marinis
Fluctibus in salsis victum victamque petentes,
Longe alias alio jaciunt in tempore voces:
Et cum de victu certant, prædaque repugnant:
Et partim mutant cum tempestatibus una
Rauciſonos cantus, cornicum ut sæcla vetusta,
Corvorumq; greges, ubi aquam dicuntur & imbreis
Poscere, & interdum ventos auraſque vocare.
Ergo si varii sensus animalia cogunt,
Muta tamen cum sint, varias emittere voces:
Quanto mortaleis magis æquum 'st tum potuisse
Dissimileis alia, atque alia res voce notare?
Illud in his rebus tacitus ne forte requiras:
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus: inde omnis flammarum diditur ardor.
Multa videmus enim cœlestibus incita flammis
Fulgere, cum cœli donavit plaga vapores.
Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans
Æstuat in ramos incumbens arboris arbor,

Ex-

Exprimitur validis extritus viribus ignis :
Et micat interdum flammai fervidus ardor,
Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur :
Quorum utrumque dediſſe potest mortalibus ignem.
Inde cibum coquere, ac flammæ mollire vapore
Sol docuit, quoniam mitescere multa videbant
Verberibus radiorum, atque æstu victa per agros.
Inque dies magis hi victum vitamque priorem
Commutare novis monstrabant rebus, & igni,
Ingenio qui præstabant, & corde vigebant.
Condere cœperunt urbeis, arcemque locare
Præsidium reges ipsi sibi, perfugiumque :
Et pecudes, & agros divisere, atque dedere
Pro facie cujusque, & viribus ingenioque.
Nam facies multum valuit, viresque vigebant :
Posterius res inventa 'st, aurumque repertum,
Quod facile & validis, & pulchris demsit honorem.
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur
Quamlibet & fortes, & pulchro corpore creti.
Quod siquis vera vitam ratione gubernet :
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce
Æquo animo : neq; enim 'st unquam pænuria parvi.
At claros se homines voluêre esse, atque potenteis,
Ut fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidam possent opulenti degere vitam ;
Nequicquam, quoniam ad summum succedere honorê
Certantes, iter infestum fecêre viai.
Et tamen è summo quasi fulmen dejicit ictos
Invidia interdum contemtim in Tartara tetra :
Ut satius multo jam sit parêre quietum,
Quam regere imperio res velle, & regna tenere.
Proinde sive in cassum defessi sanguine sudent.
Angustum per iter luctantes ambitionis :
Invidia quoniam seu fulmine summa vaporant
Plerumque, & quæ sunt aliis magis edita cunque :
Quandoquidem sapiunt alieno ex ore : petuntque
Res ex auditis potius, quam sensibus ipsis :

Nec

Nec magis id nunc eſt, nec erit mox, quam fuit ante.
Ergo regibus occiſis ſubverſa jacebat
Priſtina majeſtas ſoliorum & ſceptra ſuperba:
Et capitis ſummi præclarum inſigne cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem.
Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
Res itaque ad ſummam fæcem turbaſque redibat,
Imperium ſibi cum, ac ſummatum quiſque petebat.
Inde magiſtratum partim docuere creare:
Juraque conſtituêre, ut vellent legibus uti.
Nam genus humanum defeſſum vi colere ævum,
Ex inimicitiis languebat: quo magis ipſum
Sponte ſua cecidit ſub leges arctaque jura.
Acrius ex ira quod enim ſe quiſque parabat
Ulciſci, quam nunc conceſſum 'ſt legibus æquis:
Hanc ob rem 'ſt homines pertæſum vi colere ævum:
Unde metus maculat pœnarum præmia vitæ:
Circumretit enim vis atque injuria quemque:
Atque, unde exorta 'ſt, ad eum plerumque revertit:
Nec facil' eſt placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Etſi fallit enim divûm genus humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet:
Quippe ubi ſe multi per ſomnia ſæpe loquentes,
Aut morbo delirantes procraxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dediſſe.
Nunc quæ cauſa Deûm per magnas numina genteis
Pervolgârit, & ararum compleverit urbeis,
Suſcipiendaque curârit ſollennia ſacra,
" Quæ nunc in magnis florent ſacra rebu', lociſque:
Unde etiam nunc eſt mortalibus inſitus horror,
Qui delubra Deûm nova toto ſuſcitat orbi
Terrarum, & feſtis cogit celebrare diebus:
Non ita difficile 'ſt rationem reddere verbis.
Quippe etenim jam tum divûm mortalia ſæcla
Egregias animo facies vigilante videbant,
Et magis in ſomnis mirando corporis auctu.

His

His igitur ſenſum tribuebant propterea, quod
Membra movere videbantur, voceſque ſuperbas
Mittere pro facie præclara, & viribus amplis:
Æternamque dabant vitam, quia ſemper eorum
Suppeditabatur facies, & forma manebat,
(Et manet omnino) & quod tantis viribus auctos
Non temere ulla vi convinci poſſe putabant.
Fortuniſque ideo longe præſtare putabant,
Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum
Et ſimul in ſomnis quia multa, & mira videbant
Efficere, & nullum capere ipſos inde laborem.
Præterea cœli rationes ordine certo,
Et varia annorum cernebant tempora verti:
Nec poterant quibus id fieret cognoſcere cauſis.
Ergo perfugium ſibi habebant omnia divis
Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.
In cœloque Deûm ſedes, & templa locarunt,
Per cœlum volvi quia ſol, & luna videntur:
Luna, dies, & nox, & noctis ſigna ſevera,
Noctivagæque faces cœli, flammæque volantes,
Nubila, ros, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
Et rapidi fremitus, & murmura magna minarum.
O genus infelix humanum! talia divis
Cum tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas:
Quantos tum gemitus ipſi ſibi, quantaque nobis
Volnera; quas lacrymas peperêre minoribu' noſtris?
Nec pietas ulla 'ſt velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras:
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Ante Deûm delubra, nec aras ſanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota
Sed mage pacata poſſe omnia mente tueri.
Nam cum ſuſpicimus magni cœleſtia mundi
Templa ſuper, ſtelliſque micantibus æthera fixum,
Et venit in mentem ſolis, lunæque viarum,
Tunc aliis oppreſſa malis in pectore cura
Illa quoque expergefactum caput erigere infit,

Ecquæ

Ecquæ forte Deûm nobis immensa potestas
Sit, vario motu quæ candida sidera versent.
Tentat enim dubiam mentem rationis egestas,
Ecquænam fuerit mundi genitalis origo:
Et simul, ecquæ sit finis, quoad mœnia mundi,
Et tanti motus hunc possint ferre laborem:
An divinitus æterna donata salute,
Perpetuo possint ævi labentia tractu,
Immensi validas ævi contemnere vireis.
Præterea cui non animus formidine divûm
Contrahitur? cui non conrepunt membra pavore,
Fulminis horribili cum plâga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cœlum?
Non populi, gentesque tremunt? regesque superbi
Conripiunt divûm perculsi membra timore,
Nequod ob admissum fœde, dictumve superbe
Pœnarum grave sit solvendi tempus adactum?
Summa etiam cum vis violenti per mare venti
Induperatorem classis super æquora verrit,
Cum validis pariter legionibus, atque elephantis:
Non divûm pacem votis adit? ac prece quæsit
Ventorum pavidus paces, animasque secundas?
Necquicquam, quoniam violento turbine sæpe
Conreptus nihilo fertur minus ad vada lethi:
Usqueadeo res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros fascis, sævasque secureis
Proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.
Denique sub pedibus tellus cum tota vacillat,
Concussæque cadunt urbes, dubiæque minantur:
Quid mirum si se temnunt mortalia sæcla?
Atque potestates magnas, mirasque relinquunt
In rebus vireis divûm, quæ cuncta gubernent?
Quod superest, æs atq; aurum, ferrumq; repertum'st,
Et simul argenti pondus, plumbique potestas:
Ignis ubi ingenteis sylvas ardore cremarat
Montibus in magnis, seu cœli fulmine misso:
Sive quod inter se bellum sylvestre gerentes,

Hosti-

Hostibus intulerant ignem formidinis ergo:
Sive quod inducti terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingueis, & pascua reddere rura:
Sive feras interficere, & ditescere præda:
Nam fovea, atque igni, prius est venarier ortum,
Quam sepire plagis saltum, canibusque ciere.
Quicquid id est, quacunque è causa flammeus ardor
Horribili sonitu sylvas exederat altis
Ab radicibus, & terram percoxerat igni,
Manabat venis ferventibus in loca terræ
Concava conveniens argenti rivus & auri,
Aeris item & plumbi: quæ cum concreta videbant
Posterius claro in terris splendere colore:
Tollebant nitido capti, levique lepore,
Et simili formata videbant esse figura,
Atque lacunarum fuerant vestigia cuique,
Tum penetrabat eos, posse hæc liquefacta calore,
Quamlibet in formam, & faciem decurrere rerum,
Et prorsum quamvis in acuta ac tenuia posse
Mucronum duci fastigia procudendo,
Ut sibi tela parent, sylvasque excidere possint,
Materiem lævare, dolare, ac radere tigna,
Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare.
Nec minus argento facere hæc auroque parabant,
Quam validi primum violentis viribus æris:
Nequicquam, quoniam cedebat victa potestas,
Nec poterat pariter durum sufferre laborem.
Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat
Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum:
Nunc jacet æs, aurum in summum successit honorem:
Sic volvenda ætas commutat tempora rerum:
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore:
Porro aliud succedit, & è contemtibus exit,
Inque dies magis appetitur, floretque repertum
Laudibus, & miro 'st mortaleis inter honore.
Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta
Sit, facil' est ipsum per te cognoscere, Memmi,

Arma

Arma antiqua manus, ungues dentesque fuerunt,
Et lapides, & item sylvarum fragmina rami,
Et flammæ, atq; ignes postquam sunt cognita primum:
Posterius ferri vis est, æriscque reperta:
Et prior æris erat quam ferri cognitus usus:
Quo facilis magis est natura, & copia major.
Aere solum terræ tractabant, æreque belli
Miscebant fluctus, & volnera vasta ferebant,
Et pecus, atque agros adimebant; nam facile ollis
Omnia cedebant armatis nuda & inerma.
Inde minutatim processit ferreus ensis,
Versaque in opprobrium species est falcis ahenæ,
Et ferro cœpere solum proscindere terræ;
Exæquataque sunt creperi certamina belli.
Et prius est reppertum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frenis, dextraque vigere,
Quam bijugo curru belli tentare pericla.
Et bijugo prius est, quam bis conjungere binos,
Et quam falciferos inventum ascendere currus.
Inde boves Lucas turrito corpore tetros
Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni
Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.
Sic alid ex alio peperit discordia tristis,
Horribile humanis quod gentibus esset in armis:
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
Tentarunt etiam tauros in mœnere belli:
Expertique sues sævos sunt mittere in hosteis:
Et validos Parthi præ se misere leones
Cum ductoribus armatis, sæviscque magistris:
Qui moderarier hos possent, vincliscque tenere:
Nequicquam, quoniam permista cæde calentes
Turbabant sævi nullo discrimine turmas:
Terrificas capitum quatientes undique cristas.
Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere, & frenis convertere in hosteis.
Inritata leæ jaciebant corpora saltu
Undique, & advorsum venientibus ora petebant:

Et

Et nec-opinanteis à tergo diripiebant,
Deplexæque dabant in terram volnere vinctos,
Morsibus adfixæ validis, atque unguibus uncis.
Jactabantque fues tauri, pedibusque terebant;
Et latera, ac ventres hauribant subter equorum
Cornibus, ad terramque minanti mente ruebant.
At validis socios cedebant dentibus apri,
"Tela infracta suo tinguentes sanguine sævi:
"In se fracta suo tinguentes sanguine tela:
Permistaque dabant equitum peditumque ruinas.
Nam transversa feros exibant dentis adactus
Jumenta, aut pedibus ventos erecta petebant:
Nequicquam, quoniam à nervis succisa videres
Concidere, atque gravi terram consternere casu.
Sic, quos ante domi domitos satis esse putabant,
Efferviscere cernebant in rebus agundis,
Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu:
Nec poterant ullam partem reducere eorum.
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum:
Ut nunc sæpe boves Lucæ, ferro male mactæ
Diffugiunt, fera facta suis cum multa dederè.
Sic fuit, ut facerent: sed vix adducor, ut ante
Non quierint animo præsentire, atque videre,
Quam commune malum fuerat, fœdumque futurum.
Et magis id possis factum contendere in Omni,
In variis mundis, varia ratione creatis,
Quam certo, atque uno terrarum quolibet orbi.
Sed facere id non tam vincendi spe voluerunt,
Quam dare quod gemerent hostes, ipsique perire,
Qui numero diffidebant, armisque vacabant.
Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen:
Textile post ferrum 'st: quia ferro tela parantur:
Nec ratione alia possunt tam levia gigni
Insilia, ac fusi, & radii, scapique sonantes.
Et facere ante viros lanam natura coegit,
Quam muliebre genus, nam longe præstat in arte,
Et sollertius est multo genus omne virile:

Agri-

Agricolæ donec vitio vertêre ſeveri,
Ut muliebribus id manibus concedere vellent,
Atque ipſi potius durum ſufferre laborem:
Atque opere in duro durarent membra, manuſque.
At ſpecimen ſationis, & inſitionis origo
Ipſa fuit rerum primum natura creatrix.
Arboribus quoniam baccæ, glandeſque caducæ
Tempeſtiva dabant pullorum examina ſubter.
Unde etiam libitum 'ſt ſtirpeis committere ramis:
Et nova defodere in terram virgulta per agros:
Inde aliam, atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructuſque feros manſueſcere terra
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.
Inque dies magis in montem ſuccedere ſylvas
Cogebant, infraque locum concedere cultis:
Prata, lacus, rivos, ſegetes, vinetaque læta
Collibus, & campis ut haberent, atque olearum
Cærula diſtinguens inter plaga currere poſſet
Per tumulos, & convalleis, campoſque profuſa:
Ut nunc eſſe vides vario diſtincta lepôre
Omnia, quæ pomis interſita dulcibus ornant:
Arbuſtiſque tenent felicibus obſita circum.
At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam levia carmina cantu
Concelebrare homines poſſent, aureiſque juvare.
Et Zephyri cava per calamorum ſibila primum
Agreſteis docuere cavas inflare cicutas.
Inde minutatim dulceis didicere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum,
Avia per nemora, ac ſylvas ſaltuſque reperta,
Per loca paſtorum deſerta, atque otia dia.
Sic unum quicquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Hæc animos ollis mulcebant atque juvabant
Cum ſatiate cibi: nam tum ſunt omnia cordi.
Sæpe itaque inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquæ rivum, ſub ramis arboris altæ,

Non

Non magnis opibus jucunde corpora habebant:
Præsertim cum tempestas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas,
Tum joca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
Consuerant: agrestis enim tum musa vigebat:
Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus, & foliis lasciva læta monebat:
Atque extra numerum procedere membra moventeis
Duriter, & duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur risus, dulcesque cachinni,
Omnia quod nova tum magis hæc, & mira vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant solatia somni,
Ducere multimodis voces, & flectere cantus:
Et supera calamos unco percurrere labro:
Unde etiam vigiles nunc hæc accepta tuentur:
Et numerum servare genus didicere: neque hilo
Majorem interea capiunt dulcedini' fructum,
Quam sylvestre genus capiebat terrigenarum.
Nam quod adest præsto, nisi quid cognovimus ante
Suavius, in primis placet, & pollere videtur,
Posteriorque fere melior res, illa reperta
Perdit, & immutat sensus ad pristina quæque.
Sic odium cepit glandis: sic illa relicta
Strata cubilia sunt herbis, & frondibus aucta.
Pellis item cecidit, vestis contempta ferina 'st:
Quam reor invidia tali tunc esse repertam,
Ut lethum insidiis, qui gessit primus, obiret:
Et tandem inter eos distractum, sanguine multo
Dispersisse, neque in fructum convertere quisse.
Tunc igitur pelles, nunc aurum, & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant.
Quo magis in nobis (ut opinor) culpa resi dit.
Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
Terrigenas: at nos nil lædit veste carere
Purpurea, atque auro, signisque ingentibus apta;
Dum plebeia tamen sit, quæ defendere possit.
Ergo hominum genus in cassum, frustraque laborat:

Semper & in curis consumit inanibus ævum,
Nimirum, quia non cognovit, quæ sit habendi
Finis, & omnino quoad crescat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in altum:
Et belli magnos commovit funditus æstu.
At vigiles mundi & magnum versatile templum
Sol & luna suo lustrantes lumine circum
Perdocuere homines annorum tempora verti:
Et certa ratione geri rem, atque ordine certo.
Jam validis septi degebant turribus ævum,
Et divisa colebatur, discretaque tellus.
Tum mare velivolum florebat navibu' pandis:
Auxilia, & socios jam pacto fœdere habebant:
Carminibus cum res gestas cœpêre poetæ
Tradere: nec multo priu' sunt elementa reperta.
Propterea, quid sit prius actum respicere ætas
Nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.
Navigia, atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, vestes, & cætera de genere horum,
Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,
Carmina, picturas, & dædala signa polire,
Usus, & impigræ simul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredientis.
Sic unum quicquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Namque alid ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venêre cacumen.

T. LUCRETII

LIBER SEXTUS.

PRimæ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ:
Et recreaverunt vitam, legesque rogarunt:
Et primæ dederunt solatia dulcia vitæ,
Cum genuere virum tali cum corde repertum,
Omnia veridico qui quondam ex ore profudit:
Cujus & extincti propter divina reperta
Divolgata, vetus jam ad cœlum gloria fertur.
Nam cum vidit hic, ad victum quæ flagitat usus,
" Et, per quæ possent vitam consistere tutam,
Omnia jam ferme mortalibus esse parata:
Divitiis homines, & honore, & laude potenteis
Affluere, atque bona natorum excellere fama:
Nec minus esse domi cuiquam tamen anxia corda,
Atque animum infestis cogi servire querelis:
Intellexit, ibi vitium vas efficere ipsum,
Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quæ conlata foris, & commoda cunque venirent,
Partim quod fluxum, pertusumque esse videbat,
Ut nulla posset ratione explerier unquam:
Partim quod tetro quasi conspurcare sapore
Omnia cernebat, quæcunque receperat intus.
Veridicis igitur purgavit pectora dictis,
Et finem statuit cuppedinis atque timoris,
Expositque bonum summum, quo tendimus omnes,

Quid foret, atque viam monſtravit tramite prono,
Qua poſſemus ad id recto contendere curſu:
Quidve mali foret in rebus mortalibu' paſſim,
Quod flueret naturæ vi, varieque volaret,
Seu caſu, ſeu vi, quod ſic natura paraſſet:
Et quibus è portis occurri cuique deceret:
Et genus humanum fruſtra plerumque probavit
Volvere curarum triſteis in pectore fluctus.
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ſic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe 'ſt
Non radii ſolis, nec lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratioque:
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.
Et quoniam docui, mundi mortalia templa
Eſſe, & nativo conſiſtere corpore cœlum:
Et quæcunque in eo fiunt, fientque, neceſſe
Eſſe ea diſſolvi: quæ reſtant percipe porro:
" Quandoquidem ſemel inſignem conſcendere currum
" Vincendi ſpes hortata 'ſt, atque obvia curſu
" Quæ fuerant, ſunt placato converſa furore.
Cætera, quæ fieri in terris, cœloque tuentur
Mortales, pavidis cum pendent mentibu' ſæpe
Efficiunt animas humileis formidine divûm,
Depreſſoſque premunt ad terram, propterea quod
Ignorantia cauſarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum: &
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, hæc fieri divino numine rentur.
Nam bene qui didicere Deos ſecurum agere ævum:
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri poſſint, præſertim rebus in illis,
Quæ ſupera caput ætheriis cernuntur in oris,
Rurſus in antiquas referuntur relligiones,
Et dominos acreis aſciſcunt, omnia poſſe

Quos,

Quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,
Quid nequeat: finita poteſtas denique cuique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus hærens.
Quo magis errantes tota regione feruntur.
Quæ niſi reſpuis ex animo, longeque remittis
Diis indigna putando, alienaque pacis eorum:
Delibrata Deûm per te tibi numina ſancta
Sæpe aderunt: non quod violari ſumma Deum vis
Poſſit, ut ex ira pœnas petere imbibat acreis:
Sed quia tute tibi placida cum pace quietos
Conſtitues magnos irarum volvere fluctus:
Nec delubra Deûm placido cum pectore adibis:
Nec, de corpore quæ ſancto ſimulacra feruntur,
In menteis hominum divinæ nuntia formæ,
Suſcipere hæc animi tranquilla pace valebis.
Inde videre licet, qualis jam vita ſequatur.
Quam quidem ut à nobis ratio veriſſima longe
Rejiciat, quanquam ſunt à me multa profata,
Multa tamen reſtant, & ſunt ornanda politis
Verſibus, & ratio cœli, ſpecieſque tenenda:
Sunt tempeſtates, & fulmina clara canenda,
Quid faciant, & qui de cauſa quæque ferantur,
Ne trepides cœli diviſis partibus amens,
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram ſe
Verterit hinc partem: quo pacto per loca ſepta
Inſinuarit, & hinc dominatus ut extulerit ſe:
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri divino numine rentur.
Tu mihi ſupremæ præſcripta ad candida calcis
Currenti, ſpatium præmonſtra callida Muſa,
Calliope, requies hominum, divûmque voluptas.
Te duce ut inſignem capiam cum laude coronam.
Principio tonitru quatiuntur cærula cœli
Propterea, quia concurrunt ſublime volantes
Ætheriæ nubes contra pugnantibu' ventis.
Nec fit enim ſonitus cœli de parte ſerena,
Verum ubicunque magis denſo ſunt agmine nubes.

Tam magis hinc magno fremitus fit murmure ſæpe.
Præterea neque tam condenſo corpore nubes
Eſſe queunt, quam ſunt lapides, ac tigna: neque autem
Tam tenues, quam ſunt nebulæ, fumique volantes.
Nam aut cadere abrupto deberent pondere preſſæ,
Ut lapides: aut, ut fumus, conſtare nequirent,
Nec cohibere niveis gelidas, & grandinis imbreis.
Dant etiam ſonitum patuli ſuper æquora mundi,
Carbaſus ut quondam magnis intenta theatris.
Dat crepitum malos inter jactata, trabeiſque:
Interdum perſciſſa fuerit petulantibus Euris,
Et fragileis ſonitus chartarum commeditatur,
Id quoque enim genus in tonitru cognoſcere poſſis,
Aut ubi ſuſpenſam veſtem, chartaſve volanteis
Verberibus venti verſant, plangunt que per auras.
Fit quoq; enim interdum, ut non tam concurrere nubes
Frontibus adverſis poſſit, quam de latere ire
Diverſo motu radentes corpori' tractum:
Aridus unde aureis terget ſonus ille, diuque
Ducitur, exierit donec regionibus arctis.
Hoc etiam pacto tonitru concuſſa videntur
Omnia ſæpe gravi tremere, & divolſa repente
Maxima diſſiluiſſe capacis mœnia mundi,
Cum ſubito validi venti conlecta procella
Nubibus intorſit ſeſe, concluſaque ibidem
Turbine verſanti magis ac magis undique nubem
Cogit, uti fiat ſpiſſo cava corpore circum.
Poſt ubi commovit vis ejus, & impetus acer,
Tum perterricrepo ſonitu dat miſta fragorem.
Nec mirum, cum plena animæ veſicula parva
Sæpe ita dat pariter ſonitum diſploſa repente.
Eſt etiam ratio, cum venti nubila perflant,
Cur ſonitus faciant: etenim ramoſa videmus
Nubila ſæpe modis multis, atque aſpera ferri.
Scilicet ut crebram ſylvam cum flamina Cauri
Perflant, dant ſonitum frondes, ramique fragorem.
Fit quoque, ut interdum validi vis incita venti

Per-

Perſcindat nubem perfrigens impete recto.
Nam quid poſſit ibi flatus, manifeſta docet res.
Hic, ubi lenior eſt, in terra cum tamen alta
Arbuſta evolvens radicibus haurit ab imis.
Sunt etiam fluctus per nubila, qui quaſi murmur
Dant infringendo graviter: quod item fit in altis
Fluminibus, magnoque mari, cum frangitur æſtu.
Fit quoque, ubi è nube in nubem vis incidit ardens
Fulminis: hæc multo ſi forte humore recepit
Ignem, continuo ut magno clamore trucidet:
Ut calidis candens ferrum è fornacibus olim
Stridit, ubi in gelidum propere demerſimus imbrem.
Aridior porro ſi nubes accipit ignem,
Uritur ingenti ſonitu ſuccenſa repente:
Lauricomos ut ſi per monteis flamma vagetur,
Turbine ventorum comburens impete magno.
Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica laurus,
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.
Denique ſæpe geli multus fragor, atque ruina
Grandinis, in magnis ſonitum dat nubibus alte.
Ventus enim cum confercit, franguntur in arctum
Concreti montes nimborum, & grandine miſti.
Fulgit item nubes ignis cum ſemina multa
Excuſſere ſuo concurſu, ſeu lapidem ſi
Percutiat lapis, aut ferrum, nam tum quoque lumen
Exſilit & claras ſcintillas diſſupat ignis.
Sed tonitrum fit uti poſt auribus accipiamus,
Fulgere quam cernant oculi, quia ſemper ad aureis
Tardius adveniunt, quam viſum quæ moveant res.
Id licet hinc etiam cognoſcere, cædere ſiquem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum,
Ante fit ut cernas ictum, quam plaga per aureis
Det ſonitum: ſic fulgorem quoque cernimus ante
Quam tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni
E ſimili cauſa, & concurſu natus eodem.
Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt
Nubes, & tremulo tempeſtas impete fulgit.

Ventus ubi invasit nubem, & versatus ibidem
Fecit, ut ante cavam docui spissescere nubem:
Mobilitate sua fervescit, ut omnia motu
Percalefacta vides ardescere: plumbea vero
Glans etiam longo cursu volvenda liquescit.
Ergo fervidus hic nubem cum perscidit atram,
Dissupat ardoris quasi per vim expressa repente
Semina, quæ faciunt nictantia fulgura flammæ:
Inde sonus sequitur, qui tardius adlicit aureis,
Quam quæ perveniunt oculos ad lumina nostros.
Scilicet hoc densis fit nubibus, & simul alte
Exstructis aliis alias super impete miro.
Nec tibi sit fraudi, quod nos inferne videmus
Quam sint lata magis, quã sursũ exstructa quid extent.
Contemplator enim cum montibus adsimilata
Nubila portabunt venti transversa per auras:
Aut ubi per magnos monteis cumulata videbis
Insuper esse aliis alia, atque urgere superna
In statione locata sepultis undique ventis:
Tum poteris magnas moleis cognoscere eorum,
Speluncasque velut saxis pendentibu' structas
Cernere, quas venti cum tempestate coorta
Complerunt, magno indignantur murmure clausi
Nubibus, in caveisque ferarum more minantur:
Nunc hinc, nunc illinc fremitus per nubila mittunt:
Quærentesque viam circumversantur, & ignis
Semina convolvunt è nubibus: atque ita cogunt
Multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus,
Donec divolsa fulserunt nube coruſci.
Hac etiam fit uti de causa mobilis ille
Devolvet in terram liquidi color aureus ignis,
Semina quod nubeis ipsas permulta necesse 'st
Ignis habere: etenim cum sunt humore sine ullo,
Flammeus est plerumque colos & splendidus ollis.
Quippe etenim solis de lumine multa necesse 'st
Concipere, ut merito rubeant, igneisque profundant.
Hasce igitur cum ventus agens contrusit in unum,

Com-

Compressitque locum cogens: expressa profundunt
Semina, quæ faciunt flammæ fulgere colores.
Fulgit item, cum rarescunt quoque nubila cœli.
Nam cum ventus eas leviter diducit eunteis,
Dissolvitque, cadant ingratis illa necesse 'st
Semina, quæ faciunt fulgorem: tum sine tetro
Terrore & sonitu fulgit, nulloque tumultu.
Quod superest, quali natura prædita constent
Fulmina, declarant ictus, & inusta vapore
Signa, notæque graveis halantes sulfuris auras.
Ignis enim sunt hæc, non venti signa, neque imbris,
Præterea per se accendunt quoque tecta domorum,
Et celeri flamma dominantur in ædibus ipsis.
Hunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem
Constituit natura minuris, mobilibusque
Corporibus, cui nil omnino obsistere possit.
Transit enim valide fulmen per septa domorum,
Clamor uti, ac voces: transit per saxa, per æra:
Et liquidum puncto facit æs in tempore, & aurum.
Curat item ut vasis integris vina repente
Diffugiant: quia nimirum facile omnia circum
Conlaxat, rareque facit lateramina vasis,
Adveniens calor ejus ut insinuatur in ipsum: &
Mobiliter solvens differt primordia vini:
Quod solis vapor ætatem non posse videtur
Efficere, usquæadeo pollens fervore corusco:
Tanto mobilior vis, & dominantior hæc est.
Nunc ea quo pacto gignantur & impete tanto
Fiant, ut possint ictu discludere turreis,
Disturbare domos, avellere tigna trabeisque,
Et monumenta virûm demoliri, atque ciere,
Exanimare homines, pecudes prosternere passim:
Cætera de genere hoc, qua vi facere omnia possint,
Expediam, neque te in promissis plura morabor.
Fulmina gignier è crassis, alteque putandum 'st
Nubibus exstructis: nam cœlo nulla sereno,
Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.

Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res,
Quod tunc per totum concrescunt aera nubes
Undique, uti tenebras omneis Acherunta reamur
Liquisse, & magnas cœli complesse cavernas:
Usqueadeo tetra nimborum nocte coorta
Impendent artæ formidinis ora superne,
Cum commoliri tempestas fulmina cœptat.
Præterea persæpe niger quoque per mare nimbus,
Ut picis è cœlo demissum flumen, in undas
Sic cadit, & fertur tenebris procul, & trahit atram
Fulminibus gravidam tempestatem, atque procellis,
Ignibus, ac ventis cum primis ipse repletus:
In terra quoque ut horrescant, ac tecta requirant,
Sic igitur supera nostrum caput esse putandum 'st
Tempestatem altam: neque enim caligine tanta
Obruerent terras, nisi inædificata superne
Multa forent multis exemto nubila sole:
Nec tanto possent hæc terras opprimere imbri,
Flumina abundare ut facerent, camposque natare,
Si non extructis foret alte nubibus æther.
His igitur ventis, atque ignibus omnia plena
Sunt: ideo passim fremitus, & fulgura fiunt.
Quippe etenim supera docui, permulta vaporis
Semina habere cavas nubeis: & multa necesse 'st
Concipere ex solis radiis, ardoreque eorum.
Hic ubi ventus eas idem qui cogit in unum
Forte locum quemvis, expressit multa vaporis
Semina, seque simul cum eo commiscuit igni:
Insinuatus ibi vortex versatur in alto,
Et calidis acuit fulmen fornacibus intus.
Nam duplici ratione accenditur; ipse sua nam
Mobilitate calescit, & è contagibus ignis.
Inde ubi percaluit vis venti, vel gravis ignis
Impetus incessit: maturum tum quasi fulmen
Perscindit subito nubem, ferturque coruscis
Omnia luminibus lustrans loca percitus ardor:
Quem gravis insequitur sonitus, displosa repente

Op-

Opprimere ut cœli videantur templa superne.
Inde tremor terras graviter pertentat, & altum
Murmura percurrunt cœlum: nam tota fere tum
Tempestas concussa tremit, fremitusque moventur:
Quo de concussu sequitur gravis imber, & uber,
Omnis vti videatur in imbrem vertier æther
Atque ita præcipitans ad diluviem revocare:
Tantus discidio nubis, ventique procella,
Mittitur ardenti sonitus cum provolat ictu.
Est etiam cum vis extrinsecus incita venti
Incidit in validam maturo fulmine nubem:
Quam cum perscidit, extemplo cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen.
Hoc fit idem in parteis alias, quocunque tulit vis.
Fit quoque ut interdum venti vis missa sine igni,
Ignescat tamen in spatio, longoque meatu,
Dum venit, amittens in cursu corpora quædam
Grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras:
Atque alia ex ipso conradens aere portat
Parvula, quæ faciunt ignem commista volando:
Non alia longe ratione, ac plumbea sæpe
Fervida fit glans in cursu, cum multa rigoris
Corpora dimittens ignem concepit in auris.
Fit quoque, ut ipsius plagæ vis excitet ignem,
Frigida cum venti pepulit vis missa sine igni:
Nimirum quia cum vehementi perculit ictu,
Confluere ex ipso possunt elementa vaporis:
Et simul ex illa, quæ tum res excipit ictum:
Ut lapidem ferro cum cædimus, evolat ignis:
Nec quod frigida vis sit ferri, hoc secius illa
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum:
Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
Opportuna fuit si forte, & idonea flammis.
Nec temere omnino plane vis frigida venti
Esse potest, ex quo tanta vi immissa superne 'st:
Quin prius in cursu si non accenditur igni,
At tepefacta tamen veniat commista calore.

Mo-

Mobilitas autem fit fulminis, & gravis ictus,
Et celeri ferme pergunt sic fulmina lapsu:
Nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis
Con'igit, & magnum conamen sumit eundi.
Inde, ubi non potuit nubes capere impetis auctum,
Exprimitur vis, atque ideo volat impete miro,
Ut validis quæ de tormentis missa feruntur.
Adde quod è parvis, ac levibus est elementis:
Nec facile 'st tali naturæ obsistere quicquam:
Inter enim fugit ac penetrat per rara viarum.
Non igitur multis offensibus in nemorando
Hæsitat: hanc ob rem celeri volat impete labens.
Deinde, quod omnino natura pondera deorsum
Omnia nituntur: cum plâga fit addita vero,
Mobilitas duplicatur, & impetus ille gravescit:
Ut vehementius, & citius, quæcunque morantur
Obvia, discutiat plâgis itinerque sequatur.
Denique, quod longo venit impete, sumere debet
Mobilitatem, etiam atque etiam quæ crescit eundo,
Et validas auget vireis, & roborat ictum.
Nam facit, ut, quæ sint illius semina cunque
E regione, locum quasi in unum cuncta ferantur,
Omnia conjiciens in eum volventia cursum.
Forsan & ex ipso veniens trahat aere quædam
Corpora, quæ plagis intendunt mobilitatem.
Incolumeisque venit per res, atque integra transit
Multa, foraminibus liquidis quia travolat ignis.
Multaque perfringit, cum corpora fulminis ipsa
Corporibus rerum inciderint, qua texta tenentur.
Dissolvit porro facile æs, aurumque repente
Conferve facit: è parvis quia facta minute
Corporibus vis est, & levibus ex elementis,
Quæ facile insinuantur, & insinuata repente
Dissolvunt nodos omneis, & vincla relaxant:
Autumnoque magis stellis fulgentibus alta
Concutitur cœli domus undique, totaque tellus:
Et cum tempora se veris florentia pandunt.

Frigore

Frigore enim desunt ignes, ventique calore
Deniciunt, neque sunt tam denso corpore nubes.
Inter utrumque igitur cum cœli tempora constant,
Tum variæ causæ concurrunt fulminis omnes.
Nam fretus ipse anni permiscet frigus, & æstum:
Quorum utrumq; opus est fabricanda ad fulmina nobis
Ut discordia sit rerum, magnoque tumultu
Ignibus, & ventis furibundus fluctuet aer.
Prima caloris enim pars, & postrema rigoris,
Tempus id est vernum: quare purgare necesse 'st
Dissimiles inter se res, turbareque mistas.
Et calor extremus primo cum frigore mistus
Volvitur, autumni quod fertur nomine tempus.
Hic quoque confligunt hiemes æstatibus acres.
Propterea sunt hæc bella anni nominitanda,
Nec mirum 'st in eo si tempore plurima fiunt
Fulmina, tempestasque cietur turbida cœlo,
Anciptei quoniam bello turbatur utrinque,
Hinc flammis, illinc ventis, humoreque misto.
Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
Perspicere, & qua vi faciat rem quamque videre:
Non Tyrrhena retro volventem carmina frustra
Indicia occultæ divûm perquirrere mentis,
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se
Verterit hic partem, quo pacto per loca septa
Insinuarit, & hinc dominatus ut extulerit se,
Quidve nocere queat de cœlo fulminis ictus:
Quod si Jupiter atque alii fulgentia divi
Terrifico quatiunt sonitu cœlestia templa,
Et jaciunt igneis, qua cuique 'st cumque voluptas,
Cur, quibus incautum scelus aversabile cumque 'st,
Non faciunt. icti flammas ut fulguris halent
Pectore perfixo documen mortalibus acre?
Et potius nullæ sibi turpis consciu' rei
Volvitur in flammis innoxius, inque peditur,
Turbine cœlesti subito conreptus & igni?
Cur etiam loca sola petunt, frustraque laborant?

An

An con brachia ſuefaciunt, firmantque lacertos?
In terraque Patris cur telum perpetiuntur
Obtundi? cur ipſe ſinit, neque parcit in hoſteis?
Denique, cur nunquam cœlo jacit undique puro
Jupiter in terras fulmen, ſonituſque profundit?
An ſimul ac nubes ſucceſſere, ipſe in eas tum
Deſcendit, prope ut hinc teli determinet ictus?
In mare qua porro mittit ratione? quid undas
Arguit & liquidam molem, campoſque natantes
Præterea, ſi vult caveamus fulminis ictum:
Cur dubitat facere, ut poſſimus cernere miſſum?
Si nec-opinanteis autem vult opprimere igni:
Cur tonat ex illa parte, vt vitare queamus?
Cur tenebras ante, & fremitus, & murmura concit
Et ſimul in multas parteis quí credere poſſis
Mittere? ân hoc auſis nunquam contendere factum,
Ut fierent ictus uno ſub tempore plures?
At ſæpe 'ſt numero factum, fierique neceſſe 'ſt,
Ut pluere in multis regionibus, & cadere imbreis,
Fulmina ſic uno fieri ſub tempore multa.
Poſtremo, cur ſancta Deûm delubra, ſuaſque
Diſcutit infeſto præclaras fulmine ſedes:
Et bene facta Deûm frangit ſimulacra? ſuiſque
Demit imaginibus violento volnere honorem?
Altaque cur plerumque petit loca? plurimaque hujus
Montibus in ſummis veſtigia cernimus ignis?

Quod ſupereſt, facile 'ſt ex his cognoſcere rebus,
Πρηστῆρας Graii quos ab re nominitarunt,
In mare qua miſſi veniant ratione ſuperne,
Nam fit, ut interdum tanquam demiſſa columna
In mare de cœlo deſcendat: quam freta circum
Ferviſcunt graviter ſpirantibus incita flabris:
Et quæcunque in eo tum ſunt deprenſa tumultu
Navigia, in ſummum veniunt vexata periclum.
Hoc fit, ubi interdum non quit vis incita venti
Rumpere quam cœpit nubem: ſed deprimit, ut ſit
In mare de cœlo tanquam demiſſa columna

Paulla-

Paullatim, quaſi quid pugno, brachiique ſuperne
Conjectu trudatur, & extendatur in undas:
Quam cum diſcidit, hinc prorumpitur in mare venti
Vis, & fervorem mirum concinnat in undis.
Verſabundus enim turbo deſcendit, & illam
Deducit pariter lento cum corpore nubem.
Quam ſimulac gravidam detruſit ad æquora ponti,
Ille in aquam ſubito totum ſe immittit, & omne
Excitat ingenti ſonitu mare fervere cogens.
Fit quoque, ut involvat ventis ſe nubibus ipſe
Vortex conradens ex aere ſemina nubis,
Et quaſi demiſſum cœlo preſtêre imitetur.
Hic ubi ſe in terras demiſit diſſolvitque,
Turbinis immanem vim provomit, atque procellæ.
Sed quia fit raro omnino, monteiſque neceſſe 'ſt
Officere in terris: appâret crebrius idem
Proſpectu maris in magno, cœloque patenti.
Nubila concreſcunt, ubi corpora multa volando
Hoc ſuper in cœli ſpatio coiere repente
Aſperiora, modis quæ poſſint indupedita
Exiguis, tamen inter ſe comprenſa teneri.
Hæc faciunt primum parvas conſiſtere nubeis:
Inde ea comprendunt inter ſe, conque gregantur,
Et conjungendo creſcunt, ventiſque feruntur
Uſqueadeo, donec tempeſtas ſæva coorta 'ſt.
Fit quoque uti montis vicina cacumina cœlo
Quam ſint quæque magis, tanto magis edita fument,
Aſſidue fulvæ nubis caligine craſſa,
Propterea, quia cum conſiſtunt nubila primum,
Ante videre oculi quam poſſint tenuia, venti
Portantes cogunt ad ſumma cacumina montis.
Hic demum fit, uti turba majore coorta,
Condenſa, ac ſtipata ſimul cernantur, & udo
Vertice de montis videantur ſurgere in æthram.
" Nam loca declarat ſurſum ventoſa patere
" Res ipſa & ſenſus, monteis cum aſcendimus altos.
Præterea permulta mari quoque tollere toto

Cor-

Corpora naturam, declarant littrore veſtes
Suſpenſæ, cum concipiunt humoris adhæſum.
Quo magis ad nubeis augendas multa videntur
Poſſe quoque è ſalſo conſurgere momine ponti.
" Nam ratio cum ſanguine abeſt humoribus omnis.
Præterea, fluviis ex omnibus, & ſimul ipſa
Surgere de terra nebulas, æſtumque videmus:
Quæ velut halitus, hinc ita ſurſum expreſſa feruntur,
Suffunduntque ſua cœlum caligine, & altas
Sufficiunt nubeis paullatim conveniundo.
Urget enim quoque ſigniferi ſuper ætheris æſtus,
Et quaſi denſendo ſubtexit cærula nimbis.
Fit quoque, ut hunc veniant in cœtũ extrinſecus illa
Corpora, quæ faciunt nubeis, nimboſque volanteis.
Innumerabilem enim numerum, ſummamq; profundi
Eſſe infinitam docui: quantaque volarent
Corpora mobilitate oſtendi, quamque repente
Immemorabile per ſpatium tranſire ſolerent.
Haud igitur mirum 'ſt, ſi parvo tempore ſæpe
Tam magnos monteis tempeſtas, atque tenebræ
Cooperiant maria, ac terras, impenſa ſuperne.
Undique quandoquidem per caulas ætheris omneis,
Et quaſi per magni circumſpiracula mundi
Exitus, introituſque elementis redditus extat.
Nunc age, quo pacto pluvius concreſcat in altis
Nubibus humor, & in terras demiſſus ut imber
Decidat, expediam. Primum jam ſemina aquai
Multa ſimul vincam conſurgere nubibus ipſis
Omnibus ex rebus, pariterque ita creſcere utraſque,
Et nubeis, & aquam, quæcunque in nubibus extat,
Ut pariter nobis corpus cum ſanguine creſcit,
Sudor item atq; humor quicunq; eſt deniq; membris.
Concipiunt etiam multum quoque ſæpe marinum
Humorem, veluti pendentia vellera lanæ
Cum ſupera magnum venti mare nubila portant.
Conſimili ratione ex omnibus omnibus humor
Tollitur in nubeis: quo cum bene ſemina aquarum

Multa

Multa modis multis convenere undique adaucta:
Confertæ nubes vi venti mittere certant
Dupliciter: nam vis venti contrudit, & ipsa
Copia nimborum turba majore coorta
Urget, & è supero premit, ac facit effluere imbreis.
Præterea cum rarescunt quoque nubila ventis,
Aut dissolvuntur solis super icta calore:
Mittunt humorem pluvium, stillantque quasi igni
Cera super calido tabescens multa liquescat.
Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utroque
Nubila vi cumulata premuntur, & impete venti.
At retinere diu pluviæ longumque morari
Consuerunt, ubi multa fuerunt semina aquarum,
Atque aliis aliæ nubes, nimbique rigantes
Insuper, atque omni volgo de parte feruntur:
Terraque cum fumans humorem tota rehalat.
Hinc ubi sol radiis tempestatem inter opacam
Adversa fulsit nimborum aspergine contra:
Tum color in nigris existit nubibus arqui.
Cætera, quæ sursum crescunt, sursumque creantur:
Et quæ concrescunt in nubibus omnia, prorsum
Omnia, nix, venti, grando, gelidæque pruinæ,
Et vis magna geli, magnum duramen aquarum:
Et mora, quæ fluvios passim refrænat euntes:
Perfacile 'st tamen hæc reperire, animoque videre,
Omnia quo pacto fiant, quæque creentur,
Cum bene cognoris, elementis reddita quæ sint.
Nunc age, quæ ratio terrai motibus extet,
Percipe: & in primis terram fac ut esse rearis
Subter item, ut supera 'st, ventis, atq; undiq; plenam
Speluncis, multosque lacus, multasque lacunas
In gremio gerere, & rupeis, deruptaque saxa:
Multaque sub tergo terrai flumina tecta
Volvere vi fluctus, submersaque saxa putandum 'st.
Undique enim similem esse sui, res postulat ipsa.
His igitur rebus subjunctis, suppositisque,
Terra superne tremit magnis concussa ruinis

Subter,

Subter, ubi ingenteis ſpeluncas ſubruit ætas,
Quippe cadunt toti montes, magnoque repente
Concuſſu late diſſerpunt inde tremores:
Et merito, quoniam plauſtris concuſſa tremiſcunt
Tecta viam propter non magno pondere tota.
Nec minus exſultant, ubi currus fortis equûm vis
Ferratos utrinque rotarum ſuccutit orbeis,
Fit quoque, ubi magnas in aquæ vaſtaſque lacunas
Gleba vetuſtate è terra provolvitur ingens,
Ut jactetur aqua, & fluctu quoque terra vacillet
Ut vas in terra non quit conſtare, niſi humor
Deſtitit in dubio fluctu jactarier intus.
Præterea ventus cum per loca ſubcava terræ
Conlectus parti ex una procumbit, & urget
Obnixus magnis ſpeluncas viribus altas:
Incumbit tellus, quo venti prona premit vis:
Tum, ſupera terram quæ ſunt exſtructa domorum,
Ad cœlumque magis quanto ſunt edita quæque,
Inclinata minent in eandem prodita partem:
Protractæque trabes impendent ire paratæ:
Et metuunt magni naturam credere mundi
Exitiale aliquod tempus, clademque manere,
Cum videant tantam terrarum incumbere molem.
Quod niſi reſpirent venti, non ulla refrænet
Res, neque ab exitio poſſit reprendere eunteis:
Nunc quia reſpirant alternis, inque graveſcunt.
Et quaſi conlecti redeunt, ceduntque repulſi.
Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas,
Quàm facit: inclinatur enim, retroque recellit.
Et recipit prolapſa ſuas ſe in pondere ſedeis:
Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,
Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.
Eſt hæc ejuſdem quoque magni cauſa tremoris,
Ventus ubi, atque animæ ſubito vis maxima quædam,
Aut extrinſecus, aut ipſa à tellure coorta
In loca ſe cava terrai conjecit, ibique
Speluncas inter magnas fremit ante tumultu:

Verſa-

Verſabundaque portatur pòſt incita cum vis;
Exagitata foras erumpitur, & ſimul artam
Diffidens terram magnum concinnat hiatum:
In Tyria Sidone quod accidit, & fuit Ægis
In Peloponneſo, quas exitus hic animai
Diſturbât urbeis, & terræ motus obortus!
Multaque præterea ceciderunt mœnia magnis
Motibus in terris, & multæ per mare peſſum
Subſedere ſuis pariter cum civibus urbes.
Quod niſi prorumpit, tamen impetus ipſe animai
Et fera vis venti per crebra foramina terræ
Diſpertitur, ut horror: & incutit inde tremorem:
Frigus uti noſtros penitus cum vênit in artus,
Concutit invitos cogens tremere atque moveri.
Ancipiti trepidant igitur terrore per urbeis:
Tecta ſuperne timent, metuunt inferne, cavernas
Terrai ne diſſolvat natura repente:
Neu diſtracta ſuum late diſpandat hiatum:
Idque ſuis confuſa velit complere ruinis.
Proinde licet quamvis cœlum terramque reantur
Incorrupta fore æternæ mandata ſaluti:
Attamen interdum præſens vis ipſa pericli
Subditat hunc ſtimulum quadam de parte timoris,
Ne pedibus raptim tellus ſubtracta feratur
In barathrum, rerumque ſequatur prodita ſumma
Funditus, & fiat mundi confuſa ruina.
Nunc ratio reddunda, augmen cur neſciat æquor.
Principio mare mirantur non reddere majus
Naturam, quo tantu' ſuat decurſus aquarum,
Omnia quo veniant ex omni flumina parte.
Adde vagos imbreis, tempeſtateſque volanteis:
Omnia quæ maria, ac terras ſparguntque rigantque.
Adde ſuos fonteis: tamen ad maris omnia ſummam
Guttai vix inſtar erunt unius ad augmen:
Quo minus eſt mirum, mare non augeſcere magnum.
Præterea magnam ſol partem detrahit æſtu.
Quippe videmus enim veſteis humore madenteis

Exſic-

Exsiccare suis radiis ardentibu' solem.
At pelage multa, & latè substrata videmus.
Proinde licet quamvis ex uno quoque loco sol
Humoris parvam delibet ab æquore partem:
Largiter in tanto spatio tamen auferet undis.
Tum porro venti magnam quoque tollere partem
Humoris possunt verrentes æquora ponti:
Una nocte vias quoniam persæpe videmus
Siccari, molliſque luti concrescere crustas.
Præterea, docui multum quoque tollere nubeis
Humorem magno conceptum ex æquore ponti:
Et passim toto terrarum spargere in orbe,
Cum pluit in terris, & venti nubila portant.
Postremo, quoniam raro cum corpore tellus
Est, & conjunctas oras maris undique cingit:
Debet, ut in mare de terris venit humor aquai,
In terras itidem manare ex æquore salso;
Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, ad caput amnibus omnis
Confluit: inde super terras redit agmine dulci,
Quâ via secta semel liquido pede detulit undas.
Nunc ratio quæ sit, per fauceis montis ut Ætnæ
Exspirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam: neque enim media de clade coorta
Flammæ tempestas Siculûm dominata per agros
Finitimis ad se converit gentibus ora,
Fumida cum cœli scintillare omnia templa
Cernentes pavida complebant pectora cura,
Quid moliretur rerum natura novarum.
Hisce tibi rebus late 'st, alteque videndum,
Et longe cunctas in parteis disiciendum,
Ut reminiscaris, summam rerum esse profundam,
Et videas, cœlum summai totius unum
Quam sit parvula pars, & quam multesima constet:
Et quota pars homo terrai sit totius unus.
Quod bene propositum si plane contueare,
Ac videas plane: mirari multa relinquas.

Num

Num quis enim noſtrûm miratur, ſiquis in artus
Accepit calido febrim fervore coortam,
Aut alium quemvis morbi per membra dolorem?
Obturgeſcit enim ſubito pes, arripit acer
Sæpe dolor denteis, oculos invadit in ipſos:
Exiſtit ſacer ignis, & urit corpore ſerpens
Quamcunque arripuit partem, repitque per artus;
Nimirum, quia ſunt multarum ſemina rerum:
Et ſatis hæc tellus nobis cœlumque mali fert,
Unde queat vis immenſi procreſcere morbi.
Sic igitur toti cœlo, terræque putandum 'ſt
Ex infinito ſatis omnia ſuppeditare,
Unde repente queat tellus concuſſa moveri,
Perque mare, & terras rapidus percurrere turbo,
Ignis abundare Ætnæus, flammeſcere cœlum.
Id quoque enim fit, & ardeſcunt cœleſtia templa:
Ut tempeſtates pluviæ graviore coortu
Sunt, ubi forte ita ſe tetulerunt ſemina aquarum.
At nimis eſt ingens incendî turbidus ardor.
Scilicet & fluvius, qui non eſt, maximus eii 'ſt
Qui non ante aliquem majorem vidit: & ingens
Arbor, homoque videtur: & omnia de genere omni,
Maxima quæ vidit quiſque, hæc ingentia fingit:
Cum tamen omnia cum cœlo, terraque, marique
Nil ſint ad ſummam ſummai totius omnem.
Nunc tamen, illa modis quibus inritata repente
Flamma foras vaſtis Ætnæ fornacibus efflet,
Expediam. Primum totius ſubcava montis
Eſt natura, fere ſilicum ſuffulta cavernis.
Omnibus eſt porro in ſpeluncis ventus & aer.
Ventus enim fit, ubi eſt agitando percitus aer.
Hic ubi percaluit, calefecitque omnia circum
Saxa furens, qua contingit, terramque: & ab ollis
Excuſſit calidum flammis velocibus ignem:
Tollit ſe, ac rectis ita faucibus ejicit alte,
Funditque ardorem longe, longeque favillam
Differt, & craſſâ volvit caligine fumum:

Extru-

Extruditque ſimul mirando pondere ſaxa:
Ne dubites, quin hæc animai turbida ſit vis.
Præterea magna ex parti mare montis ad ejus
Radices frangit fluctus, æſtumque reſorbet.
Ex hoc uſque mari ſpeluncæ montis ad altas
Perveniunt ſubter fauceis: hac ire fatendum eſt,
" Et penetrare mari penitus res cogit aperto:
Atque efflare foras, ideoque extollere flammas,
Saxaque ſubjectare, & arenæ tollere nimbos.
In ſummo ſunt ventigeni Craterès, ut ipſi
Nominitant, nos quas fauceis perhibemus, & ora.
Sunt aliquot quoq; res, quarum unam dicere cauſam
Non ſatis eſt, verum plureis, unde una tamen ſit.
Corpus ut exanimum ſi quod procul ipſe jacêre
Conſpicias hominis: ſit ut omneis dicere cauſas
Conveniat lethi, dicatur ut illius una.
Nam neque cum ferro, neque frigore vincere poſſis
Interiiſſe, neque à morbo, neque forte veneno:
Verum aliquid, genere eſſe ex hoc, quod concio dicat,
Scimus: item in multis hoc rebus dicere habemus.
Nilus in æſtati creſcit, campiſque redundat
Unicus in terris Ægypti totius amnis.
Is rigat Ægyptum medium perſæpe calorem,
Aut quia ſunt æſtate Aquilones oſtia contra
Anni tempore eo, quo Eteſia flabra feruntur:
Et contra fluvium flantes remorantur, & undas
Cogentes ſurſus replent, coguntque manere.
Nam dubio procul hæc adverſo flabra feruntur
Flumine, quæ gelidis à ſtellis axis aguntur.
Ille ex æſtifera parti venit amnis ab Auſtro
Inter nigra virûm, percoctaque ſæcla calore,
Exoriens penitus media ab regione diei.
Eſt quoque uti poſſit magnus congeſtus arenæ
Fluctibus adverſis oppilare oſtia contra,
Cum mare permotum ventis ruit intus arenam.
Quo fit uti pacto liber minus exitus amni.
Et proclivus item fiat minus impetus undis.

Fit

Fit quoque, uti pluviæ forſan magis ad caput ejus
Tempore eo fiant, quo Eteſia flabra Aquilonum
Nubila conjiciunt in eas tunc omnia parteis.
Scilicet ad mediam regionem ejecta diei
Cum convenerunt, ibi ad altos denique monteis
Contruſæ nubes coguntur, vique premuntur.
Forſit & Æthiopum penitus de montibus altis
Creſcat, ubi in campos albas deſcendere ningueis
Tabificis ſubigit radiis ſol omnia luſtrans.
Nunc age, Averna tibi quæ ſint loca cumq; lacuſque,
Expediam, quali natura prædita conſtent.
Principio, quod Averna vocantur, nomen id ab re
Impoſitum' ſt, quia ſunt avibus contraria cunctis,
E regione ea quod loca cum advenere volantes,
Remigii oblîtæ pennarum vela remittunt,
Præcipiteſque cadunt molli cervice profuſæ
In terram, ſi forte ita fert natura locorum:
Aut in aquam, ſi forte lacus ſubſtratus Averno 'ſt.
Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum,
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.
Eſt & Athenæis in mœnibus, arcis in ipſo
Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almæ,
Quo nunquam pennis appellunt corpora raucæ
Cornices, non cum fumant altaria donis:
Uſqueadeo fugitant non iras Palladis acreis
Pervigilii cauſa, Graiûm ut cecinere poetæ:
Sed natura loci hoc opus efficit ipſa ſua vi.
In Syria quoque fertur item locus eſſe, videri,
Quadrupedes quoque quo ſimulac veſtigia primum
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipſa,
Manibus ut ſi ſint divis mactata repente.
Omnia quæ naturali ratione geruntur,
Et quibus è cauſis fiant, appâret origo:
Janua ne his Orci potius regionibus eſſe
Credatur poſita, hinc animas Acheruntis in oras
Ducere forte deos Maneis inferne reamur:
Naribus alipedes ut cervi ſæpe putantur

Ducere

Ducere de latebris serpentia sæcla ferarum.
Quod procul à vera quam sit ratione repulsum,
Percipe: namque ipsa de re nunc dicere conor.
Principio hoc dico, quod dixi sæpe quoque ante,
In terra cujusque modi rerum esse figuras:
Multa, homini quæ sunt vitalia: multaque morbos
Incutere, & mortem quæ possint accelerare:
Et magis esse aliis alias animantibus aptas
Res ad vitai rationem, ostendimus ante,
Propter dissimilem naturam, dissimileisque
Texturas inter sese, primasque figuras:
Multa meant inimica per aureis, multa per ipsas
Insinuant nareis infesta atque aspera odore:
Nec sunt multa parum tactu vitanda, nec autem
Aspectu fugienda, saporeque tristia quæ sint.
Deinde videre licet quam multæ sint homini res
Acriter infesto sensu, spurcæque graveseque.
Arboribus primum certis gravis umbra tributa 'st,
Usqueadeo, capitis faciant ut sæpe dolores,
Siquis eas subter jacuit prostratus in herbis.
Est etiam in magnis Heliconis montibus arbos
Floris odore hominem tetro consueta necare.
Scilicet hæc ideo terris ex omnia surgunt
Multa modis multis multarum semina rerum,
Quod permista gerit tellus, discretaque tradit:
Nocturnumque recens extinctum lumen, ubi acri
Nidore offendit nareis consopit ibidem:
Castoreoque gravi mulier sopita recumbit,
Et manibus nitidum teneris opus effluit ei,
Tempore eo si odorata 'st, quo menstrua solvit.
Multaque præterea languentia membra per artus
Solvunt, atque animam labefactant sedibus intus:
Denique si in calidis etiam cunctere lavacris,
Plenior & solio in fueris ferventis aquai:
Quam facile in medio fit uti des sæpe ruinas?
Carbonumque gravis vis atque odor insinuatur
Quam facile in cerebrũ, nisi aquam præcepimus ante?

At

At cum membra hominis percepit fervida febris,
Tum fit odor vini plagæ mactabilis instar.
Nonne vides etiam terra quoque sulfur in ipsa
Gignier? & tetro concrescere odore bitumen?
Denique ubi argenti venas, aurique sequuntur,
Terrai penitus scrutantes abdita ferro:
Qualeis exspirat scaptensula subter odores?
Quidve mali fit ut exhalent aurata metalla?
Quas hominum reddunt facies? qualesque colores?
Nonne vides, audisve perire in tempore parvo
Quam soleant, & quam vitai copia desit,
Quos opere in tali cohibet vis magna? necesse 'st
Hos igitur tellus omneis exæstuet æstus:
Expiretque foras in aperta promptaque cœli.
Sic & Averna loca alitibus summittere debent
Mortiferam vim, de terra quæ surgit in auras,
Ut spatium cœli quadam de parte venenet,
Quo simul ac primum pennis delata sit ales,
Impediatur ibi cæco correpta veneno,
Ut cadat è regione loci, qua dirigit æstus:
Quo cum conruit, hæc eadem vis illius æstus,
Reliquias vitæ membris ex omnibus aufert.
Quippe etenim primo quasi quendam conciet æstum:
Posterius fit, uti cum jam cecidere veneni
In fonteis ipsos, ibi sit quoque vita vomenda,
Propterea quod magna mali sit copia circum.
Fit quoque ut interdum vis hæc, atque æstus Averni,
Aera, qui inter aveis cunque 'st terramque locatus,
Discutiat, prope uti locus hinc linquatur inanis:
Cujus ubi è regione loci venêre volantes,
Claudicat extemplo pennarum nisus inanis:
Et conamen utrinque alarum proditur omne,
Hic, ubi nictari nequeunt insistereque alis:
Scilicet in terram delabi pondere cogit
Natura, & vacuum prope jam per inane jacentes
Dispergunt animas per caulas corporis omneis.
Frigidior porro in puteis æstate fit humor,

Rarescit quia terra calore, & semina siqua
Forte vaporis habet, propere dimittit in auras.
Quo magis est igitur tellus affecta calore,
Hoc fit frigidior, qui in terra 'st abditus, humor.
Frigore cum premitur porro omnis terra, coitque,
Et quasi concrescit: fit scilicet, ut coeundo
Exprimat in puteos, siquem gerit ipsa calorem.
Est apud Ammonis fanum fons luce diurna
Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur:
Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri
Sole putant subter terras ferviscere raptim,
Nox ubi terribili terras caligine texit:
Quod nimis à vera 'st longe ratione remotum:
Quippe ubi sol nudum contrectans corpus aquai,
Non quierit calidum supera de reddere parte,
Cum superum lumen tanto fervore fruatur:
Qui queat hic subter tam crasso corpore terram,
Percoquere humorem, & calido sociare vapori?
Præsertim cum vix possint per septa domorum
Insinuare suum radiis ardentibus æstum?
Quæ ratio est igitur? nimirum terra magis quod
Rara tenet circum hunc fontem, quam cætera tellus.
Multaque sunt ignis prope semina corpus aquai.
Hinc ubi roriferis terram nox obruit umbris,
Extemplo subtus frigescit terra, coitque.
Hac ratione fit, ut tanquam compressa manu sit,
Exprimat in fontem, quæ semina cunque habet ignis,
Quæ calidum faciunt laticis tactum atque saporem.
Inde ubi sol radiis terram dimovit obortis,
Et rarefecit calido miscente vapore,
Rursus in antiquas redeunt primordia sedeis
Ignis, & in terram cedit calor omnis aquai:
Frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurna.
Præterea solis radiis jactatur aquai
Humor, & in luci tremulo rarescit ab æstu:
Propterea fit uti quæ semina cunque habet ignis,
Dimittat: quasi sæpe gelum, quod continet in se,

Mittit,

Mittit, & exoluit glaciem, nodoſque relaxat.
Frigidus eſt etiam fons, ſupra quem ſita ſæpe
Stupa jacit flammas concepto protinus igni:
Tedaque conſimili ratione accenſa per undas
Conlucet, quocunque natans impellitur auris:
Nimirum quia ſunt in aqua permulta vaporis
Semina, de terraque neceſſe 'ſt funditus ipſa
Ignis corpora per totum conſurgere fontem,
Et ſimul exſpirare foras, exireque in auras,
Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri fons.
Præterea diſperſa foras erumpere cogit
Vis per aquam ſubito, ſurſumque ea conciliari:
Quod genus endo mari ſpirat fons dulcis aquai.
Qui ſcatit, & ſalſas circum ſe dimovet undas.
Et multis aliis præbet regionibus æquor
Utilitatem opportunam ſitientibu' nautis,
Quod dulceis inter ſalſas intervomit undas.
Sic igitur per eum poſſunt erumpere fontem,
Et ſcatere illa foras in ſtupam ſemina: quo cum
Conveniunt, aut cum tedæ corpori adhærent,
Ardeſcunt facile extemplo: quia multa quoque in ſe
Semina habent ignis ſtupæ tedæque tenentes.
Nonne vides etiam, nocturna ad lumina lychnum
Nuper ubi extinctum admoveas, accendier ante,
Quam tetigit flammam? tedamque pari ratione?
Multaque præterea, prius ipſo tacta vapore
Eminus ardeſcunt, quam comminus imbuat ignis.
Hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandum 'ſt.
Quod ſupereſt, agere incipiam quo fœdere fiat
Naturæ, lapis hic ut ferrum ducere poſſit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine Graii,
Magnetum quia ſit patriis in finibus ortus.
Hunc homines lapidem mirantur, quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex ſe.
Quinque etenim licet interdum, plureiſque videre
Ordine demiſſos levibus jactarier auris,
Unus ubi ex uno dependet ſubter adhærens;

Ex alioque alius lapidis vim, vinclaque noſcit:
Uſqueadeo permananter vis pervalet ejus.
Hoc genus in rebus firmandum'ſt multa prius, quam
Ipſius rei rationem reddere poſſis:
Et nimium longis ambagibus eſt adeundum:
Quo magis attentas aureis, animumque repoſco.
Principio omnibus à rebus, quaſcunque videmus,
Perpetuo fluere, ac mitti ſpargique neceſſe 'ſt
Corpora, quæ feriant oculos, viſumque laceſſant:
Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores,
Frigus ut à fluviis, calor à ſole, æſtus ab undis
Æquoris exeſor mœrorum littora propter:
Nec varii ceſſant ſonitus manare per auras.
Denique in os ſalſi venit humor ſæpe ſaporis,
Cum mare verſamur propter; dilutaque contra
Cum tuimur miſceri abſinthia, tangit amaror:
Uſqueadeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur undique parteis:
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi,
Perpetuo quoniam ſentimus, & omnia ſemper
Cernere, odorari licet, & ſentire ſonorem.
Nunc omnes repetam quam raro corpore ſint res,
Commemorare, quod in primo quoq; carmine claret.
Quippe etenim, quamquã multas hoc pertinet ad res
Noſcere, cum primis hanc ad rem protinus ipſam,
Qua de diſſerere aggredior, firmare neceſſe 'ſt,
Nil eſſe in promptu, niſi miſtum corpus Inani.
Principio ſit, ut in ſpeluncis ſaxa ſuperna
Sudent humore, & guttis manantibu' ſtillent:
Manat item nobis è toto corpore ſudor,
Creſcit barba, pilique per omnia membra, per artus:
Diditus in venas cibus omneis, auget alitque
Corporis extremas quoque parteis, unguiculoſque.
Frigus item tranſire per æs, calidumque vaporem
Sentimus: ſentimus item tranſire per aurum,
Atque per argentum, cum pocula plena tenemus,
Denique per diſſepta domorum ſaxea voces

Pervo-

Pervolitant, permanat odos, frigusque, vaposque
Ignis: quin ferri quoque vim penetrare suevit,
Undique qua circum corpus lorica coercet:
Morbida vis quæcunque extrinsecus insinuatur.
Et tempestates terra cœloque coortæ
E cœlo emotæ terraque repente facessunt,
Quandoquidem nihil est, non raro corpore nexum.
Huc accedit, uti non omnia, quæ jaciuntur
Corpora cunque ab rebus, eodem prædita sensu,
Atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.
Principio terram sol excoquit, & facit are:
At glaciem dissolvit, & altis montibus alte
Exstructas ningueis radiis tabescere cogit:
Denique cera liquescit in ejus posita vapore,
Ignis item liquidum facit æs, aurumque resolvit:
At coria, & carnem trahit, & conducit in unum.
Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni,
At coria, & carnem mollit durata calore:
Barbigeras oleaster eo juvat usque capellas,
Diffluat ambrosia quasi vero, & nectare tincta:
At nihil est, homini fronde hac quod amarius extet.
Denique amaricinum fugitat sus, & timet omne
Unguentum; nam, setigeris subus acre venenum
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contra nobis cœnum teterrima cum sit
Spurcities, eadem subus hæc res munda videtur,
Insatiabiliter toti ut volvantur ibidem.
Hoc etiam superest, ipsa quam dicere de re
Aggredior quod dicendum prius esse videtur.
Multa foramina cum variis sint reddita rebus,
Dissimili inter se natura prædita debent
Esse, & habere suam naturam quæque, viasque.
Quippe etenim varii sensus animantibus insunt,
Quorum quisque suam proprie rem percipit in se.
Nam penetrare alià sonitus aliáque saporem
Cernimus è succis, alià nidoris odores,
Propter dissimilem naturam, textaque rerum:

Præterea manare aliud per ſaxa videtur:
Atque aliud per ligna: aliud tranſire per aurum:
Argentoque foras aliud, vitroque meare.
Nam fluere hac ſpecies, illac calor ire videtur:
Atque aliis aliud citius tranſmittere eadem.
Scilicet id fieri cogit natura viarum,
Multimodis varians, ut paulo oſtendimus ante.
Quapropter bene ubi hæc confirmata atque locata
Omnia conſtiterint nobis præpoſta, parata:
Quod ſupereſt, facile hinc ratio reddetur, & omnis
Cauſa patefiet, quæ ferri pelliciat vim.
Principio fluere è lapide hoc permulta neceſſe 'ſt
Semina, ſive æſtum, qui diſcutit aera plagis:
Inter qui lapidem, ferrumque 'ſt cunque locatus.
Hoc ubi inanitur ſpatium, multuſque vacefit
In medio locus: extemplo primordia ferri
In vacuum prolapſa cadunt conjuncta, fit utque
Annulus ipſe ſequatur, eatque ita corpore toto.
Nec res ulla magis primoribus ex elementis
Indupedita ſuis arcte connexa cohæret,
Quam validi ferri naturæ frigidus horror.
Quo minus eſt mirum, quod paullo diximus ante,
Corpora ſi nequeunt de ferro plura coorta
In vacuum ferri, quin annulus ipſe ſequatur:
Quod facit, & ſequitur donec pervenit ad ipſum
Jam lapidem, cæciſque in eo compagibus hæſit.
Hoc fit item cunctas in parteis: unde vacefit
Cunque locus, ſive ex tranſverſo, ſive ſuperne:
Corpora continuo in vacuum vicina feruntur.
Quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipſa
Sponte ſua ſurſum poſſunt conſurgere in auras.
Huc accedit item, quare queat id magis eſſe:
Hæc quoque res adjumento, motuque juvatur:
Quod ſimul à fronte eſt annelli rarior aer
Factus, inanituſque locus magis ac vacuatus:
Continuo fit, uti quí poſt eſt cunque locatus
Aer, à tergo quaſi provehat atque propellat.

Semper

Semper enim circum positus res verberat aer,
Sed tali fit uti propellat tempore ferrum,
Parte quod ex una spatium vacat, & capit in se.
Hic, ubi, quem memoro, per crebra foramina ferri 'st
Parvas ad partes subtiliter insinuatus:
Trudit & impellit quasi navim velaque ventus.
Denique res omnes debent in corpore habere
Aera, quandoquidem raro sunt corpore, & aer
Omnibus est rebus circumdatus appositusque.
Hic igitur, penitus qui in ferro 'st abditus aer,
Sollicito motu semper jactatur, eoque
Verberat annellum dubio procul: & ciet intus
Scilicet: atque eôdem fertur, quo præcipitavit
Jam semel, & quanquam in partem conamina sumsit.
Fit quoque ut à lapide hoc ferri natura recedat
Interdum, fugere, atque sequi consueta viciſſim.
Exsultare etiam Samothracia ferrea vidi:
Et ramenta simul ferri furere intus ahenis
In scaphiis, lapis hic Magnes cum subditus esset:
Usqueadeo fugere à saxo gestire videtur:
Ære interposito discordia tanta creatur,
Propterea, quia nimirum prius æstus ubi æris
Præcepit, ferrique vias possedit apertas:
Posterior lapidis venit æstus, & omnia plena
Invenit in ferro: neque habet quà tranet, ut ante.
Cogitur offensare igitur, pulsareque fluctu
Ferrea texta suo: quo pacto respuit ab se,
Atque per æs agitat, sine eo quæ sæpe resorbet.
Illud in his rebus mirari mitte, quod æstus
Non valet è lapide hoc alias impellere item res.
Pondere enim fretæ partim stant, quod genus aurum:
Ac partim raro quia sunt cum corpore, ut æstus
Pervolet intactus, nequeunt impellier usquam:
Lignea materies in quo genere esse videtur.
Inter utrasque igitur ferri natura locata,
Æris ubi accepit quædam corpuscula: tum fit,
Impellant ut eam Magnesii semina saxi.

Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum aliena,
Ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur,
Quæ memorare queam inter se singulariter apta.
Saxa vides primum sola coalescere calce:
Glutine materies taurino ita jungitur una,
Ut vitio venæ tabularum sæpius hiscant,
Quam laxare queant compages taurea vincla.
Vitigeni latices in aquai fontibus audent
Misceri, cum pix nequeat gravis & leve olivum.
Purpureusque colos conchyli mergitur una
Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat usquam:
Non si Neptuni fluctu renovare operam des:
Non, mare si totum velit eluere omnibus undis,
Denique res auro argentum concopulat una,
Ærique æs plumbo fit uti jungatur ab albo.
Cætera jam quam multa licet reperire? quid ergo?
Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam,
Nec me tam multam hîc operam consumere par est:
Sed breviter paucis restat comprendere multa:
Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contra,
Ut cava conveniant plenis hæc illius, illa
Hujusque: inter se junctura horum optima constat.
Est etiam, quasi ut annellis, hamisque plicata
Inter se quædam possint coplata teneri:
Quod magis in lapide hoc fieri ferroque videtur.
Nunc, ratio quæ si morbis, aut unde repente
Mortiferam possit cladem conflare coorta
Morbida vis hominum generi, pecudumqve catervis,
Expediam. Primum multarum semina rerum
Esse supra docui, quæ sint vitalia nobis:
Et contra, quæ sint morbo, mortique, necesse 'st
Multa volare; ea cum casu sunt forte coorta,
Et perturbarunt cœlum, fit morbidus aer.
Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque,
Aut extrinsecus, ut nubes nebulæque superne
Per cœlum veniunt, aut ipsa sæpe coorta
De terra surgunt, ubi putrorem humida nacta 'st,

Intem-

Intempestivis pluviisque, & solibus icta.
Nonne vides etiam cœli novitate, & aquarum
Tentari, procul à patria quicunque domoque
Adveniunt? ideo quia longe discrepat aer.
Nam quid Britannum cœlum differre putamus,
Et quod in Ægypto 'st, qua mundi claudicat axis?
Quidve quod in Ponto 'st, differre à Gadibus, atque
Utque ad nigra virûm, percoctaque sæcla calore?
Quæ cum quattuor inter se diversa videmus,
Quattuor à ventis, & cœli partibus esse,
Tum color & facies hominum distare videntur
Largiter, & morbi generatim sæcla tenere.
Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.
Atthide tentantur gressus, oculique in Achæis
Finibus, inde aliis alius locus est inimicus
Partibus, ac membris: varius concinnat id aer.
Proinde ubi se cœlum, quod nobis forte alienum 'st,
Commovet, atque aer inimicus serpere cœpit:
Ut nebula, ac nubes paulatim repit, & omne
Qua graditur, conturbat, & immutare coactat.
Fit quoque, ut in nostrum cum venit deniq; cœlum,
Corrumpat, reddatque sui simile, atque alienum.
Hæc igitur subito clades nova, pestilitasque,
Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas,
Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus:
Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso:
Et cum spiranteis mistas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse 'st.
Consimili ratione venit bubus quoque sæpe
Pestilitas, etiam pecubus balantibus ægror.
Nec refert utrum nos in loca deveniamus
Nobis adversa, & cœli mutemus amictum:
An cœlum nobis ultro natura cruentum
Deferat, aut aliquid, quo non consuevimus uti:
Quod nos adventu possit tentare recenti.
Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æstus

Fini-

Finibu' Cecropiis funeſtos reddidit agros,
Vaſtavitque vias, exhauſit civibus urbem.
Nam penitus veniens Ægypti è finibus ortus,
Aera permenſus multum, campoſque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde catervatim morbo mortique dabantur.
Principio caput incenſum fervore gerebant:
Et dupliceis oculos ſuffuſa luce rubenteis.
Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine, & ulceribus vocis via ſepta coibat:
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aſpera tactu.
Inde, ubi per fauceis pectus complerat, & ipſum
Morbida vis in cor mœſtum confluxerat ægris:
Omnia tum vero vitai clauſtra labebant.
Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.
Atque animi prorſum vires totius, & omne
Languebat corpus, lethi jam limine in ipſo.
Intolerabilibuſque malis erat anxius anguor
Aſſidue comes, & gemitu commiſta querela.
Singultuſque frequens noctem perſæpe, diemque
Conripere aſſidue nervos & membra coactans,
Diſſolvebat eos, defeſſos ante, fatigans.
Nec nimio cuiquam poſſes ardore tueri
Corporis in ſummo ſummam ferviſcere partem:
Sed potius tepidum manibus proponere tactum,
Et ſimul ulceribus quaſi inuſtis omne rubere
Corpus, ut eſt per membra Sacer cum diditur ignis.
Intima pars homini vero flagrabat ad oſſa:
" Flagrabat ſtomacho flamma, ut fornacibus intus.
Nil adeo poſſet cuiquam leve, tenueque membris
Vertere in utilitatem ad ventum & frigora ſemper,
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.
Multi præcipites lymphis putealibus alte
Inciderunt ipſo venientes ore patente.

Inſe-

Insedabiliter sitis arida corpora mersans
Æquabat multum parvis humoribus imbrem.
Nec requies erat ulla mali, defessa jacebant
Corpora, mussabat tacito medicina timore,
Quippe patentia cum totas ardentia nocteis
Lumina versarent oculorum expertia somno:
Multaque præterea mortis tum signa dabantur.
Perturbata animi mens in mœrore metuque:
Triste supercilium, furiosus voltus, & acer:
Sollicitæ porro plenæque sonoribus aures:
Creber spiritus, aut ingens, raroque coortus:
Sudorisque madens per collum splendidus humos:
Tenuia sputa, minuta, croci contincta colore,
Salsaque per fauceis raucas vix edita tussi.
In manibus vero nervi trahier, tremere artus:
A pedibusque minutatim succedere frigus
Non dubitabat: item ad supremum denique tempus:
Compressæ nares: nasi primoris acumen
Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis,
Duraque: inhorrebat rictum, frons tenta minebat:
Nec nimio rigido pòst strati monte jacebant:
Octavoque fere candenti lumine solis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum siquis (ut est) vitarat funera lethi,
Visceribus tetris, & nigra proluvie alvi;
Posterius tamen hunc tabes lethumque manebat:
Aut etiam multus capitis cum sæpe dolore
Conruptus sanguis plenis ex naribus ibat:
Huc hominis totæ vires corpusque fluebat.
Profluvium porro qui tetri sanguinis acre
Exierat tamen in nervos huic morbus & artus
Ibat, & in parteis genitaleis corporis ipsas,
Et graviter partim metuentes limina lethi
Vivebant ferro privati parte virili:
Et manibus sine nonnulli pedibusque manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim:
Usqueadeo mortis metus his incesserat acer.

Atque

Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.
Multaq; humi cum inhumata jacerent corpora supra
Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
Aut procul abfiliebat, ut acrem exiret odorem:
Aut, ubi gustârat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temere illis solibus ulla
Comparebat avis, nec noctibu' sæcla ferarum
Exibant sylvis: languebant pleraque morbo,
Et moriebantur: cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus ægram.
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vasta:
Nec ratio remedi communis certa dabatur.
Nam quod alis dederat vitaleis aeris auras
Volvere in ore licere, & cœli templa tueri:
Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.
Illud in his rebus miserandum & magnopere unum
Ærumnabile erat, quod, ubi se quisque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
Deficiens animo mœsto cum corde jacebat
Funera respectans, animam & mittebat ibidem:
Idque vel in primis cumulabat funere funus.
Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex aliis alios avidi contagia morbi:
Nam quicunque suos fugitabant visere ad ægros,
Vitai nimium cupidi, mortisque timentes,
Pœnibat paullo post turpi morte malaque
Desertos, opis experteis, incuria mactans,
Lanigeras tanquam pecudes, & bucera sæcla.
Qui fuerant autem præsto, contagibus ibant,
Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandaque lassorum vox mista voce querelæ.
Optimus hoc lethi genus ergo quisque subibat:
Inque aliis alium populum sepelire suorum
Certantes, lacrymis lassi luctuque redibant.
Indè bonam partem in lectum mœrore dabantur:

Nec

Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.
Præterea jam pastor, & armentarius omnis,
Et robustus item curvi moderator aratri,
Languebant, penitusque casis contrusa jacebant
Corpora, paupertate & morbo dedita morti.
Exanimis pueris super exanimata parentum
Corpora nonnunquam posses, retroque videre
Matribus, & patribus natos super edere vitam,
Nec minimum partim ex agris ægroris in urbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia, conveniens ex omni morbida parti.
Omnia complebant loca tectaque, quo mage eos tum
Confertos ita acervatim mors accumulabat.
Multa siti prostrata viam per, proque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata jacebant,
Intercluſa animæ nimia ab dulcedine aquai.
Multaque per populi passim loca prompta, viasque
Languida semianimo tum corpore membra videres,
Horrida pædore, & pannis cooperta perire
Corporis inluvie pellis super ossibus una,
Ulceribus veteris prope jam, sordique sepulta.
Omnia denique sancta Deûm delubra replerat
Corporibus mors exanimis, onerataque passim
Cuncta cadaveribus cœlestum templa manebant:
Hospitibus loca quæ complerant ædituentes.
Nec jam religio divûm, nec numina magni
Pendebantur: enim præsens dolor exsuperabat.
Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,
Ut prius hic populus semper consuerat humari.
Perturbatus enim totus trepidabat, & unus
Quisque suum pro re consortem mœstus humabat.
Multaque vis subita, & paupertas horrida suasit.
Namque suos consanguineos aliena rogorum,
Insuper extructa ingenti clamore locabant,
Subdebatque faceis, multo cum sanguine sæpe
Rixantes potius, quam corpora desererentur.

FINIS.

TANAQVILLI FABRI

Emendationes & Conjecturæ IN T. LUCRETII LIBROS DE RERUM NATURA.

CAPUT I.

PAGINA 8. Vers. 30. Atomos videri non posse ut probet Lucretius, ait esse quædam corpora multis partibus grandiora & ὀγκωδέστερα quàm atomi sint, quæ ipsa tamen sub oculorum sensum minime cadant; quo in genere ventos esse scribit:

Ne

Ne qua forte tamen cœptes diffidere dictis,
Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni;
Accipe præterea *qua corpora tute necesse est*
Confiteare esse in rebus, nec posse videri.
Principio venti vis verberat incita pontum,
Ingentesque ruit naves, & nubila differt:
Interdum rapido percurrens turbine campo,
Arboribus magnis sternit, montesque supremos
Silvifragis vexat flabris; ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus.

Primum omnium legendum videri possit *propterea*, non *præterea*; sed hoc perpauxillulum quiddam est præ ut quod jam dicam: Gravissimum enim in illis versibus mendum esse si dixero, id dicam quod res est:

ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus.

Quippe contra sensum faciat, qui orationem ad hunc modum formaverit: *Ventus* PONTUM *verberat, naves disjicit, nubila differt, interdum campos arboribus sternit, montesque supremos flabris suis vexat,* ITA FURIT PONTUS. Vel puer facile viderit, redeundum fuisse ad VENTUM ipsum, non autem ad PONTUM; est enim bene & naviter ridicula, planeq; ἀσυλλόγιστος oratio. Quamobrem legendum,

ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure côrtus.

Quod jam probabo, ubi sic loqui solitum esse Lucretium ostendero. Ad hunc igitur modum in hoc ipso libro dixit,

flammai flore coorto.

Sic in II. *in Omne*
Unde coorta queat nova vis irrumpere.....
Item *Sed quasi naufragiis magnis multisque coortis*
Lib. III. *Ex infinito quæ possint forte coorta.*
Lib. VI. *Ventus ubi atq; animæ subito vis maxima quædã*
Aut extrinsecus aut ipsa ab tellure coorta.

Iterum eodem in libro:

Et tempestates terra cæloque coortæ.

Multi

Multi alii loci ex indicibus Lucretianis peti poterunt, ni satis sint qui modo allati fuere. Cæterum seu *côrtus* legas, seu *coortus*, perinde plane est; cum soleat Lucretius geminas vocales, ubi continuæ sunt in eandem syllabam concludere. Ita lib. V. *cooperuisse* est quinque syllabarum tantum, quæ vox tamen sex syllabis constare debuerat:

.....atque oppida cooperuisse.

Ita in VI. *cooperiant* quatuor tantum syllabarum fecit:

Cooperiant maria.....

Alibi etiam *coäkuerunt* tetrasyllabum fecit. Nunc ad τὸ *côrtus* veniendum. Certum est in Cod. MS. Bertinii, quo usus olim est Dionys. Lambinus, eum versum,

Principio venti vis verberat incita pontũ [vel *portus*]

sic scriptum esse,

Principio venti vis verberat incita cortus;

Sed cùm eam vocem non intelligerent interpretes, ex *cortus* fecere *portus*; quod hodieque in multis editionibus apparet; Qua in re bis peccarunt; nam in eo versu *portus* esse non potest; ut nec τὸ *côrtus*; Dein, uti videtur, illam vocem nihili esse existimarunt, quæ tamen & Latinissima, & huic descriptioni maxime apta est, si modo in suam sedem, uti à me factum est, reducta fuerit, legendo scilicet,

ita perfurit acri

Cum fremitu, sævitque minaci murmure côrtus.

Ex ignoratione autem hujus vocis factum item est, ut locus quidam in III. & alius in IV. quem, cum eò ventum fuerit, indicabimus, nondum ab ullo Interprete explicari potuerit. Quemadmodum vero non viderunt quid esset *cortus*, ita quoque quid esset *côptus* haud sane animadvertere potuerunt. Inde adeo nata illa est ἀπέλεια καὶ ἀμηχανία, uti suo aperietur loco, quæ Interpretes invasit. Existimabant enim *côptus* esse *comptus*; qua in re haud sane leviter lapsi sunt.

Pag.

Pag. 9. V. 6. Illustris vero venti comparatio cum fluvio est: Ita, inquit, fluunt venti, quemadmodum & fluvios ferri videmus:

Nec ratione fluunt alia, stragemque propagant,
Quam cum mollis aquæ fertur natura, repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decursus aquai,
Fragmina conjiciens sylvarum, arbustaque tota.
Nec validi possunt pontes venientis aquai
Vim subitam tolerare: ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis
Dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis
Grandia saxa, ruit quà quidquid fluctibus obstat.
Sic igitur debent venti quoque flamina ferri.

Sunt hæc plane admirabilia, fateor; iisque & Virgilius, & cæteri post Lucretium poetæ satis commode usi sunt: Sed quid hoc?

volvitque sub undis
Grandia saxa, ruit quà quidquid fluctibus obstat.

Sane istud *quà* nihil esse aliud possit, nisi *quâ parte, per quem locum*, aut, *in quantum*, ἐφ' ὅσον, *quatenus*, &c. Unde tamen quando erit ut sensus aliquis satis aptus emergat? nam τὸ *quà* jungi nequit cum vote *saxa*. Præterea quod aiunt hoc loco *quidquid* positum esse pro *quidque*, id vero est quod haud facile probari posse scimus: neque vero, si probatum fuerit, res tamen in tuto fuerit. Legendum itaque semper existimavi,

Grandia saxa, ruunt quæ *quidquid fluctibus obstat*: sensu tam plano quam necessario: *Fluvius saxa volvit, quæ saxa ruunt* (id est *evertunt, evellunt, eruunt*) *quidquid fluctibus obstat*. Esse autem activæ significationis τὸ *ruere* si probandum erit, non longe abeundum. Sequitur enim,

Quamlibet in partem res trudunt antè ruuntque.

Ita alibi, *tauri cornibus ruunt equos ad terram*, & *mare ruit arenam*, &, *ventus ruit naves*. Ita, *cæteros agerem, ruerem, prosternerem*. Terent. & alia apud alios sexcenta.

Pag-

Pag. 19, V. 37. Paulo inferius legitur:

Quin etiam multis ſolis redeuntibus annis
Annulus in digito ſubtertenuatur habendo.

Mihi autem maxime placeat, ſi legatur,

Quin etiam multis olim *redeuntibus annis.*

Idque, ut venuſtius & concinnius eſt, ita & elegantiores homines probaturos ſatis confido. Error natus eſt ex geminatione τῶ S. in *multis*, more imperitorum librariorum.

Pag. 13. V. 8. Quicquid eſt, inquit Lucretius, id vel corpus eſt vel Inane;

Præterea nihil eſt quod poſſis dicere ab omni
Corpore ſejunctum, ſecretumq; eſſe ab Inani,
Quod quaſi tertia ſit numero natura reperta.

In verſu tertio MSS. Codd. quidam habent *quo*, non *quod*. Sed non eſt tanti: debuerat enim expungi hic verſus, quippe qui ex concluſione ſeu orationis clauſula petitus & huc tranſlatus ſit: nox enim legitur:

Ergo præter Inane & corpora, tertia per ſe
Nulla poteſt rerum in numero natura relinqui.

Deinde & Latinitas vitioſa eſt: *Nihil eſt* quod poſſis *dicere ſejunctum, &c.* Quod ſit quaſi *tertia natura reperta.*

Pag. 16. V. 3.

Etquàm quæq; magis cohibet res intus Inane,
Tum magis his rebus, penitus tentata, labaſcit.

Videtur legendum,

Tam magis ictibus hæc *penitus tentata, labaſcit*

Scio quidem eſſe qui per iſta verba [*his rebus*] ignem, humorem, *&c.* intelligant; ſed hoc loco agitur de *plagis* in univerſum.

Pag. 16. V. 24.

quapropter longa diei
Infinitæ ætas anteacti temporis omnis
Quod fregiſſet adhuc diſturbans diſſolvenſque,
Id nunquam reliquo reparari tempore poſſet.

Rem vero admirabilem, ſcilicet! *Ætas longa diei infinitæ*

infinitæ anteacti temporis! quid hoc? Si seriò loquendum, & libere, dicam: Nugæ, & mera ἀφροδισία. Legendum enim,

quapropter longa dies &
Infinita *ætas anteacti temporis omnis*, &c.

Notum illud:

Longa dies homini docuit parere leones.

Et hoc Lucretii in IV.

.....hæc puncto cernantur lapsa diei,

id est *temporis*. Neque unquam aliter scripsere, qui pure & Romano ore locuti sunt.

Pag. 20. V. 9.

Dicere porro ignem res omnes esse, neq; ullam
Rem veram in numero rerum constare, nisi ignem, &c.

In secundo versu lego, non *rem veram*, sed *naturam*:

----neq; ullam

Naturam *in numero rerum constare*, &c.

Quippe concoqui istud non potest, *Nulla* res vera *in numero rerum constat*. Non enim hîc de iis agitur quæ sint & existant vere & ὄντως; quod fusius explicare non est necesse. Cæterum apud Lucretium τὸ *natura* passim ponitur pro re creata, id est producta, genita, ut αἱ φύσεις in lib. *de Mundo*.

Pag. 23. V. 9.

Sic alias aliis rebus mutarier omnes.

Aliquid ulceris hîc lateat necesse est: Latini enim sermonis consuetudo postulabat, ut scriberetur, *Sic alias aliis rebus* res *mutarier omnes*. At, inquies, error in metro fuerit: scilicet, glossema enim in veræ & germanæ lectionis locum invasit. Neque dubitandum putem quin pro *mutarier* olim scripserit Poeta *vertier*.

Sic alias aliis rebus res vertier omnes.

Frequenter enim usurpat τὸ *vertere* in ea significatione; ita in hoc ipso libro:

.....& in rerum naturas vertier omnes.

Lib. II. *Naturam rerum mutare & vertere motus.*

Iterum. *Præterea cunctas itidem res vertere sese.*

..... in

... in ignes omnia verſat.
.....in pullos animales vertier ova.

Sic. *Et cujuſquemodi formarum vertere in ora.*

Omitto cætera exempla quæ legenti occurrent. Illud autem *rebus res*, ut *rerum res*, *rem res*, præterquam quod neceſſarium eſt hoc loco, niſi Lucretium lectiſſimæ & terſiſſimæ dictionis ſcriptorem, βαρβαρίζειν dicemus, tam crebro uſurpatum ab eo eſt, id ut amaſſe videatur. Exempla fidem fecerint.

Multarum rerum in rebus primordia miſta.
Res putet immiſtas rebus latitare.....
Scire licet non eſſe in rebus res ita miſtas.
Multarum rerum in rebus communia debent.
Poſtremo ante oculos rem res finire videtur.

Sed hoc ſatis: neque alia exempla huc congeſſiſſe attinet.

Pag. 25. V. 16.

Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.

Primus ego, ni fallor, moneo, verſum hunc adulterinum eſſe, atque adeo hinc ejiciendum. Nihil enim aliud in eo eſt quam quod in verſu ſuperiori lectum fuit:

Robore cum ſaxi franguntur, mittere ſignum
Sanguinis.....

Illud autem *manare cruorem*, nonne idem eſt cum illo *mittere ſignum ſanguinis*? Sed unde natum putem, ſi roges, dicam: ex gloſſemate ſcilicet, aut aliquo conſimili loco qui ad oram libri adſcriptus à ſtudioſo lectore fuerat ad illa verba [*Robore cum ſaxi franguntur.*;] Poterat quidem hanc Virgilii imitationem ſignificaſſe,

Et torrere parant flammis & FRANGERE SAXO,

qui locus haud dubie ex hoc Lucretiano expreſſus eſt: ſed maluit addere illum Plauti ex Aſinaria:

Num me illuc ducis UBI LAPIS LAPIDEM TERIT?

id eſt *in piſtrinum.*

Pag. 27. V. 17. *Debebat habere*] Lego, *debebit habere.*

habere, id est habeat necesse est. Mox lego quoque *& videatur*, pro *ut videatur*.

Pag. 29. V. 11.

Tandem deveniunt in tales disposituras,
Qualibus hæc rebus consistit summa creata.

Quamvis ita scriptum sit in optimis & luculentissimis editionibus, constat tamen hîc errorem esse: neque enim dubium est quin legendum sit, idque plane necessario,

Qualibus hæc rerum *consistit summa creata.*

Ut & alicubi legi scio. Sensus autem est: *deveniant in tales disposituras, qualibus summa rerum creata est.* Illud enim *qualibus* ad disposituras refertur; quod facile viderit qui vel levissime sapiat: *rerum* autem *summa* est τὸ πᾶν ut alibi,

Nec summam rerum *commutare ulla potest vis.* Et,
Debeat ad nihilum jam rerum summa reverti.

Sed neque aliter in toto opere locutus est Lucretius. Itaque exemplorum satis est. Nunc ad secundum librum veniamus; Ibi enim occurret, opinor, aliquid quod manu medicâ opus habeat.

CAPUT

CAPUT II.

PAGINA 33. V. 16.

His tibi tum rebus timefactæ relligiones
Effugiunt animo pavidæ, mortisque timores?

Non possum ab animo meo impetrare, isthuc ut adprobet, *relligiones timefactæ pavidæ*, cum τὸ *pavidus*, & τὸ *timefactus* idem sint, nunc quidem: quamobrem lubens legerim,

His tibi tum rebus pavefactæ relligiones
Effugiunt animo, pavidi *mortisque timores*?

Solet enim noster *conjunctiones* aut transponere, aut longius paulo trahere, idque more veterum poetarum. Quin & Ovidium ipsum, qui tamen arti obsequitur maxime, idem factitasse satis ei constat, cui notior ille paulo est. Quod autem *pavidos timores* dixi legi velle, nihil me novi feciſſe arbitror. Ita enim optimus quisque veterum loquitur; sic Ovidius *pavidos metus* alicubi vocavit, in Fastis opinor: alibi *pavidam formidinem*, in Metamorph. ut & *pavidum timorem*, nescio quo loco; nam hæc à memoria sunt. Qui otio abundabunt, plura his addent.

Pag. 34. V. 14.

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Debet hic versus aliò migrare; neque enim sedem suam occupat: sic igitur eum cum superioribus connectes, si me audiveris:

Nec remoratur ibi: sic rerum summa novatur
Semper, & inter se mortales mutua vivunt:
Et, quasi cursores, vitai lampada tradunt.

Qui non indiligenter legerit, is ita fieri debere satis ipse per se judicaverit.

Pag. 36. V. 17.

At, quæ sunt solidâ primordia simplicitate,

Cum

Cum per Inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, atque *ipsa suis è partibus unum*,
Unum, in quem cœpere locum connixa feruntur;
Debent nimirum præcellere mobilitate, &c.

Hic locus vulgò male explicatur, qui scilicet male legatur; Sic enim emendari oportuit,

At, quæ sunt solidâ primordia simplicitate,
Cum per Inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, QUIN *ipsa suis è partibus unum*,
Unum, in quem cœpere locum connixa FERANTUR.

Natus autem error est ἐκ τῆς παραγραφῆς, scriptoris librarii, qui ante oculos habebat versum illum, *At quæ....* Docti viderint, Docti, inquam.

Pag. 41. V. 18.

Præterea genus humanum, mutæque natantes
Squamigerûm pecudes, & læta arbusta, feræque
Et variæ volucres, lætantia *quæ loca aquarum*
Concelebrant, &c.

Ferri non potest istud *lætantia*; Quanquam enim probe scio usitatum fuisse apud veteres Latii scriptores τὸ *lætare aliquem*, pro *lætitia perfundere, hilariorem reddere*; (nam ecce prodit Livius Andronicus, teque rogatum venit, Lector,

Famne oculos specie lætavisti *optabili?*)

Tamen minus aptum huic loco id verbum est; quod, ut videtur, è versu superiori in hunc per incuriam deductum est;

Squamigerûm pecudes & læta arbusta, &c.

Legendum itaque putaverim *liquentia*. *Loca* autem *liquentia* erunt lacus, paludes, fluvii, maria. Unde Virgilius, qui Lucretium fere plerumque exprimit, (quem enim ante oculos potius haberet, quàm Lucretium?) in VI. Æneid. dixit,

Principio cœlum ac terras, camposque liquentes
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, &c.

Ita Græci, ὑγρὰ κέλευθα, *liquidas vias* pro mari, fluvio, &c. Primam autem in *liquentia* vel brevem

vem esse vel longam, si mavis, usus & consuetudo poetarum satis ostendunt. Locus porro Livii, de quo modò agebam, apud Nonium Marcellum legitur.

Pag. 42. V. 22.

Quam noster fluat, &c.

Videri alicui possit legendum esse *fuat*, pro *fit*; sed nil mutandum; est enim illustris translatio; *sed quæ continuò tenebris obducta periret*; deinde illius exempla innumera sunt apud Lucretium.

Pag. 44. V. 28.

Sed quod amara vides eadem, quæ fluvida constant,
Sudor uti maris *est*; *minime id mirabile habendum.*

Hic verò, sicubi aliàs, mirificos ludos præbent Interpretes. *Sudor maris*, inquiunt, *est aqua maris*. Bene sane. Sed quid ita tandem? Quia scilicet testimonio Aristotelis probari potest ex veteribus Physicis nunnullos ita fuisse locutos. Sed ego utrumque falsum esse omnibus suffragiis facile vincam; id quod mox apparebit. Locus ille Aristotelis legitur in secundo Meteorologicorum pag. 555. edit. Parisiensis: en tibi hominis verba, ex cap. II. in quo de maris salsugine ex professo agit: Ὁμοίως δ' γελοῖον, καὶ εἴ τις εἰπων ἱδρῶτα τῆς γῆς εἶναι τὴν θάλατταν, ὅτε ταῦτα σαφὲς εἰρηκέναι, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς. περὶς ποίησιν δ', &c. i. e. *Neque minus ridicule dixerit quispiam, uti ab Empedocle factum videmus, qui mare sudorem esse telluris dixerit*, &c. Hoc quidem loco Aristoteles solens more suo facit, ut meliores carpat; quasi scilicet agatur de genio τῆς διδακτικῆς. sed id alias videbitur; ad rem veniendum. Empedocles, διὰ μεταφορᾶς scribens, dixit, mare esse *sudorem terræ*; At Lucretius *sudorem maris* nominat, ô bone: An igitur Lucretium inter & Empedoclem quidquam erit quod utrique convenire possit? An vero quod, si quid unquam aliud, ridiculum est, mare ipsum *sudor maris* fuerit? non ut opinor. Deinde negamus hoc quoque, Lucretium hic de salsugine, seu, ut veteres loquebantur, de

amarore

amarore magis egisse: Hoc enim sex septem demum versibus inferius faciet:

Et quo mixta putes magis aspera lævibus esse
Principiis, unde est Neptuni corpus acerbum,
Est ratio secernundi, &c.

Ubi *Neptuni corpus* mare est. Quamobrem satis confido fore neminem, cui de nostra conjectura, nisi si certa potius emendatio vocanda est, dubitandum videatur. Agitur enim tantum de sudore, qui, ut & lacrymæ, salsus & amarus esse, vel sensûs judicio, vel auctoritate Aristotelis & Plutarchi, comprobatur. Legendum itaque:

Sudor amarus *ut est*, &c.

His addo & aliud: Quod de Empedoclis sententia legerant Interpretes, si in locum convenientem conferre volebant, debuisse ea, quæ hic scripserunt, ad hoc libri V. versus retulisse, ubi disputat Lucretius, qua ratione factum fuerit, ut mare è terra expressum sit. Ibi enim diserte *sudorem terræ* vocavit:

Inque dies quanto circùm magis ætheris æstus,
Et radii solis cogebant undique terram
Verberibus crebris, extrema ad limina apertam,
In medio ut propulsa suo condensa coiret;
Tam magis expressus salsus de corpore sudor
Augebat mare manando, camposque natantes.

Quid vero quod in MSS. Codd. ad oram horum versuum, de quibus superius actum est, adscriptum legitur, DE SUDORE SALSO? non igitur aliter olim legebatur hic locus, quam ut à me restitutus fuit. Poterant fortasse hæc fusius tradi; sed doctioribus scribimus, quibus hæc sat erunt. Nam *salsum* & *amarum*, ἁλμυρὸν & πικρὸν alterum pro altero sumi non est, opinor, cur probem, cum ea res notior sit, quam ut hinc illinc petitis ex utraque lingua testimoniis egere videatur.

Pag. 49. V. 21. *Divam prædicere*] Malim *prodicere*; est enim significantius & plenius.

Pag. 56. V. 12.

Illud in his igitur fœdus meminisse decebit;

Lectio vulgata fuerat,

Illud in his igitur rebus meminisse decebit:

Sed illam uterque Interpres mutavit; legendo non *rebus*, sed *fœdus*. At nihil necesse fuit; sic enim loqui amat Lucretius: id quod uberrima exemplorum seges probabit.

Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi.
Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus.
Illud in his rebus non est mirabile....
Illud in his obsignatum quoque rebus habere.
Illud in his rebus videor [sic legendum] *firmare potesse*
Illud in his rebus nequaquam sumere possis.
Illud in his rebus non addunt, Nec tibi earum.
Illud in his rebus minime est mirabile habendum.
Illud in his rebus vitium vehementer....
Illud in his rebus ne me arripuisse rearis.

Ibidem Pag. 56. V. 15.

Sed magni referre ea primum quantula constent
Sensile quæ faciunt, & quâ sint prædita formâ,
Motibus, ordinibus, posituris denique quæ *sint.*

Liquido jurare possim, legendum, *queis sint*; id est *quibus posituris*, &c. Ut versu superiori *quâ prædita formâ*, quod & arbitror lectum in aliquo exemplari fuisse. Sic in V.

....in tales venere meatus
Qualibus hæc rerum genitur nunc summa novando.

Cui loco concinit quod in II. est.

Propterea magni quod refert, semina quæque
Cum quibus & quali positura contineantur.

Pag. 60. V. 8.

Quid magis his rebus poterat mirabile dici,
Aut, minus ante quod auderent fore credere gentes?
Nil, ut opinor: ita hæc species miranda fuisset,
Quam *tibi jam nemo fessus satiate videndi*
Suspicere in cœli dignatur lucida templa.

Locus depravatus: neque enim ullius hominis esse

potest,

poteſt, qui Latine ſciat, ad hunc modum loqui: *nemo ſuſpicit hanc ſpeciem in cœlum.* Legendum itaque

Quom[id eſt cum] *tibi jam nemo feſſus ſatiate videndi*
Suſpicere in cœli dignatur lucida templa.

Quaſi diceret, *Et tamen, (ita aſſueti oculi ſunt huic ſpectaculo,) nemo hodie dignatur ſuſpicere in cœlum.* Illud autem *Tibi* eſt παράλλαξις more Attico; quod apud meliores ſcriptores pervulgatum eſt & tritum.

Ibidem pag. 60. V. 34.

conjecta repente
Magnarum rerum fierent exordia ſemper,
Terrai, maris, & cœli, generiſque animantum.

Peſſime: neque enim SEMPER cum REPENTE convenire poteſt. Errorem autem ut viderent Interpretes, certe ſcripturæ varietas ſatis efficere debuerat: Hic enim verſus in V. repetitus fuit, ſed novo etiam mendo deformatus. Sic enim ibi legitur:

Tandem conveniant ea, quæ conjuncta, repente
Magnarum rerum fiant exordia ſæpe.

Sed & hic & illic ſcribendum eſt, non *ſemper*, non *ſæpe*, ſed *nempe.*

Magnarum rerum fierent exordia, nempe
Terrai, maris, & cœli, generiſque animantum.

Vitium autem ex compendiaria ſcribendi ratione natum eſt: nam pro *nempe* ſcribebant nēpe, unde procuderunt illud *ſæpe*, quemadmodum ex *ſæpe* τὸ *ſemper* procreavere.

Pag. 62. V. 21.

Nam quæcunque vides hilaro grandeſcere adauctu,
Paullatimque gradus ætatis ſcandere adultæ;
Plura ſibi adſumunt, quam de ſe corpora mittunt,
Dum facile in venas cibus omnis diditur; & dum
Non ita ſunt latè diſperſa, ut multa remittant,
Et plus diſpendi faciant, quam veſcitur ætas.

Verſus ſunt illuſtres, & ex penitiſſima corporum animatorum conſideratione petiti; ſed in illo,

Et plus dispendi faciant, quam vescitur ætas,

Plane aliquid est quod contra Poetæ mentem faciat. Constat quippe hæc verba, *quàm vescitur*, opposita illis esse, *plus dispendi faciant*; Itaque τὸ *vesci* significaret *acquirere, parare*, &c. Cui rei Linguæ Latinæ usus reclamat. Quamobrem hunc locum ita semper legendum existimavi:

Et plus dispendi faciant quam nancitur *ætas.*

Nancitur autem [id est, *acquirit*] cùm verbum protriti usûs non sit, depravasse illi videntur, qui memoria patrum mercede conducti libros describebant, proque eo intrusisse, *nascitur*, quod nihilo melius est; unde alii suum *vescitur* effinxerunt, quod ego vitiosum esse arbitror. *Nancitur* autem fit à *nancior*; id à *nancio* est, quod olim usurpavit Gracchus, ut ex Prisciano novimus; Ex *nancio* autem nova proles orta est *nanciscor*, quam recentior usus retinuit. *Nancior* autem significat *occupo, prehendo, capio.* In. XII. tab. SI QUID PIGNERIS NANCITOR, SIBI HABETO (ubi *nancitor* veteris orthographiæ est pro *nancitur*) inde *renancitur* adud Paulum Diaconum Festi Epitomisten, pro *reprehendit*, seu *iterum prehendit.* Cùm autem videam vocem antiquam, quæ in foro nostro & tabulariis etiamnum obtinet, *des nants*, pro pignoribus sumi, unde & *nantir* & *nantise*, & *ναντίζω* in Græco-Barbaro, facile adducor ut credam è veteri jure Romano eam esse petitam, cùm, ut dixi, in XII Tabulis legatur, *Si quid pigneris nancitor, sibi habeto.*

Ibid. pag. 82. V. 36.

Nec satis est proquam *largos exæstuat* artus,
Unde queat tantum suboriri & suppeditare,
Quantum opus est, &, quod satis est, natura novare.

Monuit Lambinus tertium illum versum, *Quantum opus est*, &c. In MSS. Codd. non reperiri; quem ipse genuinum Lucretianum arbitratur, contrà autem, hunc, *Nec satis est*, &c. Spurium

rium esse contendit; Cur ita? nimirum non dispiciebat, qua ratione emendandus foret. Sic autem legendus videtur:

Nec satis est, præquam *largos exæstuat* auctus.
Unde, &c.

Cujus hic erit sensus: *Ubi corpus ad crescendi cacumen venit, tunc defluere & minui debet, quia nihil satis est unde tantum suboriri possit, præquam exæstuat largos auctus*; id est, *substantiam prius acquisitam amittit. Auctum* enim vocat eam substantiam quâ illud aut illud corpus auctum est, ut & alibi.

L 3 CAPUT

CAPUT III.

PAGINA 65. Vers. 16.

Nam quod sæpe homines morbos magis esse timendos,
Infamemque ferunt vitam, quam Tartara lethi,
Et se scire animi naturam sanguinis esse,
Nec prorsum quidquam nostræ rationis egere:

Ex istis quatuor versibus posteriores duos arbitror deleri oportere. Primum nihil opus illis est; dein, quænam isthæc Latinitas, *Natura animi est sanguinis?* Video quid velit; sed Barbarus sit & plane ἄμυσος qui ita loquatur. Ille autem versus,

Nec prorsum quidquam nostræ rationis egere,

quid boni tandem habet? Hinc discimus rem profecto mirabilem, bellam, & ellegantiæ Lucretianæ, scilicet! animum nostrum non egere nostra ratione. Qui hæc amant, faciat Deus ut ne unquam nostra ament.

Ibid. p. 65. V. 21. *Si fert ita forte voluntas*] In MSS. quibusdam *fera voluntas*; in aliis, *fera voluptas*. Sed quia τὸ *fera* priorem syllabam brevem habet, existimo esse glossema vocis alicujus, quæ hinc exciderit. Ea autem esse nulla alia potest quam *dira*; *Dirus* enim non est, quod vulgo putant, *deorum ira immissus*, cum è Græco δεινὸς natum sit. Ita Lucretius lib. 4. de impetu sævientis & impotentis amoris dixit,

Irritata tument loca semine, fitque voluntas
Ejicere id, quò se contendit dira lubido.

& expresse magis post paulo scripsit,

Unaque res hæc est, cujus quam pluria habemus,
Tam magis ardescit dira cuppedine *pectus.*

Quod & Virgilius in sese transtulit:

An sua cuique Deus fit dira cupido.

Sic alicubi in Æneid. de Capitolio loquens,

Jam

Jam tum religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci.....

Ad hunc modum *diritas morum*, in Tiberio Suetonii, δεινότης erat & asperitas; quod ex Cicerone firmari potest, qui *Fratres* illos *Terentianos* comparans, ait, in altero esse *diritatem*, in altero *comitatem*. Ita denique, (nam alia proferre haud lubet) *dirus hydrops*, apud Horatium sumi debet.

Pag. 67. V. 31.

.....qui nobis moribundos deserit artus.

Fieri non potest quin legendum sit,

.....qui, nobis moribundis, *deserit artus.*

Alioqui contra sensum locutus fuerit Lucretius.

Ibid. p. 67. V. 32.

Quapropter, quoniam est animi natura reperta,
Atque animæ, quasi pars hominis, redde harmoniai
Nomen ab organico saltu delatum Heliconis,
Sive aliunde ipsi porro traxere, & in illam
Transtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat.

Scio de harmonia quid dictum, factum, scriptum fuerit; neque Aristoxenus ille Aristotelis discipulus eam opinionem primus induxit, cum jam ante Aristotelem ipsum, in Phædone, ubi de animorum immortalitate agitur maxime, tale aliquid scriptum à Platone fuerit. Sed cur *harmoniæ nomen ab Heliconis organico saltu delatum* dicat Lucretius, id vero unum est quod mihi nunquam placere potuit, quippe qui *montem organicum* seu *musicum*, (nam Organici, haud dubie Musici dicuntur, ut ex ipsomet Lucretio alibi constat) montem, inquam, Musicum, non magis quam Grammaticum aut Dialecticum dici posse putem. Inde adeo factum est ut semper legerim, neque adhuc scripsisse Lucretium aliter arbitrer:

Nomen ab organico cantu ductum citharai;

Sed cum ex *citharai*, id est citharæ, ut *terrai*, *harmoniai*, *aulai*, & alia id genus, librarii τὸ *Citharonis* fecissent, facile fuit doctis, qui vitium in metro animadverterent, eam vocem mutare in τὸ *Heliconis*, ut laboranti

boranti verſui ſubveniretur. Cætera autem, uti & corrupti carminis ratio poſtulabat, pro captu cujuſque mutata, verſa, interpolata fuere. De hac noſtra conjectura judicabunt qui & naſum habent & poeticæ facultatis expertes non ſunt. Quod autem addit Lucretius,

Sive aliunde *ipſi porro traxere*.....

Non temere factum, cum *harmonia* ſumatur etiam pro junctura ſeu compage ligni vel ſolidioris alicujus materiæ. Inde apud Ariſtophanem ἁρμονιῶν διαχασκεῶν. Inde & Heſychius in quodam loco veteris ſcriptoris, quem ipſe quidem non nominat, ſed nos Herodotum eſſe ſcimus, ἁρμονίαν interpretatur σύζευξιν, ſeu conjunctionem.

Pag. 68. V. 35.

Si minus offendit vitam vis horrida lethi
Oſſibus ac nervis diſcluſis intus adacta,
Attamen inſequitur languor, terræq; petitus
Suavis, & in terra mentis qui gignitur æſtus,
Interdúmq; quaſi exurgendi incerta voluntas.

Inſigni errore, inquit Giſanius, hos quinque verſus nothos eſſe putat Lambinus. Sed nec vere, neque ſine impudentia hæc loquitur Giſanius: nam Lambinus ſatis habuit dicere, vereri ſe, ne illi τῆς ποιήσεως non ſint. Et ſane non aliter judicare potuit, qui videret unum ex illis aut obſcuriſſimum eſſe, aut corruptiſſimum. Sed Pyrgopolinices noſter cur poſtremum illum non explicavit?

.....*& in terra mentis qui gignitur æſtus,*

Si corruptus eſt, danda ſaltem opera fuit, ut emendaretur. Sed homo malignus, inviduſque vim σοφισικὴν nullam habuit; neque ullo unquam in his literis judicio valuit, quod ipſius editio plus mille ducentis locis facile probare poſſit. Ego autem cum rem ipſam, qua de loquitur poeta, attentius conſideraſſem, pro his verbis,

& IN TERRAMENTIS QUI *gignitur æſtus,*

quæ nihil ſani habent, legendum putavi,

&

& INTERDUM MORIENDI *gignitur æstus, Interdumque quasi*, &c.

Hoc quid sit, norunt optime qui lipothymiam ex animi anxietate aliquando passi sunt: tunc enim non sine aliquo jucunditatis & suavitatis sensu *terram succidui petimus*, & interdum *mori lubet*, interdumque voluntas incerta fluctuat inter vivendi moriendive consilium. Tale aliquid descripsit Virgilius in Didone moriente, cum jam sibi pugionem adegisset. Versus sunt plane admirabiles:

Illa graves oculos conata attollere, rursus
Deficit: infixum stridet sub pectore volnus.
Ter sese attollens, cubitoque innixa, levavit,
Sed revoluta toro est; oculisque errantibus alto
Quæsivit cælo lucem, ingemuitque repertâ.

Sed legenda illa in primis sunt, quæ à Michaele Montano scriptore Gallo, quæ de seipso, cum ex equo vi subita deturbatus esset, memoriæ mandavit. Quod enim hic Lucretius scribit, si emendatio nostra vera est, omnium optime interpretabitur Vir Clarissim. Cæterum *moriendi æstus* erit moriendi impetus, consilium certum, &c. Qui paulo tristiores sunt, vel à natura, vel ab ærumnis, hæc, opinor, probabunt; neque fortasse alii improbabunt. Nam pluribus agere ea ut confirmem, nec vacat, neque adeo lubet.

Pag. 70. V. 22.

Jam triplex animi est igitur natura reperta:
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum;
Nil horum quoniam recipit mens *posse creare*
Sensiferos motus, quædam qui mente volutent.

Postremus versus ita in quibusdam editionibus legitur,

.....posse creare
Sensiferos motus, quædam, quæ mente volutet;

& ita habet editio Gifanii; sed ea lectione nihil nequius, aut ridiculum magis. Prior autem illa stare non potest, quid enim sani habet

id, quod jam lecturus es? *Mens nihil horum recipit posse creare motus qui mente quædam volutent.* Itaque pro his verbis,

quædam qui mente volutent;

sic legendum existimo,

queis omnia mobilitantur.

Certe ita postulat ratio, cui auscultandum est invitis centum millibus MSS. Codicum. Nam de *mobilitantur*, quod dicam nihil est, cum duobus tribusve locis id verbum apud Lucretium reperiatur:

inde omnia mobilitantur.

& alibi in III. quoque

queis mobilitata feruntur.

Pag. 71. V. 12.

Nunc ea quo pacto inter sese mista, quibusque
Compta modis vigeant, rationem dicere aventem
Abstrahit invitum patrii sermonis egestas.

Hoc unum quoque ex illis vocabulis est, quæ nunquam ab Interpretibus intellecta fuere. Fateor quidem *comptum* aliquando significare ornatum, aliqua præstantia insignem, præditum, &c. Sed ei significationi quid cum hoc loco Lucretii esse potest? Nihil quidquam. Deinde ratio vociferatur, eo vocabulo opus esse cui convenire possit cum *inter sese mista*, quod videlicet colligationem, nexum, & vinculum aliquod notet. Quare ne dubita quin legendum sit *coapta*, sed melius *côpta*; quod etsi auribus nostrorum hominum novum esse scio, non ideo tamen minus certa, minusque necessaria erit emendatio. *Coaptus* autem seu *côptus* idem est quod alibi dixit *uniter aptus.*

quibus è sumus uniter apti.

Vides, *Ex illis apti sumus*; quod hîc unica voce expressit, *coaptum* dicens. Item alibi:

qui cœtu conjugioque
Corporis atque animæ consistimus uniter apti.

Adde quod in IV. locus est, qui facile & πάσῃ ἀνάγκῃ probet τὸ *comptus* vitiosum esse. Quis enim Latine sine

vitio

vitio dixerit *anima compta est cum corpore?* quod tamen jam visurus es:

Atque animi quoniam docui natura quid esset,
Et quibus è rebus cum corpore compta vigeret.

Ibi itaque restituendum,

cum corpore cōpta vigeret.

id est, *uniter apta, coapta, connexa,* συναρθρωμένα.

Pag. 72. V. 5.

Est etiam *calor ille animo, quem sumit in ira,*
Cum servisit, &c.

Legendum, *Est etenim.* quippe eorum rationem affert quæ in v. 17. scripserat,

Ne calor ac ventus seorsum, seorsumque potestas
Aeris, &c.

Probat, inquam, esse in animo calorem, auram frigidam, & aerem temperatum: quasi diceret; Neque vero temere assero calorem esse in animo: *est etenim calor ille animo quem sumit in ira,* &c. Imo reliquas duas qualitates resumit & astruit in versibus qui mox sequuntur, auram, inquam, frigidam, & aerem temperatum:

Est & frigida multa comes formidinis aura,
Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.
Est etiam quoque pacati status aeris ille,
Pectore tranquillo qui fit, voltuque sereno.

Itaque hæc satis plana puto, iis ut æquus Lector acquiescat.

Ibid. P. 72. V. 36.

Illud in his rebus videor *firmare potesse.*

Quarumdam editionum lectionem revocavi, necessario enim legendum est, *videor,* non *video.*

Pag. 73. V. 30.

Quod superest, si quis corpus sentire renutat, &c.
Vel manifestas res contra, verasque repugnat.
Quid sit enim corpus sentire quis afferet [*al.* asserret]
unquam.

Postremus versus corruptus est; sic autem legi debet:

Quid

Quid ſit enim corpus ſentire quod aſſerat *unquam.*
Sententia plana & vera. *Quid ſit enim* quod adſerat [id eſt, probet] *corpus noſtrum ſenſu præditum eſſe, & vere ſentire, niſi illud quod res ipſa docet?* Explicat autem quod dixerat,

Vel manifeſtas res contra veraſque repugnat.
Neque enim petit poeta *Quid ſit ſenſus*; (quod faceret tamen, ſi recepta lectio ſequenda foret;) ſed ait hominem quemque ſentire ſe ſenſu præditum eſſe; itaque tanta mole argumentorum nihil eſſe opus. Præterea hoc addam quoque, neminem, qui quidem ſani capitis fuerit, ſic unquam locuturum: *Quis homo id aſſeret niſi experientia?* ridiculum eſt ac delirum; & tamen ita loqueretur Lucretius niſi mendum vidiſſemus; *quis id aſſeret*, niſi quod res, &c.

Pag. 74. V. 12.

Illud in his rebus nequaquam ſumere poſſis
Democriti quod ſancta viri ſententia ponit.
Hic verſus in V. repetitus fuit; & quemadmodum verſum illum

Magnarum rerum fierent exordia ſemper,
quem in quinto repetitum etiam conſtat fuiſſe; mendoſum utrobiq; eſſe ſupra oſtendi, idem de hoc quoque ſentio; quippe qui non putem, dici commode & eleganter poſſe, *ſancta ſententia viri Democriti*, pro Democrito ipſo. Scio quidem apud Homerum *Vim Herculis*, *Vim Priami*, ut & alia id genus apud Pindarum & Tragicos reperiri; pro Hercule, Priamo, &c. Neque oblitus ſum dici quoque *Cor Ennii*, pro Ennio ipſo; Quin & *mitis ſapientia Lælii*, apud Horatium, Lælius ipſe eſt αὐτοπροσώπως; & nos olim congeſtis exemplis ex libris quà Græcis, quà Latinis, id oſtendimus, quia tunc otio abundabamus; Sed illa exemplorum ſeges nihil ad hunc Lucretii locum. Aliquo enim opus teſtimonio foret, ubi *cor viri Lælii*, *ſapientia viri Catonis* reperiretur. Quamobrem, nn Lector, centies ſcribatur hic verſus, centies repetatur,

tatur, toties ego exclamavero, *Corruptus est.* Sed, dices, Quæ tua est sententia? Primum, si velim, licebit mihi dicere, ἀπορῶ circa emendationem; dein aliquid, spero, dubitabundus afferre possim; Si minus id licebit; æqui Lectores hunc meum conatum ita fortasse interpretabuntur, quasi si observationem aliquam circa vim & genium proprietatis Latinæ scripserim. Itaque pro

Democriti quod sancta viri sententia ponit.

legi posse arbitror,

Democriti quod sancta sibi *sententia* sumit.

Neque vero id sine exemplo: sic enim in I. scriptum alicubi est:

Id quod Anaxagoras sibi sumit.

Fortasse & alia alibi; & ita esse scio. *Sumere* autem vox est quam sibi Dialecticorum natio quasi propriam vindicavit, ut & *arripere*, quod ex Lucretio constat.

Pag. 79. V. 28.

Corpus enim atque animans erit aer, si cohibere
Sese anima, atque in eos *poterit concludere motus,*
Quos ante in nervis, & in ipso corpore agebat.

Et ratio & series versuum proxime superiorum probant locum hunc in optimis quibusque editionibus esse depravatum; legique debere, non *in eos*, sed *in eo*: quæ vox referri debet ad *aerem* [.....*animans erit aer, si* eo *motus suos edit*: Sensus est planissimus: *Si anima poterit non dissipari* ἔτι *in aere, sique in* eo *motus illos concludet, quos prius in venis agebat, tum vero rem ridiculam inferre licebit, aerem, scilicet, esse animantem; quod falsum. Ergo*, &c.

Pag. 83, V. 1. Probare conatur dentes sensu participari; idque ex eo ostendi ait, quod nonnunquam morbo tententur, doloremque ex nimio aquæ frigore sentiant; Tum porro id quoque firmari experientia quotidiana ait, cum *lapidosum* panem, ut vocat Horatius, mandimus:

Namq; ita connexa'st [anima] *per venas, viscera, nervos*
Ossaque,

Ossaque, uti dentes quoque sensu participentur:
Morbus ut indicat, & gelidai stringor aquai,
Et lapis oppressus subitis è frugibus asper.

Postremum versum quamvis ita legi in MSS. Codd. testentur Interpretes, & *recte*, quidem, inquit Gifanius homo acutus, scilicet: tamen eum esse corruptum quovis pignore contenderim. *Dissolvamus* enim, quæso, *membra poetæ*, ex saluberrimo illo Horatii præcepto, videamusque quid ibi reperiatur, nil aliud certè quàm quod ante oculos habes: *Dentes sensu participantur, uti indicat lapis asper oppressus è frugibus subitis.* Istud scilicet, *subitis frugibus*, res bella est, quidni enim? Sed tamen quæ illæ *subitæ fruges?* Nemo explicabit, scio; Dices, panem intelligi, id quod ego quoque sine monitore, sine præmonstratore videre haud difficulter poteram. Sed cur *subitus panis* dicetur? an quia *repente* in os, quasi offa, objectus est? an fortasse quia *subito* veluti fungus in fimeto, ita repente panis in ore ortus sit? Sed nugarum, & ineptiarum satis. Versum illum

Et lapis oppressus subitis è frugibus *asper*,

ita legere soleo,

Et lapis oppressus subitis offractibus *asper.*

Qua voce, *offractus*, nulla unquam significantior, nulla magis Latina, magis propria, magisque ex ingenio rei & poetæ reperietur, scio.

Ibid. Pag. 83. V. 7.

Quod si forte putas extrinsecus insinuatam
Permanare animam nobis per membra solere;
Tanto quæque *magis cum corpore fusa peribit.*

Quid? *quæque* anima? ridiculum: lege, uti formula refutandi est,

Tanto nempe *magis cum corpore fusa peribit.*

Rem fusius explicare, otio abuti foret; & miror tot doctos viros non animadvertisse τὸ ἄτοπον hujus lectionis.

Ibid. Pag. 83. V. 26.

Sin ita sinceris *membris ablata profugit;*

Error

Error est: non enim id agitur nunc, *Utrum, cùm anima abit, integra remaneant membra*; (quis enim ea de re unquam dubitet?) sed, *Utrum, anima, cum abit, deminuta sui parte, & libata recedat.* Vin' tu quæstionem, uti ab ipsomet Lucretio formata & concepta est, audire? En tibi:

Semina præterea linquuntur, necne, animai
Corpore in exanimo?

Cætera tute ipse legere poteris me quiescente, me tacente. Quamobrem invitis & reclamantibus omnibus legendum est:

Sin ita sincera ex *membris ablata profugit.*

Sincera est integra, & illibata; (quod versus sequens ostenderit,

Ut nullas partes in corpore liquerit ex se)

Addere poterunt ἐετικοὶ & locum illum qui ante occurrit:

Scinditur atqui animæ quoniam natura nec uno
Tempore sincera *existit, mortalis habenda est.*

Pag. 84. V. 8.

Sed tamen his esto quamvis facere utile corpus,
Quam subeant.....

In posteriori versu legendum, *Quod subeant*; uti ingeniose & vere conjecit *** amicus meus, qui se præ modestia appellari noluit.

Pag. 85. V. 26.

Hoc si posset enim, multo prius ipsa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis partibus esse
Posset, & innasci quavis in parte soleret:
Tandem in eodem *homine* atque *in* eodem *vase maneret.*

Postremus illorum versuum infra repetitur: sed & hic & illic mendosum esse arbitror, uti illos, qui tamen duobus in locis reperiebantur, ostendi superius mendosos esse. Facile autem confido fore, ut qui diligenter attenderit, fateatur ille legendum esse,

Tandem in toto *homine* aqua *ut in* toto *vase maneret.*

Est

Eſt quidem in illo verſu anapæſtus: ſed ejus libertatis tot exempla ſunt apud Lucretium, Virg. cæteroſque poetas, præſertim vetuſtiores, iis ut proferendis ſuperſedendum exiſtimem. Ratio autem ita legendum ſuadet, cogit: Nam ex falſa ſuppoſitione, *Anima primum in capite, aut humeris, aut imis calcibus eſſet; tandem in toto homine, uti aqua in toto vaſe maneret.* Quemadmodum aqua quæ infunditur, primo partem infimam vaſis, mox mediam, denique totum vas & univerſum κύτος implet.

Pag. 89. V. 14.

Ex animo ut dicant, Brevis hic eſt fructus homullis;
Fam fuerit, neque poſt unquam revocare licebit.

Homullus, an, ut potius reor, *homillus* dici debeat, non eſt fortaſſe tanti, ut ſtudioſe quæratur; id enim alii ante nos fecerunt: Sed nemo, quod quidem ſciam, antehac monuit, eſſe in hoc loco graviſſimum peccatum à librarii manu. Legendum enim eſt.....*Brevis hic eſt fructus homilli.* Primum quia figura ingenioſior ſit & magis morata, ἠθικωτέρα, ſi numerum ſingularem uſurpes; (notum illud ..... *quàm totus homuncio nil eſt!*) Dein quia, niſi vera noſtra emendatio eſt, tum ſolœciſmus in oculos involabit. [*Fam fuerit*] alioqui ſcribendum erat [*Fam fuerint*] hômilli, ſcilicet. Totius enim loci hæc ſententia eſt: Bene nobis & voluptate faciamus; Genium memorem brevis ævi nunc placandi tempus eſt, ſeu corollas ille, ſeu vina, ſermoneſve ſuaves, & molliculas eſcas, aut, ſi quid etiam eſt jucundius, malit. Si neſcis, hæc vera vitæ gaudia ſunt; ſed, eheu! quam cito prætervolant! Manum itaque injice: *brevis hic eſt fructus homilli*; horæ momento *fuerit* [id eſt *perierit*, ut, *Fuit Ilium*] *neque poſt unquam revocare licebit:*

Inferni

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum;
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

Hæc erant quæ in III. priores Lucretii libros notata habebam; Si erit tibi ut placere possint, Doctissime atque Humanissime Menagi, tum & ipsa mihi placebunt, meque bellum atque elegantem hominem putabo. Salmur. VI. *Kal. Maii.* M. DC. LXII.

CAPUT

CAPUT IV.

PAGINA 57. v. 2. & ſequentibus. Agit hoc loco Lucretius de ſpeciebus, quæ vulgo *Intentionales* ideo dicuntur, quod Barbari, qui has literas tractabant, *Intentionem*, pro intellectione uſurpabant; quia ſcilicet in re Phyſica non eſt ut quidquam ſine illis intelligas. Ait autem Poeta, *ſummis in rebus multa minuta corpora eſſe, quæ jaci poſſint*, &c. Et revera longe plurima eſſe ea debent; alioqui unde tandem perenne illud ſpecierum effluvium foret? Quare fieri nulla ratione poteſt, quin in his verſibus error ſit:

Et multo citius, quanto minus endo pediri
Pauca *queunt, ut ſunt in prima fronte locata.*

Vides eam eſſe Lucretii ſententiam, corpora *multa* minuta eſſe in ſummis rebus, quæ quanquam ſint *multa*, tamen tanto citius jaciuntur, quanto minus impediri poſſunt *pauca*. Id autem dicere non modo inconſtantis hominis eſt, ſed ejus etiam qui rei Phyſicæ imperitiſſimus ſit. Quid enim? *Modo ait, modo negat*, ut ille Comici ſervulus. Itaque non, *pauca* legi, ſed *parva*, neceſſe eſt. Pergit enim; & *multa* profundi ex rebus corpora ut probet, hos verſus ſcribit:

Nam certe jaci atque emergi multa *videmus*
Non ſolum ex alto, penituſque, ut diximus antè,
Verum de ſummis, &c.

Pag. 100. V. 18.

Quapropter ſimulacra pari ratione neceſſe 'ſt
Immemorabile per ſpatium tranſcurrere poſſe
Temporis in puncto: primùm, quod parvola *cauſa*
Eſt, procul à tergo quæ provehat, atque propellat:
Deinde, quod uſque adeo textura, &c.

At ego priorem illam rationem [*quod parvola cauſa eſt,*] ſi veritati minus eſſe conſentaneam dixero, id

omnes,

omnes, qui in hoc genere ſtudiorum aliquid vident, mihi aſſenſuros eſſe confido. Quis enim unquam fando accepit? quis ſomniavit, eo citius moveri aliquid, quo infirmior cauſa ſit, & principium motûs imbecillius, & languidius? Contra certe faciunt quæ modò de luce ſolis ſcripſerat:

In quo jam genere eſt ſolis lux, & vapor ejus;
Propterea quia ſunt è primis facta minutis;
Quæ quaſi transiuntur, perque aeris intervallum
Non dubitant tranſire, ſequenti concita plagâ;
Suppeditatur enim confeſtim lumine lumen,
Et quaſi protelo ſtimulatur fulgure fulgur.

Hinc igitur ablegandum eſt iſtud *parvola*, & vera ac ingenua lectio in ſuam ſedem jure poſtliminii revocanda:

.....primum quod plurima *cauſa*
Eſt, procul à tergo, &c.

Videbit Lector ipſe, (quid enim pluribus opus eſt?) quanta hic abſurditas antea lateret: *monſtrum horrendum, ingens*, &c. Et tamen hoc illud eſt quod omnes legebant, quod omnes probabant. Nos, niſi fallimur, ſanius.

Pag. 102. V. 1.

Iſque ita per noſtras acies perlabitur omnes.

In plurimis editionibus legitur, ut & in hac quoque ſcriptum eſt, *omnes*; ſed legendum *omnis*. Neque enim intelligit *totam* aciem penetrari, (quod tamen fieri poſſet ſecundum Epicurum, neque video quî id negari poſſet.) Itaque ſic alibi loquitur:

Et facit ut prius hunc omnem *ſentire queamus.*

Item, *Qualia ſunt vitri, ſpecies quæ tranſvolat* omnis. Cui loco opus eſſe aliquo temperamento videtur. Fortaſſe in Notis dicetur, ſi notas faciemus.

Pag. 102. V. 25.

Fanua proſpectum cum per ſe præbet apertum.

Cavendum eſt ne nobis arrideat doctorum quorundam conjectura, qui legunt, *aperta*. Neque enim, quantumvis vera videatur, neceſſaria eſt: Quippe

apertus,

apertus, significat *liberum*, *patentem*, &c. Virgilius expresse:

.....*Jovis ales aperto*
Turbabat cœlo.....

Alibi: .....*campis exercitus ibat apertis.*

Pag. 106. V. 20.

At conlectus aquæ digitum non altior unum,
Qui lapides inter sistit per strata viarum,
Despectum præbet sub terras impete tanto,
A terris quantum cœli patet altus hiatus:
Nubila despicere & cœlum ut videare videre, &
Corpora mirando sub terras abdita cœlo.

Prolixiori sermone opus non sit mihi, si probandum fuerit, postremum illorum versuum esse corruptum. *In lacunula, quæ aquâ plena sit, videmus*, ait Lucretius, *& cœlum, & alia corpora, abdita cœlo* mirando *sub terras*. Qui hæc intelligent, næ ego illorum ἀνχίνοιαν & solertiam dilaudabo; sed judicium tamen haud equidem scio an æque celebrari debeat. Nam qua ratione *corpora sub terras abdita videantur in collectu aquæ*, res notissima est vel pueris, qui vagi per vias & ludibundi lasciviunt: Sed, quis dicat, *corpora sub terras abdita sunt mirando cœlo*, id vero est quod nec adulti, nec senes ipsi, opinor, intellexerint; Error itaque ibi sit necesse est; cujus sedem, causamque si quæres, en tibi, in proximo est. Quippe in versu superiori legitur,

Nubila dispicere & cœlum ut videare videre,

Atque ubi cum forte scriptori librario oscitanti, ut fit, aut properanti, occurrisset illud *cœlum*, effectum ex eo est, ut in versu quoque sequenti τὸ *cœlo*, scripserit, cum tamen, uti legendum arbitror, scribere debuisset,

Corpora mirando sub terras abdita pacto,

id est, *mira ratione, miris modis*.

Pag. 110. V. 7.

Vallibus & cycni gelidis orti ex Heliconis.

Mirifica vero, sicubi alias, circa locum hunc variantium

antium lectionum multitudo est; nam in quibusdam lib. legitur,

Vallibus & validis ne tortis ex Heliconis;

Quod qui intelliget, eum ego OEdipum, eum Tiresiam esse putabo: Sed in aliis ita est,

Vallibus & cycni nece detorti ex Heliconis;

Tenebræ αφασια, nihil. In aliis,

Et gelidæ cycni nece torti ex antro Heliconis.

Nihilo sanius, ut vides. Ad eum locum Interpres, ille, inquam, Interpres, cui prope uni salutem & nitorem suum debet Lucretius, de lectione, quæ in hac nostra editione est, sic inter cætera scribit: *Hanc esse putavi veram & rectam scripturam, aut certe veræ proximam, non pugnaturus, si quis vel ingeniosior conjecturam afferat meliorem, vel, emendatiores codices nactus, scripturam veriorem.* Hæc ad sese pertinere ratus Gifanius, sic locum hunc legendum esse monuit:

Vallibus & cycni nece torti ex Heliconis.

In quo vel pueris deridiculo esse potest: ut in III. editione annotavit Lambinus. Idque nisi ipse demonstrasset, nos levi brachio facere potueramus. Quapropter cum Gifanius hîc se turpissimè dederit, nec Lambinus suæ conjecturæ confidat satis; videndum an quis Gifanio sagacior esse possit aut felicior; Quod fiet, ubi rationem exposuerimus quamobrem Lambinus, conjecturam suam, quæ ipsa tamen certa videri potest, non tamen usquequaque probarit. Uno verbo dicam, Latine dici non potest, ut ii probe norunt, qui studiose sermonis Latini proprietatem consectantur, dici, inquam, non potest; *Cycni orti sunt ex vallibus Heliconis:* alioqui significaret originem duxisse ex vallibus, inde ortos esse, *&c.* Quod nugatorium est. Sed enim ut jam in I. indicaveram, dicendum fuerat, ne dubita, *cycni ex vallibus Heliconis coorti*, atque adeo sic legendus est hic locus:

Vallibus & gelidis cycni côrti *ex Heliconis.*

Funda-

Fundamentum conjecturæ noſtræ eſt in uſu Latini ſermonis; tum præterea in veſtigiis MSS. codicum, in quibus conſtanter legas vel *torti*, vel *ne tortis*, vel *ne torti*, &c.

Pag. 110. V. 37. De echone, *ſeu vocis imagine*, uti plus ſemel vocavit Horatius, verba faciens Lucretius hæc ſcribit:

Sex etiam aut ſeptem loca vidi reddere voces,
Unam cum jaceres: ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant *dicta referre.*

Sed ego iſtud *iterabant referre*, vitioſiſſimum eſſe ſemper arbitrabar. Tam enim eum patienter feram qui dixerit, *iterabant iterare*, quam qui dixerit, *iterabant referre*. Scripſerit itaque Poeta neceſſe eſt, non, ut vulgo legitur,

..... *iterabant dicta referre,*

ſed ..... *tradebant dicta referre.*

Ingenioſa ſcilicet & admirabili metaphora, ab iis ducta qui exceptum aliquid aliis perferendum mandant: quò etiam ducit τὸ *repulſantes*. Vim autem hujus vocis in verſu quodam hujuſce libri notabis:

Fit quoque de ſpeculo in ſpeculum ut tradatur *imago*;

Quod vides huic loco geminum germanum eſſe. Itaque finem facio. Erroris origo videtur eſſe ἐν τῇ ἀκεφαλευτίᾳ verſûs ſuperioris, quod incogitans exſcriptor reſpexit; in eo enim elementorum ſimilitudo hominem in fraudem conjecit. *Ita colles*. Sed unde ſit, mendum eſt & quidem ejuſcemodi, ut à nemine adhuc animadverſum fuerit.

Pag. 111. V. 18.

Quod ſupereſt, non eſt mirandum, quâ ratione
Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas,
Hæc loca per voces veniant, aureſque laceſſant.
Conloquimur clauſis foribus: quod ſæpe videmus.

Clariſſimus interpres, verſum poſtremum eſſe plane ineptum, atque adeo ejiciendum, exiſtimavit. At Gifanius ita ex veter. lib. reſtituendum credidit:

Conlo-

Conloquium clausis foribus quoque sæpe tenemus.

Quid ibi fecerit, scire vis? nugas magnas. Neque enim illustriùs ostendere potuit, quàm inops, quamque imparatus à judicandi facultate esset; quam denique miserabilis grammaticus (nosti illud ex Seneca patre, *miserabilis orator*) Nam ex editionibus aliis totus hic locus sic potius legendus, sic distinguendus erat:

.....auresque lacessunt,
Cum loquimur clausis foribus, quod sæpe videmus;

Sensum saltem commodiorem hæc lectio haberet; id enim probaret Lucretius, ea pervenire & penetrare voces, & sonos, quà species visibiles trameare nequeant. Exemplum autem familiare est; cum videlicet astans aliquis ad occlusam januam, cum eo, qui intus est, colloquitur. Tunc enim species visibilis transire nequit; at species *audibilis*, ea vero potest. Solet autem Lucretius, ubi quid probandum est, exemplum ἰσόπτῳ aut ὁμοιόπτῳ illico subdere, quo res diluceſcat magis, uti diligenti Lectori constat. Hæc nostra, nisi multum fallimur, Gifanianis haud paulo meliora sunt, & rationi magis consentanea. Sed tamen, si, quod res est, dicam, in iis me non magnopere amo; nam de plano affirmare possum, id quod in Notis fortasse demonstrabitur, versum hunc subditivum esse.

Pag. 112. V. 1.

Hæc, queis sentimus succum, lingua atque palatum,
Plusculum habent in se rationis, plusque operai.

Ita quidem in editionibus Lambini, & similæ Gifanii legitur: sed mendose, si quid unquam mendose editum est: quod ut demonstrem, exemplis utar ex Lucretio ipso petitis; unde apparebit solere ipsum, positis principiis, eorumque proprietatibus & qualitatibus explicatis, cætera omnia facilia esse & aperta, dicere, neque ullam quæstionem proponi posse, cujus expediundæ ratio in promptu non sit. Exempla igitur congerentur; nam absque

que iis sit, ostendi, quod necesse est, haud queat. Illa nos pleno modio admetiemur. Sic enim passim loquitur.

Illud in his rebus minime est mirabile, quare, &c.
Nunc facile ex his est rebus cognoscere quæque.
Sed quod amara vides, minime id mirabile cuiquam.
Nunc alii, &c. haudquaquam ratio scruposa relicta est.
Illud in his rebus minime mirabile habendum est.
Illud item non est mirandum, corporis, &c.
Nec tamen illud in his rebus mirabile constat,
Tantula quod.....
Non ita difficile est rationem reddere verbis.
Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Esse, quod, &c.
Perfacile est tamen hæc reperire, animoq; videre.
Postremo quid in hac mirabile tantopere est re?
Illud item non est mirandum, qua ratione, &c.
Non, inquam, simplex his rebus reddita causa est.
Nunc facile ex his est rebus cognoscere, &c
Quare etiam atq; etiam minime mirarier est par.
Quod superest nihil est mirum simulacra moveri.
Ut non sit mirum, si in tales disposituras, &c.
Nec mirum, cum plena animæ vesicula, &c.
Nec mirum est in eo si tempore talia fiant.
Perfacile est animi rationem exsolvere nobis.
Quo minus est mirum, mare non augescere magnum.
Quo minus est mirum paullo quod diximus antè.

Hæc, nisi fallimur, satis multa sunt, ut ne plura addere sit necesse. Nam locum quemdam in V. Qui turpiter & ridicule corruptus est, non attingam; id tunc fiet cum illò deventum fuerit, nunc autem quod in manibus est, id agamus. Quæstionem igitur proxime superiorem sic exorsus erat Lucretius:

Quod superest non est mirandum, qua ratione
Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas, &c.

Dein ubi rem ipsam per sese facillimam esse ad intelligendum demonstravit, nunc post allatam solutionem de'

de succo & gustatu agere incipit; Antea dixerat mirandum non esse cur quà visus tramicare non soleat, eà vocem tramicare animadvertamus: nunc addit, ut legendum contendo,

Nec, *queis sentimus succum, lingua atque palatum,*
Plusculum habent in se rationis, plusque operai.

Quam lectionem in quibusdam libris reperiri certum est, eamque à Lambino damnari aut certe in suspicionem vocari miror. Quod autem turbare videtur istud *plusculum*; non debet: hoc enim loco eandem vim habet ac *plus*, uti & ἀκεγλὸ'πον ostendit [*plusque operai*] At vero illud [*rationis*] non est quod quis fortasse existimet. *Ratio* enim hoc loco significat *tractationis difficultatem*, τὸ φιλοσοφεῖν *argumentationes operosas*, &c. quod explicari debuerat. Hæc prolixius præter institutum nostrum; sed tamen locum hunc Lucretii ita detersum dedimus & elucidatum, ejus ut operæ me haud pœniteat.

Pag. 112. V. 31.

Porro omnes, quæcunque cibum capiunt animantes,
Ut sint dissimiles extrinsecus, & generatim
Extima membrorum circumcæsura coercet,
Proinde & seminibus distant, variantque figurâ.

In secundo versu mendum sit necesse est: Debuit enim Lucretius dicere. *Omnia animalia, ut sunt inter sese dissimilia, & varia illorum circumcæsura est, ita & seminibus distant, & variant figurâ.* Cave itaque legas *generatim*; id est, secundum unumquodque genus, seu speciem, ut nunc loquimur; scribi enim debet *variatim*. Primo sic omnino legendum esse probat versus posterior, qui à *paritate* eductus est: *Proinde & seminibus distant*, variantque *figurâ*;

Argumentatio enim ex principiis bene procedit: *Dissimiles sunt inter sese*, ait, *& extima circumcæsura* varia *est, ergo & seminibus differunt, & varias figurationes habent.* Addam & aliud quo res extra dubitandi aleam ponatur: Non agitur nunc de differentiis secundum unumquodque *genus* animalium,

quatenus ſcilicet ſpecies à ſpecie differt; Nam in ſpecie humana, quot ſunt ſingularia ſeu individua, tot varrii guſtatus, &c. ergo. Vix enim duos homines reperias, neque fortaſſe unquam reperti ſunt, in quibus omnia omnino ſimilia ſeu paria fuerint, ſi ad numerum primorum corporum, ad eorum ſitum, & collocationem, ad raritatem, & denſitatem, figuras meatuum, &c. veniendum ſit; (notum illud Horatii, *Tres mihi convivæ multum*, &c.) Addit itaque infra, & recte quidem.

Namque figurarum ut ratio motuſque reposcunt,
Proinde foraminibus debent differre figuræ,
Et variare *viæ proinde ac textura coercet.*

Alia etiam ad eundem ſcopum tendunt, quæ huc transferre nihil neceſſe eſt.

Pag. 113. V. 37.

Hic odor ipſe igitur, nares quicunque laceſſit,
Eſt alio *ut poſſit permitti longius* alter.

Quod lecturus es, ad Latinitatis rationem pertinet; videlicet dici non poſſet arbitror, ubi de duobus agitur, *Alter eſt major alio*; ſcribendum enim, *Alter altero major eſt*; atque adeo, donec exemplum aliquod prolatum fuerit ex melioris ævi ſcriptore, legendum putabo,

Eſt illo *ut poſſit permitti longius* ille.

Quibus verbis, *illo* & *ille*, addita fuere gloſſemata, quæ in contextum operis recepta fuerunt, ut fit. Puritatis Latinæ amatores quid velint norunt; alii enim hæc & alia ejuſmodi lineâ albâ ſignare ſolent. Sed nihil mihi cum illis eſt, neque eſſe velim.

Pag. 115. V. 6.

.....cientque
Tenuem animi naturam intus, ſenſumque laceſſunt.

Tenuis animi natura, mens eſt; itaque legendum,

..... mentemque laceſſunt.

Quod ſi probem, mora mera ſit. Et ita eſſe ut dico, Lector cate, videbis: alii, numerus erunt, &c. lege modò verſum 11. pag. 115.

Tenuis

Tenuis enim mens est, & mire mobilis ipsa.

Item vers. 21.

Mens animi vigilat, nisi quod simulacra lacessunt.

Ergo simulacra *lacessunt mentem*, ut legendum aio, Adde, nec enim mora longa est, & v. 16. & 17. pag. 115.

Nunc age, quæ moveant animum res, accipe, & Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.

Ibidem Pag. 115. V. 32.

Nec ratione aliâ, cum somnus membra profudit, Mens animi vigilat, nisi quod simulacra lacessunt. Hæc eadem nostros animos, quæ, quom vigilamus; Usque adeo certè ut videamur cernere eum, quem Reddita vitai jam mors, & terra potita est.

Conveniant licet harioli, haruspices, & quidquid ubique divinatriculæ artis est; nihil certi, nil boni hinc elicient. Quid enim est, *Mors vitæ reddita?* sed nihil urgeo: advocandi tempus dabitur: quid tandem? mussant: nihil enim est quod respondeant. Lege itaque, nam istud *Mors* glossema est, lege, inquam, fidenter.

Reddita vitai jam pausa *& terra potita est.*

Pausa vitæ mors est; Ita in III.

Frigida quem semel est vitai pausa *secuta,*

Et antea in eodem libro,

Inter enim jecta est vitai pausa.....

Bene autem *pausa vitæ reddita*; mortui enim eadem fruuntur quiete, qua fruuntur qui nunquam nati sunt. Sic enim locus hic intelligi possit.

Pag. 117. V. 21.

Istud in his rebus vitium vehementer, & istum Effugere errorem, vitareque præmeditator, Lumina ne facias &c.

Tanta in MSS. Cod. varietas est, uti monuit Lambinus, vix ut certi quidquam constituere possis: alii enim habent.

Illud in his rebus vitium vehementer inesse, Effugere errore, multareque præmetuentor.

Alii autem:

Effugere errores multaſque præmetuentur.

Quidam etiam:

Effugere errore, vitareque præmetuenter.

Sed Gifanius rem εἰς ἄπαξ provexit ſic enim legit,

Illud in his rebus vitium vehementer ineſto.

Admirabilem vero Latinitatem & dignam ejuſmodi auribus. Ego autem, ſi quid in tanta verborum confuſione tutò licebit tentaſſe, legam,

Illud in his rebus vitium vitare memento,

Effugere illorumque errorem præmetuenter,

Id eſt, caute, ſedulo, conſiderate. Sed hoc hariolari eſt; tamen advocato judicio hariolamur.

Pag. 118. V. 21.

Quippe etenim fluere atque recedere corpora rebus
Multa modis multis docui: ſed plurima *debent*
Ex animalibus iis, quæ ſunt exercita motu:

Tollendum ex oratione vitium eſt, legendumque....*ſed pluria.* Sic enim ſentit Poeta, *multa* ex rebus inanimatis corpora recedere, ſed longe *pluria* ex animalibus quæ motu exercita ſunt, res plana eſt. Ita etiam olim peccatum infra fuerat,

Unaque res hæc eſt cujus quam pluria habemus, &c.

quem locum reſtituit diligentiſſimus Interpres.

Pag. 119. V. 20.

.....*hinc igitur rebus fit utrimque duabus*, &c.

Mihi nè operoſo & magno molimine probandum ſit, legi debere, ...his *igitur rebus fit utrimque duabus*? Quid enim loci habeant τὰ *hinc utrimque* cum *rebus duabus*?

Pag. 124. V. 2.

Nec retinere ſemel converſum unius amore.

Revocandam eſſe arbitror, quorundam codicum lectionem, quæ talis eſt:

Nec retinere ſemel conceptum unius amorem.

Id verius quam ſi tripode ex Phœbi, &c.

Pag. 124, V. 30. Miſera vero, ſi qua alia, res amor eſt, nugæ, ſomnia, nihil, aut pœne nihil, ſi ex

pul-

pulchellis corporibus tenuia tantum ſimulacra decerpere licet. Quid igitur illud attinet, color verus, corpus ſolidum & ſucci plenum? quid, Flos ipſe, &c. quid? quando omnia prætervolant.

Quando in amore Venus ſimulacris ludit amantes,
Et fruſtra comprenſa manus effugit imago.
Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno,

Hoc ipſum eſt quod apud Lucretium legis, hominem illius mercimonii haud imperitum:

Ex hominis vero facie pulchroque colore, inquit,
Nil datur in corpus præter ſimulacra fruendum
Tenuia, quæ vento ſpes raptat ſæpe miſella.

Sed tertius ille verſus, Lector, placetne? Lambino certe diſplicebat; neque id injuria; illo itaque ut Lucretio patre indignum verſo ſtylo confixit. At Giſanius ita ſcribendum exiſtimat:

Tenuia, quæ vento ſpes captat ſæpe miſella.

Ibique ad oram editionis ſuæ hæc adſcribit: *In libris quidem,* raptat; *ſed* captat *ego ſcripſi:* vento, *fortaſſe pro fruſtra, id eſt, quæ non tam ſibi quam vento ut ea ille differat, captat: ita mox* [fruſtraque laborat] Dii boni! Cur hæc non legerat Lambinus? quam belle, quam feſtive hominem adhibuiſſet!

Quid enim, quæſo, vel Sphinx ipſa diceret? quis, niſi plane Latinitatis expers, ſcribat, *ſpes miſella captat vento ſimulacra?* Deinde homo ingenioſus non vidit illud *ſæpe* vitioſum eſſe; quod enim hoc loco aſſerit Lucretius, nos in amore ſimulacris tantum frui,

Nec manibus quidquam teneris abradere membris,

Id perpetuo verum eſt; ſi *ſæpe* fieret, aliquando quoque non fieret. Itaque ubi primum per ætatem Lucretium legere paulo attentius cœpi, eo una vox mendi ſuſpicionem commovit; Ibique dubitabundus, hærens, defixus, ſteti aliquandiu, (nam ſex ſeptem dies locum hunc animo verſavi, ὡδὲν ὑποβολικῶς dico:) tum denique, ſic Dii voluiſtis, ad veram lectionem pervenimus,

ſimulacra fruendum
Tenuia,

Tenuia, quæ venti ſuevit raptare procella.

De hac emendatione eorum erit judicium, qui poetæ ſunt, aut qui poetas legerunt. Eam enim exemplis hinc illinc collatis firmare nihil neceſſe; quippe cuilibet obvia ſunt.

Pag. 125. V. 24.

Unguenta & pulcra in pedibus Sicyonia rident.

Nem nem ne adhuc animadvertiſſe, falſam eſſe, atque adeo ridiculam, in hoc loco ſcripturam? & tamen ita res conſtat, ut ne dubitare quidem vel tantillulum poſſis. Quomodo enim rident unguenta in pedibus? Deinde ea vox, ſi ſenſum rationi conſentaneum haberet; hinc tamen ejicienda eſſet; legitur enim paulo inferius, & quidem loco apto & ſuo;

Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur.

Eadem corrumpendi loci hujus cauſa fuit quæ ceterorum qui jam tales eſſe animadverſi ſunt; vicinia ſcilicet vocis alicujus quæ ad hanc [*unguenta*] proxime accedat: ea vero eſt τὸ [*languent*] in verſu proxime ſuperiori. Sed quid *unguentarum* loco ſubſtituendum ſit, id vero eſt quod affirmare nequaquam auſim, cum hic error neque contra Latinitatem ſit, neque contra materiam phyſicam, neque alia, quæ certa haberi queant: eſt enim ἀναγκαιότης rerum, in quas impenſæ & ſumptus fiant. Fortaſſe ſcriptum fuerit, *unioque, & pulchra in pedibus*, &c. Nam & calceis additos uniones & margaritas fuiſſe notum eſt; fortaſſe etiam *fibulaque*; nam & fibulis gemmeis nonnunquam utebantur luxurioſi nepotes. Sed & multa alia poſſent ſubſtitui; Ad ſummam. Deo aliquo opus ſit, ut de varietate lectionis conſtet. Locum judicavi; ſi quid opis in MSS. codicibus, alii jam admoniti eam rem curabunt.

Pag. 127. V. 5. De inconſtantia amatoris. Modo excluſus lacrymis limen & poſtes durioris amiculæ rigebat, modo unguentis illinebat, aut aſperſis floribus ningebat; Deos atque aſtra incuſabat: nihil denique ſe miſerius quidquam deplarobat; tandem reſerata

ſerata janua eſt, ibi tum homo noſter conſilium ſuum damnat; Vix ſatis ingreſſus eſt, cum jam ingreditur, &c.

Quem ſi jam admiſſum venientem offenderit aura
Una modo, cauſas abeundi quærat honeſtas.

Ita vulgo legitur; Sed quomodo tandem ſtare poſſit *venientem* cum *admiſſum*? Itaque tolerabilior aliorum codicum lectio eſt, *veniens aura*, niſi ſi conjectura noſtra probari poteſt,

Quem ſi jam admiſſum vel venti *offenderit aura.*

Id eſt vel leviſſima res, folium, pluma, muſca, &c.

Pag. 129. V. 24.

Clunibus ipſa viri Venerem ſi læta retractet.

Turpicula res eſt, atque adeo paucis attingenda; ſed attingenda tamen: quod ita faciemus ut Stoicorum dogmatiati, qui σοφὸν δ' ἀῤῥυπαίνειν & ſimpliciter loqui volunt, non pareamus. Dico igitur depravatum eſſe hunc verſum,

Clunibus ipſa viri Venerem ſi læta retractet.

legendumque,

Criſſans *ipſa viri Venerem ſi læta retractet.*

Miram vero Criticæ audaciam inquies; fateor; ſed dementer & placide, niſi moleſtum eſt; Donatum audi ad Eunuchum Terentii Act. III. Sc. I. in ea verba, [FORTE HABUI SCORTUM.] ubi inter cætera hoc ſcribit: *A parte ergo ſui meretrices* ſcorta *dicuntur, vel ἀπὸ τῆς σκαίρειν, quod Græce* palpitare *intelligitur, quod illæ faciunt ſaltando aſſidue, vel potius* CRISSANDO, *ut Lucretius ait Lib. IV. ob eam cauſam ut concinniorem Venerem exhibeant viris, aut ſibi abigant conceptum*, &c. Planiſſime ergo ſcripſerat Poeta non *Clunibus*, ſed *Criſſans*: Dubitari enim non poteſt, quin hunc Lucretii locum ante oculos haberet Donatus, cum cætera, quæ profert, hic legantur;

Nam mulier prohibet ſe concipere, atque repugnat.

Cui loco hæc Donati verba reſpondent [*aut ſibi abigant conceptum*] Illa autem [*ob eam cauſam ut con-*

cinniorem Venerem exhibeant viris] quo tendunt tandem, nisi ad Lucretiana quæ legis?

Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset.

Quare non est ut alium locum respexerit Terentii Interpres, quam qui nunc nobis in manibus est. Sed quid istud monstri est, *Crissans*, unde terrarum advectum fuit? Illæ ipsæ docebunt, ô bone, de queis agitur; Tu mihi ad illas pergito. Martialem tamen legisse poteras; vel fortasse leges. Saltem auctor obscœni carminis, si memini satis, olim scripserat,

Crissabat tibi fluctuante lumbo.

Scin' quid sit *fluctuante*? illud ipsum est quod dixerat Lucretius, *Atque exossato ciet omni pectore fluctu.* Nihilo, inquis, doctior abeo. Quid, illud Satyrici autem *Romule ceves*? Non intelligo, dices; Ipse autem non interpretor; quanquam de admissura veterini pecoris, & ceterorum animantium loqui & jus & fas sinebant; sed de homine, grave piaculum est scilicet.

Ibidem Pag. 129. V. 27. *seminis ictum.* Lego, *semini jactum.* Primum nunquam dictum est, icere semen, sed jacere; deinde metaphora ab agro colendo & serendo ducta est, uti probat, tum illud *sulci*, tum *vomerem*; & alibi, *muliebria conserat arva* & Gr. ἐπ' ἀρότῳ παίδων. & alia sexcenta.

Ibidem Pag. 129. V. 28. *Idque sua causa.* &c. *ne complerentur,* &c.] Lego, *hacque ipsa causa.* ita enim ratio postulat. & sane ita alibi locutus Lucretius est in v.

Illa ipsa *intervalla nihil de corpore libant.*

Adde quod in MSS. Cod. legitur,

Ipsa sua causa consuerunt sorta moveri.

CAPUT

CAPUT V.

PAGINA 131. V. 3.

Quisve valet verbis tantum; qui fundere *laudes;*
Pro meritis, ejus possit, qui talia nobis, &c.

MSS. Codices constanter habent vel *fingere*, vel *fundere*; Gisanius autem legendum conjecit, *pingere*. In eum locum hæc, quæ ad rem faciant, scribit Interpres, dum illud *fingere* impugnat: *Deinde hoc totum, quis fingere laudes, &c. non sincerum sonat; significat enim, veras laudes non futuras. At nonne ridiculum est profiteri se aliquem falsis laudibus ornare velle?* Sed ibi Vir doctus & memoriosus oblitus sui est: *fingere* enim, ut ex infinitis locis M. Tullii constat, idem est ac πλάσσειν Græcorum, *figurare*, scilicet *formare*, &c. unde & *fictores* Græcis semper & Latinis nonnunquam, plastæ dicuntur. Egregia itaque metaphora usus est Lucretius, quæ scilicet à *fictorum arte* seu *plastica* ducta sit: ita Cicero in libb. de Orat. dixit: *volucres fingere atque construere nidos*: alibi, *vir quæ finxit hominem.* in Acad. Iterum in cl. orator. *Peripateticorum institutis commode fingitur oratio*, id est πλάττεται, συντίθεται. Sed Horatius, nonne in 4. dixit,

operosa parvus
Carmina fingo?

Quare hic locus Lucretii sic legi, & tuto quidem, potest.

Quisve valet verbis tantum, quis (id est *queis*)
fingere laudes
Pro meritis, &c.

Pag. 134. V. 29.

Sicut in æthere non arbor, &c. usque ad tricesimum quintum V.

Tandem in eodem homine, &c.

Probare suscepit Lucretius, sidera, cœlum, animata non esse; sed cum hi quatuor versus,

Hoc si posset enim, multo prius ipsa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus esse
Posset, & innasci quavis in parte soleret.
Tandem, &c.

Cum, inquam, hi quatuor versus ad materiem, qua de agitur, nil faciant, huc illos temere ex III. cum cæteris translatos fuisse arbitror. Lector judicabit.

Pag. 139. V. 28.

Denique non monumenta virûm dilapsa videmus?

Hunc versum Lucretii non esse dejerare possim; probare autem, *hic labor est*: sed qui sensum aliquem veteris Musæ habent, ii pedibus in sententiam nostram ibunt. Certe minus in clausula orationis dicit quam in principio dixerat.

Ibidem Pag. 139. V. 29.

Cedere proporro subitoque senescere casu?

Ita constanter habent veteres libri, nisi quod in quibusdam legitur,

Omnique *proporro subitoque senescere casu?*

Sed vide quam in hoc genere literarum nil quidquam *neglectui sit*. Istud *omnique* vitiosum est, neque erit unquam, id ut vel διαιρέσεως vel metri ratio pati possit; & tamen ejus uniùs voculæ ope vestigia veræ lectionis deprehendimus. Sed largiori sermone opus est; cujus veniam petimus. Dixerat antea: Nonne lapides & structuræ ædificiorum ruunt, & turres ac saxa ab ævo vincuntur? nonne ipsa templa, sedentibus, atque etiam invitis diis, senio defessa labuntur? Omniaque ut porro, cujus illa cumque generis sint, senescere, abire, obire, perire, ut credas, nonne & silices ipsos, rupesque, solidissima terræ corpora, senescere ante oculos vides? Nunc locum integrum exponam, & ita exponam, uti distingui & legi debere videtur:

Denique non lapides quoque vinci cernis ab ævo?
Non altas turres ruere & putrescere saxa?
Non delubra Deûm, simulacraque fessa fatisci?
Nec sanctum numen fati protollere fines
Posse? neque adversus naturæ fœdera niti?

*** hinc

*** Hinc versum sustuli.

Omniaque ut porro *subitoque senescere credas*,
Non ruere avolsos silices à montibus altis?

Repetendum autem καὶ κοινὸν cernis ex v. 1. unde cæteræ interrogationes pendent. De usu hujus particulæ *cumque* dicerem quod fortasse non pœnitendum esset; sed satis in præsens fuerit, unicum Horatii locum, qui doctos torsit, afferre,

.....nihi cumque salve
Rite vocanti.

Addam tantum, in versu illo,

Non delubra Deûm, simulacraque fessa fatisci?

Videri posse, quanquam nil affirmo, legendum,

simulacraque fissa *fatisci*:

Nam & huc respexisse Horatium arbitror.

..... seu rubra canicula findet
Infantes statuas &c.

Dein cum *fessus* & *defessus* fiant à *fatisci* & *defetisci*, valde mihi credibile sit scripsisse hoc loco Lucretium, *fessa fatisci*. Scimus tamen ædificiis, templis, muris, ætatem, senium, &c. tribui, atque adeo stare posse nè *fessa*; & qui id probabit, nihil fecerit; nam id, ad me quidem, nihil est; conjecturam enim affero, non emendationem.

Pag. 142. V. 36.

Magnarum rerum fiant exordia sæpe.

Jam antea monui, qua ratione emendandus hic locus videretur; itaque nihil addam. Vidi quæ ad Pag. 72. V. 18.

Pag. 144. V. 3. Ubi luculentissimis versibus exposuit Lucretius, qua ratione effectum sit, ut à terra paulatim sese extulerit æther, tum hoc adscribit:

Hunc exordia sunt solis lunæque secuta;

Dein versum quemdam addit, qui rota, qui saxum & crux gentis Grammaticæ vocari possit, nisi commode emendetur. En tibi:

Inter utrosque *globi quorum vertuntur in auris*.

Ad eum locum sic scribit Interpres: [*hic versus delendus*

dus ut ſpurius, miniméque Lucretianus] & recte quidem Lambinus, qui correctionis viam non videbat, ita exiſtimavit. At Giſanius ſeſe hinc ingenioſe expedivit, *ô jecur Cratetis! Includendus*, inquit, *hic verſus eſt nota parentheſeos.*] Nihil, ita me Deus juverit, commodius quam iſthæc *parentheſeos machina*; ad illam nè comparanda quidem eſt *helepolis* Demetrii; nil certe ejuſmodi reperiſſet Archimedes. Atque utinam explicaſſet quod Lambinus videre non potuerat; Novum feciſſet: Giſanius enim, (ſemel dictum eſto) quem tanto plauſu, tamque fauſtis acclamationibus excerpere Lambini obtrectatores, qui cum illo ſimultates exercebant, quem vulgus eſſe credit hunc, is non erat, uti pro certo conſtabit, ſi quando Lucretium χατ' πόδα exponemus. Sed, ne te diutius teneam, pro corruptis illis,

Hunc exordia ſunt ſolis lunæque ſecuta;
Inter utroſque globi quorum vertuntur in auris,

ſic legendum eſt, ſic diſtinguendum:

Hunc exordia ſunt ſolis lunæque ſecuta,
Aſtrorumque, *globi quorum vertuntur in auris.*

Nempe cum ſolis lunæque ortu, aſtrorum quoque ceterorum ortum conjunxerit, neceſſe eſt; hincque adeo factum, ut cum de motibus aſtrorum infra aget, de ortu tamen illorum nihil quidquam ſcripturus ſit. Sed ea eſt, ſpero, hujus noſtræ emendationis perſpicuitas & neceſſitas, ut plura his addenda non ſint.

Pag. 145. V. 9.

Quò volvenda micant æterni *ſidera mundi,*

Contra Epicuri doctrinam eſt iſthæc *cæli æternitas* (nam *mundus*, ut ſæpe alibi, hoc loco cœlum eſt.) Tum, ſi quatuor aut quinque illos verſus leges, qui ſupra, qui infra occurrunt cum de motu aſtrorum, deque motûs ratione agatur, illos, inquam, ſi penſiculate & attente leges, non, ut opinor, invitus mecum legeris.

Quò volvenda micant alterni *ſidera mundi.*

Vocat autem *mundum*, ſeu cœlum, *alternum*, quòd alternis

alternis dierum noctiumque vicibus modo sol modo stellæ prodeant, & cœlum vertatur.

Pag. 146. V. 17. Aëre terram sustineri, nil mirum est, inquit; cum enim terræ congenitus sit, eam itidem sustinere potest, ac anima, quæ tenuissima est hominis pars, totum corporis humani pondus non modo sustinet, sed & nonnunquam saltu in altum tollit.

Denique jam saltu pernici tollere corpus
Quis *potis est, nisi vis animæ?*.....

Scripserat Lucretius, Quis *potis est nisi vis animæ?*..... Sed dubitavere scioli an dici Latine posset, *Nullum animal potis est efficere*, &c. alioqui dicendum esse putabant, *potest est*, δυνατόν ἐστι, &c. idque eo accidit, quod veteres, Ennium, Plautum, Lucilium, Terentium, alios, non legerant; Quin nec Lucretii Latinitatem unquam observarant. Ita enim alicubi locutus est, ut in I.

Conjunctum est id, quod nunquam sine pernicie ali
Discidio potis est sejungi, seque gregari.

In IV. *Tenue locis quia non potis est adfigere adhæsum.*
Et in V. .....*corpus*
Non potis est cerni.

Pag. 149. V. 10.

Fulmina postremo, nix, imbres, nubila, venti,
Non nimis incertis fiunt in partibus anni.

Hæc scribit Interpres, *Sane ut ita legatur ratio postulat; nisi quis dicat, legendum item ut supra, divisa voce*, in certis *& retinendam vulgatam scripturam*, minus.] Bis errat; nam si ita legeretur, gravissimum in versu mendum esset; sic quippe haberet:

Non minus in certis fiunt partibus anni.

Una syllaba, ut vides, brevior est quam oporteat. Sed hæc quidem incogitantia est hominis alio properantis. Quod autem ait lectionem illam, quam ipse in suo contextu, ut nos in nostro, exhibuit, eam esse quam ratio postulet, id quoque ejusmodi est, ut vix cuiquam credibile sit, qui cum cura legerit.

Scri-

Scribendum enim esse ostendam,

Non minus hæc *certis fiunt in partibus anni.*

Antea dixerat Lucretius, [Miraris quod tam certo tempore ignes confluere possint; cur id facias nulla equidem causa est, cum tot res alias certo itidem tempore fieri cernas, &c. postremò nimbi, fulmina, grandines, venti, &c. illa omnia non minus in certis partibus anni fiunt; quæ tu tamen tantopere mirabilia nunquam duxisti.

Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Esse, quod hæc ignis tam certo *tempore possint*
Semina confluere, & solis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo *quæ tempore fiunt*
Omnibus in rebus. (exempl. *) floreſcunt tempore* certo
Arbusta, & certo demittunt tempore florem.
Nec minus in certo *dentes cadere imperat ætas*
Tempore, &c.
Fulmina postremo, nix, imbres, nubila, venti,
Non minus hæc certis *fiunt in partibus anni.*

Idque ut planissime & ἀναμφισβητήτως probet, addit, quod ad confirmationem emendationis nostræ facit maxime.

Consequa natura est jam rerum ex ordine certo.

Vides, ut opinor, hanc lectionem illâ aliquanto esse meliorem, quæ ab Interprete Lucretii, quasi longe optima esset, probata fuerit.

Ibid. Pag. 149. V. 22. Ecce autem de integro; occurrit aliud in hoc loco quod festinanti moram objiciat:

Namque ubi sic fuerunt causarum exordia prima,
Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,
Consequa natura est jam rerum ex ordine certo.

Duorum posteriorum versuum alterutrum ὀθελίζει Lambinus, neque de illo, *Atque uti*, &c. dissentit Gifanius. Ego priorem prorsus delendum arbitror, hac primum causa, quod istud *Sic* stare non possit cum *Atque uti:* quod iis qui Latine sciunt, notissimum est; Dein, prioris versus,

.....*ubi*

.....ubi sic fuerunt causarum exordia prima

eadem plane sententia est quæ secundi; sed versus

Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,

Is vero Lucretio parente longe dignior est quam ille alter projectitius: nam τὸ *cecidere* sortem, temeritatem, & casum notat, sumpta ab aleæ ludo metaphora, *si illud quod opus est, jactu non cadit.* Terent. unde. quod multi non observarunt, natum & illud, quod vulgo Latine dicimus, *Belle cecidit* &c. Sed cum hoc loco rationem afferre assertionis suæ debuerit Poeta, particula *ætiologica* opus est; itaque, expuncto illo priori, sic legere soleo,

Namque *uti res mundi cecidere ab origine prima,*
Consequa natura est jam rerum ex ordine certo.

Hæc ad emendationem; cetera in Notis.

Pag. 151. V. 7.

Difficile *est ratione docere & vincere verbis.*

At ego verbis vincam, & iis verbis quæ rationem ducem habeant; vitiosam esse scripturam, sicque, sensu plane contrario, legi hunc versum debere:

Id Facile *est ratione docere & vincere verbis.*

Quod ita esse uti dico vel illi versus qui infra leguntur, abunde probaturi sint, cum in iis pro certo ponatur, rem in sese nihil habere difficultatis:

Quo minus est mirum *si* certo *tempore lunæ*
Gignitur, & certo *deletur tempore rursus,*
Cum fieri possint tam certo *tempore* multa.

Sed & hic addendum aliud; debere videlicet *interrogative* pronuntiari versus illos,

Denique cur nequeat semper nova luna creari
Ordine formarum certo, certisque *figuris:*
Inque dies privos abolescere quæque creata;
Atque alia illius reparari in parte locoque?

Tum ipse sibimet respondens,

Id facile *est* (inquit) *ratione docere.*

Pagina 155. V. 2. Nec fuisse unquam Centauros, homines equo mixtos scilicet, neque ullum animal, quod ex duabus naturis adeo diversis constaret

staret vivere & per sobolem propagari posse:

Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo
Esse queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membra compacta potestas,
Hinc illinc par vis ut non sic esse potis sit.

Magna vero in postremo illorum versuum difficultas est, tanta in MSS. Codd. tamque inconstans & multiplex variantia est. In quibusdam enim legitur,

Hinc illinc par vis ut non sint pars esse potis sit.

I nunc, & mortuos excita, tempus est. In aliis.

Hinc illinc par vis ut non sint pars esse potissit.

Portenta versuum, ut vides; & tamen Gifanius hunc posteriorem, quæ omnibus vitiis scatet, recipere se & probare professus est; quo nihil unquam deterius poterat. Sed quo tandem pacto rem adeo intricatam, tamque à recto sensu & à Latinitatis usu remotam, explicare ausus non est? In ea re una, Lector, visus mihi magnopere est sapere: Non poterat; quæ vehementissima causa est. In quibusdam etiam legitur,

Hinc illinc par vis non sit par esse potis sit.

In aliis denique alia, quæ non sunt tanti ut huc transcribantur. Lambinus quidem legi posse putabat,

Hinc illinc par vis ut non pari esse potis sit.

Adrianus denique Turnebus,

Hinc illinc par vis ut non sic esse potis sit.

At ego secutus vestigia libri MS. quo usus olim est Faernus, quique versum hunc ita exaratum exhibet,

Hinc illinc paribus ut non sit pars esse potis sit,

tandem ad *intestas fronde quietes*, & veritatis latibulum deveni,

Hinc illinc par vis ut partibus *esse potis sit*;

sensu tam necessario, ut aliter scribere potuisse Lucretium, nemo suspicari possit. Rem tribus verbis exponam: *Nullum animal ita ex duplici & diversa natura constare potest* (exempli g. equi & hominis) *ut hinc & illinc* (à natura hominis & equi) *par vis esse partibus possit*, id est, Duæ illæ partes *componentes*

nunquam

numquam parem vim haberet; cum ſpecies animantum aliæ aliis vitiis creſcant, citius minuantur; Quæ ea ipſa ratio eſt quam affert Lucretius in iis verſibus, qui hunc ſequuntur. Sed illos ſine omni mea opera tutemet legere poteris.

Pag. 157. Primi illi homines, quos Horatius mutum & turpe pecus dixit (quippe Epicuri rationem ſequebatur, cum id ſcribebat;) genus hercule mixificiſſimum erant: quippe qui in ſoporem dati, in ſomnum, inquam, ὑπόδυμον dati, aliter longe oculis ſuis utebantur ac nos hodie utimur. Nos enim, ubi ſemel cœpimus obdormire, nil oculis præter ſomnum & inſomnia videmus; illi, ſomno gravati & oppreſſi, perpetuo *reſpectabant*, reflexo capite ſcilicet, ſolem orientem. Lucretium in eam rem tibi teſtem dabo:

Sed taciti reſpectabant: *ſomnoque ſepulti,*
Dum roſea face ſol inferret lumina cœlo.

Sum verus? ſic ſoleo; meum eſt; Sed jocularia omittamus, ut ad rem, (quanquam non temere ſcriptum eſt, quidquid hujus ſcriptum eſt,) veniatur, locum illum in VI Æneidos qui in multis Cod. ſic legitur,

Veniſti tandem, tuaque expectata *parenti*
Vicit iter durum pietas, &c.

Eruditi ſciunt ita ſcribi debere,

.....tuaque ſpectata *parenti*
Vicit iter durum pietas;

Idque ita eſſe conſtat, non quod Scaliger id primus conjecerit, ut vulgo creditur; ſed quia non aliter legiſſe Servium, excerpta ex commentariis ipſius meridie ipſo clarius oſtendunt. Verum homines imperiti ita exiſtimabant, graviter in eo verſu contra metri rationem eſſe peccatum; unde pro *ſpectata* πεφιλοφρωσαν *exſpectata*. Qui autem erroris fons in illo Virgilii verſu fuit, idem propemodum in hoc Lucretii eſt. Homines enim ἄμουσοι cum rationem carminis non ſentirent, locum hunc depravarunt, qui ita corrigendus,

Sed

Sed taciti exſpectabant *ſomnoque ſepulti.*

Id quod ni ratio probaret ſatis, ſaltem caſtæ Latinitatis conſuetudo ſatis illos admonere debuerat; dicimus enim *exſpecto dum ſol oriatur*; at, *reſpecto dum ſol oriatur*, nemo niſi barbarus dixerit, non magis, quam, Video dum ille aut ille veniat.

Pag. 160. V. 8.

Aut ubi eos jactant pedibus, morſúque petentes
Suſpenſis teneros *imitantur dentibus hauſtus.*

Poſteriorem illum verſum jam abhinc ſex ſeptem annis emendavi ex occaſione quam mihi obtulerat locus quidam Phædri puriſſimi ſuaviſſimique ſcriptoris, cujus eruditionem notulis meis illuſtratam ſuſceperat Salmurienſis bibliopola. Locum itaque integrum tranſieram, neque enim in eo quidquam mutari neceſſe eſt. *Suſpenſo pede*] Nil facilius: ſed quia ad hunc locum verſus quoſdam Lucretii attulit Schoppius, in quibus graviſſimum errorem eſſe contendo, mihi quoque illos aſſerre lubet, &, occaſione admonente, emendationem addere. Loquitur autem ubi de canibus & eorum catulis in hunc modum:

At catulos blande cum lingua lambere tentant,
Aut ubi eos jactant pedibus, morſúque petentes,
Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus;

Errorem in tertio verſu eſſe aio. Cum enim id, quod à Lucretio deſcribitur, catulis ſuis faciunt canes, dic, quæſo, lector, quid tandem imitantur? nonne *veros* hauſtus? id eſt, nonne *revera* catulos ſuos diducto rictu jam jam hauſturæ videntur? quod ipſum & feles factitare videmus, ubi cum parvulo grege ſeſe oblectare volunt. Legendum itaque eſt,

Suſpenſis vero *imitantur dentibus hauſtus.*

Pag. 161. V. 14.

Nam facies multum valuit, vireſq; vigebant.

Lego, *Nam facies multum valuit, vireſq;* vigentes. Et facies, (id eſt dignitas oris & corporis proceritas,) facies, inquam, & vires vigentes multum illa tempeſtate valuerunt. Notus eſt Ariſtotelis locus in eam rem.

Pag.

Pag. 162. V. 30.

Quæ nunc in magnis florent sacra rebus locisque.

Hic versus vel spurius est, ut alii viderunt, præter Gifanium, vel extra omnem medendi spem jacet. Sensus autem illius esse debuerat,

Quæ nunc in cunctis fumant arisque focisque.

Pag. 163. V. 32. Versus plane admirabiles, & plausu clamoribusque Musarum digni illi sunt, quos jam lecturus es:

Nam cum suspicimus magni cœlestia mundi
Templa super, stellisque micantibus æthera fixum,
Et venit in mentem solis lunæque viarum,
Tunc aliis oppressa malis in pectore cura
Illa quoque expergefactum caput erigere infit,
Ecquæ forte Deûm nobis immensa potestas
Sit, vario motu quæ candida sidera versat,

Sed hoc quid erit; *Tunc excitatur cura & dubitationum aliqua* nobis *sit deorum potestas, quæ cœlum versat, & importuna providentia, rerumque nostrarum curiositate vitam turbare possit*; Ea enim versuum illorum sententia est; Itaque valde verisimile fit scripsisse olim poetam, non *nobis* (nam hic aliquod nomen esse debuit, aut adverbium saltem, quod locum, seu cœlum, deorum sedem notaret) non *nobis*, inquam, sed *endo polis*, id est, in cœlo, (ut *endo statu* & centum alia passim) sed cum supra τὸ *endo* additum esset glossema IN, sicque remansisset versus ἀπελὴς & planè vitiosus, [*Ecquæ forte deûm* in *polis*] abjecto glossemate, & metro, non sententiæ consulentes, scripsere *nobis*, quod per παρέλκον Atticum tutari locum suum non potest; nam, ut jam dixi, vel nomine opus vel adverbio est, quod ἀναφορὰν suam ad cœlum habeat; alioqui, &c. Ceterum etsi emendationem vocare non ausim, tamen ita fore arbitror, ut homines lectionis Lucretianæ studiosi, non modo conjecturam non improbent, sed & libenter sint amplexuri.

Pag. 164. V. 3.

Tentat enim dubiam mentem rationis egestas,

Ecquæ-

Ecquænam fuerit mundi genitalis origo,
Et simul ecquæ sit finis, quoad mœnia mundi,
Et *tanti motûs hunc possint* ferre *laborem.*

In postremo versu seu *tanti* leges, seu *taciti*, uti in aliis codicibus scriptum est, ei nihilo melius fuerit, nam aliunde hæret sententia & suspensa est. En tibi illius seriem: [*Animus dubitat an aliqua mundi origo fuerit,, & quis sit finis quoad mundi mœnia* (id est. cœlum) *possit* ferre ET *Laborem tanti motûs*] Lege modo; id enim si facies, nullus dubitabis quin hic locus fœde corruptus sit; illud enim ET, quod ex superiori versu in hunc translatum est, sententiam plane turbat. Ego autem sic legendum arbitror,

Hunc *tanti motus possint* sufferre *laborem.*

Ita mox in hoc ipso libro,

Nec poterat pariter durum sufferre *laborem.*

& sub finem,

Atq; ipsi potius durum sufferre *laborem.*

& Terent. tale aliquid,

An pro ejus ut stultitiæ supplicium sufferam.

fortasse item in I.

.....*quemvis* sufferre *laborem.*

Ubi hodie alii *perferre* legunt, alii *efferre.*

Pag. 166. V. 15.

Et prius est reppertum in equi conscendere costas,
Quam moderarier hunc frenis, dextráque vigere.

Suspicatur Gifanius legendum esse, *dextraque regere*; ô versum plane admirabilem, & tali poeta dignum! Dein, quod merito ridebat Lambinus, *Equites dextrâ equos non regunt* sed læva, qua enim tandem manu pugnaretur? Itaque non est ut hæc mihi probari possint. Idem Lucretii editor scripsit quoque, legi posse, *dextraque vegere*, quod haud magis stabit. Nam *vegere*, impellere est, *agitare*, ἐλαύνειν, &c. Quid autem fuerit, *Equites impellunt equos dextrâ*? At ipse Lambinus legebat, *dextraque vigere*, id est, uti ipse interpretatur, *dextrâ pugnare*; quod nihil ad rem. Quare his omissis ad veterem lectionem redeundum est,

est, cujus meminerat I. Baptista Pius, qui olim in Plautum & Lucretium scripsit; ait enim in MS. Cod. legi, *viere*; quæ germana Lucretii lectio est; unde enim id verbum advectum fuisset? *Vieo* autem est *flecto*, unde *vimen*, *vietor* & *vietus*; itaque *viere equum* est *flectere equum*. Virgil. *Flectere ludus equos*..... & alibi passim. Sed cum τὸ *dextra* locum retinere suum non possit, uti demonstratum est superius, & usus virgæ in moderando equo longe antiquior esse debuerit, quam usus frenorum, legendum esse videtur, ...

Quam moderarier hunc frenis, virgáve viere.

Quin & adulto jam orbe, & excultis artibus, satis constat Numidas infrenis equis usos fuisse. Virgil.

Et Numidæ infreni cinguntur.....

Sic enim intelligi debet ille locus; de quo si qui dubitabunt, legant modo Arriani politissimum *de Venatione* libellum, quem, me curante, & Luca Holstenio mittente, non ita pridem edidit Sebastianus Cramosius typographorum nostrorum clarissimus. Quanquam id ex Strabone etiam constat, & notum illud Martialis est,

Et Massybæum virga *gubernet equum*.

cui & addas licet illud Silii,

Et doctus virgæ *sonipes*.....

Sed me notarum acervos scribere nolim.

Ibid. Pag. 166. V. 18.

Et bijugo prius est quam bis conjungere binos.

Error manifestissimus, in superiori versu legebatur:

Quam bijugo *curru belle tentare pericla*;

Unde incogitans exscriptor, qui illa respexerat, effinxit nobis hoc portentum Latinitatis; quo enim alio nomine hoc vocarim? *Antiquius est conjungere bis binos equos quam bijugo*] Lege itaque, sed incunctanter,

Et bijugos *prius est quam bis conjungere binos*.

Id est, *Inventæ sunt bigæ ante quadrigas*. Sed res plana est, neque adversaturum quemquam arbitror.

Pag.

Pag. 170. V. 26.

Namque alid ex alio clarescere corde videbant.

Legendum plane est,

Namque alid ex alio clarescere corde videmus.

Est enim illius versûs confirmatio;

Sic unum quidquid paulatim protrahit ætas
In medium &c.

Adde quod ad priores illos *terrigenas* pertinere non potest, quod sequitur,

..... *ad summam donec* venere *cacumen.*

Ad nos itaque, atque adeo ad posteros à nobis longissimis intervallis dissitos pertinet. Itaque *videmus*, non *videbant*. Præterea propositio est generalis, ὃ μὴ καθ' ὅλα illud *protrahit*; dicendum alioqui fuerat, *protraxit*. Deinde, quis affirmet τὰ πάντα in artibus esse jam ad summum perfectionis cacumen perducta? nil certe tale Epicurus, nil Lucretius, qui pusillus Epicurus est. Restat tamen tantillulum quiddam scrupuli circa *corde*, inquies. At ego te pro auctoritate absolvo; ut enim dicimus (saltem ita plerumque loqui Lucretium nosti,) *animo videre*, *ratione videre*, &c. ut apud Salustium ac Ciceronem reperiri potest, *spes animi*, *judicium animi*, *metus animi*, & alia bene multa: ita *corde*, quod pro *animo* positum est, bene & ex veteris Latii palato positum est. Sed hæc emendationum non sunt: ad τὸ ἐξηγητικὸν, non ad τὸ κριτικὸν pertinent.

CAPUT

CAPUT IV.

PAGINA 171. V. 16.

Intellexit ibi vitium vas efficere ipsum,
Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quæ conlata foris & commoda cumq; venirent.

Socratici versus & βιαιοτελεῖς, si qui alii unquam scripti fuere, utinam modo in animis omnium hominum scripti illi forent. Sed in illo, *Quæ conlata*..... vitium est à nemine unquam animadversum, nedum emendatum ut fuerit. Corruptum esse facile ad probandum est. Quæ enim ista hæc oratio? [*Quæcumque conlata foris & commoda venirent?*] nemo non videat opus esse voce aliqua, cui cum *foris commoda* convenire possit: sententia enim hujus loci, prout hactenus legitur, nulla esse omnino potest, nisi hæc, quam verborum series postulat: Vas corrumpit quæcumque conlata & commoda veniunt.] Sed *commodum* & *conlatum*, quid simile, aut affine inter sese habent? Itaque legi debet:

Quæ con grata foris & commoda cumq; venirent.

Id est, *Quæcumque grata & commoda hinc illinc convenirent, &c.* Amat autem *tmeses* Lucretius, uti infinita in omni genere exempla fidem abunde facere possunt; quamobrem ea tantum proferam quæ circa præpositionem hanc memoria suppeditabit: alii alia congerent: In VI.

An con brachia suefaciunt, *firmantque lacertos?*

Ibidem paulo post:

Unde ea comprendunt inter se, con*que* gregantur.

In II. autem:

Sed complexa meant inter se, con*que* globata.

In III. denique:

Sed penitus pereunt inter se, con*que* putrescunt.

Pag.

Pag. 172. V. 3.

Quidve mali foret in rebus mortalibus passim,
Quod flueret naturæ vi, varieq; volaret,
Seu casu seu vi, quòd sic natura parasset.

MS. habebant *naturali*, unde nulla omnino sententia educi poterat; itaque legendum putavit Lambinus, *naturæ vi*; id quod sensum certe aliquem habere potest; quanquam ut mox videbimus, aliud quærendum fuerat. Gifanius autem plane admirabilis est, & lemniscatis corollis dignissimus. En tibi hominis ingenioſi & acuti verba: [*Ita hunc locum restitui: ex* naturali, *quod in veter. lib. est, feci* naturai, &c. *alii locum hunc violarunt.*] Quid tandem, Lector? tibine apertior & dilucidior videtur? Mihi certe non item. Quin & lectionem illam qui intellexerit, is plane imperitissimus sit, vel amens necesse est. Et tamen quasi res in vado constituta fuerit, exultat Gifanius, *alii hunc locum violarunt*, inquit. Papæ! Magnam vero pugnam pugnavit; ex *naturali*, quod antea nequibat intelligi, fecit *naturai*, quod intelligi itidem nequeat. Facinus hercle fecit omnium Gifanianorum testulis dignum. Sed ad Lucretii mentem aditum tentemus; ratio fortasse conatum nostrum adjutabit: Sic igitur proponit & partitur Poeta: *Quidquid mali est in rebus mortalibus, id omne vel à casu est, vel à natura profluit; &, quantacumque malorum, cladium, calamitatumque agmina persenseas, ea nusquam referenda fuerint, quam ad illa duo capita. Nam præter casum & naturam, quò confugies aliò? quid erit tertium?* Deus, inquies; sed nihil ad Epicurum: Epicuri deus, ut ingenioſe bis terve à Tertulliano dictum fuit, *pene nemo est*. Hinc itaque jam intelligis clarissimi Lambini emendationem stare haudquaquam posse. Dein, quod perquam foret vitioſum, in hoc ipso versu diceret Lucretius, quod in sequenti tantum dici debuit,

Seu casu, seu vi, quòd sic natura parasset.

Sed cur ea mala, quæ naturalia sint, ut fieri dicit? Nimirum lex naturæ, necessitas naturæ, fœdera naturæ,

turæ, vis est, quam eluctari, quamque eludere non possis; Itaque scribit, *vi, quod sic natura parasset?* quia nempe ita res nostræ à natura comparatæ fuerunt, ut multa humani generis conditioni annexa incommoda sint, &c. Quamobrem nec *naturali*, nec *naturæ vi*. nec Gifanianum *naturai*, locum habere ullum in priori versu potest. Legendum autem arbitror, conjectura neque socordi, neque aliena à mente & scribendi ratione Lucretiana,

Quod flueret permananter, *varieq; volaret*,

quale illud in VI. est huic dicendi generi plane simile.

Usque adeo permananter *vis* pervolat *ejus*.

Vides, *pervolat permananter*, hic autem, *fluit permananter* & *varie volat*. Nisi autem mihi satis placeret hæc emendatio, aliam quoque Lucretiano stylo conformatam facile proponerem; sed haud necesse est; nisi tamen me illius non pœnitet:

Et flueret permutatim, *varieque volaret*.

Sic Horatius de Fortuna,

Permutat *incertos honores*
Nunc mihi nunc alii benigna.

Permutatim certe non minus de natura dici posset quam de casu: Nam permutatim & varii morbi, dolores, obitus, &c. modo ad hunc, modo ad illum adeunt, uti exilia, repulsas & clades solet casus modo in alios, modo in alios immittere.

Pag. 174. V. 5.

Nam aut cadere abrupto deberent pondere pressæ
Ut Lapides.....

Ita in veteribus nostris, inquit Gifanius; *vulgati*, cadere aut bruto deberent pondere pressæ, *perperam*] bis redarguendus: nam, primum, eam emendationem à Lambino habebat, quod, pro suo, illo candore solenni scilicet, dissimulavit: Tum, quod alternum est, pessime judicavit; sed hoc ei cum Lambino commune nunc quidem fuerit. Uterque igitur in eo lapsi sunt, quod dici posse *pondus abruptum* existimavere; &

men non poteſt. Nam exempla quidem quæ proferri poſſint, ut, *abrupti nubibus ignes*, Virgil. &c. ita aliena ſunt, nil ut ad confirmationem illius lectionis facere poſſint. Deinde nec ratio quoque unquam patiatur, ut dicamus, *nubes preſſæ abrupto pondere*; ſi enim abruptum eſſet pondus (quando nos ad eum modum loqui jubent) tum nubes non premerentur. Inſuper non convenit τὸ *abruptum* cum allato lapidis exemplo, qui hoc loco proponitur cadens ſuopte motu, ſine omni vi externa, ſine impulſu, εἰσβολῇ, καταβολῇ, &c. quamobrem legendum, ut in lib. quoque MSS. legitur,

Nam cadere aut bruto *deberent pondere preſſæ*
Ut lapides; aut, ut ſumus, conſtare nequirent.

Bruto autem *gravi* eſt. Feſtus: *brutum antiqui gravem vocabant.* Unde & Horatius

Quo bruta *tellus, & vaga flumina,*

Quin & in excerptis ex Donato etiamnum ad Andriam Terentii in hæc verba AMOTO METU] legitur: *Sic dixit, quaſi metus ſit* CORPUS BRUTUM, *quod cum molimine moveatur.*

Ibid. Pag. 174. V. 18.

Diverſo motu radentes corporis tractum.

In quibuſdam, *corpore tractum*: male. Giſanius autem legit *corporis tactum*; additque, *Tactus corporis, pro corpore, tactus animi, pro animo.* Nugæ, ut in Notis apparebit, ſi quid mutatum velim, legam,

Diverſo motu radentes corpora tractim:

Sed nihil neceſſe eſt.

Pag. 178. V. 8.

Præterea perſæpe niger quoq; per mare nimbus,
Ut picis è cœlo dimiſſum flumen, in undas
Sic cadit & fertur tenebris *procul*, &c.

Fateor, neque me illius pudet, non intelligo quid hoc ſit negotii, *Nimbus fertur tenebris procul*; ſed hoc me beat, Lector, quod nec tu fortaſſe, imo, certa res eſt, non intelligis. Quid autem, donec plus ingenii, & tu & ego habeamus, vel certe meliorem magiſtrum nacti

nacti fuerimus, quid, si legeretur, *& fertur terris procul?* Non ita, ut opinor, male; cum scilicet antea occurrerit, *persæpe niger quoque* per mare *nimbus:* Nautæ vero quanto *à terris* absunt longius, tanto et iis á tempestate gravius periculum est, quippe qui in tutum se vix satis tempori recipere possint.

Pag. 179. V. 5.

Quo de concussu sequitur gravis imber & uber,
Omnis uti videatur in imbrem vertier æther,
Atq; ita præcipitans *ad diluviem revocare.*

Monet Interpres, horum versuum postremum à Prisciano in V. grammatices productum fuisse: quod fortasse tanti non est, ut anxie quæratur: de primo quidem affirmare possum: de tertio autem, non ausim. Sed, ut ut sit, quomodocunque olim tertius ille lectus fuerit, mendum in eo esse arbitror; nec tu, aliorsum ibis si mecum otiose & placide seriem verborum ipsorum attenderis: [*Aer videtur in imbrem verti, & revocare ad diluviem.*] Nihil sentis? poteras tamen. Quid enim? ille aer, quos, quas revocare videtur? Ecquid dubitas quin vox aliqua exciderit, quæ in quarto casu esset? Deinde ad quam diluviem? Ogygiamne an Deucalioneam? Quamobrem à me non est ut impetretur, quin pro

Atq; ita præcipitans *ad diluviem revocare,*

legi oporteat,

Atq; ita Pyrrhæ nos *ad diluviem revocare;*

Horat. in I. *terruit urbem,*
Terruit gentes grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ, *nova monstra questæ.*

Pag. 180. V. 35. Quæstionem solennem de crebrioribus fulminibus hac potius quam illa tempestate sic exponit:

Auctumnóq; magis stellis *ardentibus alta*
Concutitur cœli domus undique, totaq; tellus:

Error manifestissimus: sed quam ille manifestissimus est, tam certissima emendatio est, quæ olim Notis Phædri nostri inserta fuit: Ita igitur ibi scribebam. [Faciet autem hoc mendum in Phædro animadver-

ſum & ſublatum, faciet, inquam, ut inſignem Lucretii locum in VI. quem vitiatum eſſe primi animadvertimus, purgare aggrediantur. Cui enim potius quam tanto poetæ, quippe omnium elegantiorum hominum ſtudio ac cura digniſſimus ſit, operam navatam oporteat? Verſus, queis de agitur, hi ſunt,

Auctumnique magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur cœli domus undique, totaque tellus.

Sed, Lector humaniſſime, hoc, niſi moleſtum eſt, ex te quæſitum velim, quid hoc ſit, *domus cœli & tellus concutitur ſtellis fulgentibus?* Nugæ, meræ nugæ; nam præter ſonum & granditatem ſublimitatemque verborum, nil quidquam frugis eſt. Cum autem ibi à poeta doctiſſimo poſita ſit quæſtio hæc, *Cur auctumno & verno tempore frequentius tonare videamus:* quis neget legendum eſſe,

Auctumnóque magis telis *fulgentibus alta*
Concutitur cœli domus undique, totaque tellus.

Tela autem *fulgentia*, fulmina ſunt, Virgilii, Horatii, Ovidii, atque adeo omnium poetarum teſtimonio: neque me in proferendis γυμνάσιοις longarum ῥήσεων laſcivire, & otio abuti juvat. Quin & Herodotus alicubi (certus dico) fulmen vocavit θεῦ βέλος *telum Dei.* Error autem adeo fœdus, *magis ſtellis*, ortus eſt, quemadmodum ſubindicavi modo, ex ὑφενώσεως ſeu conjunctione harum vocum, *magis-telis*, unde poſtea diviſim ſcriptis, & geminato S concinnarunt ineptam hanc & ridiculam lectionem, quæ porro omnes editiones invaſit.]

Pag. 186. V. 36.

In loca ſe cava terræ conjecit, ibique
Speluncas inter magnas *fremit ante tumultu.*

Legendum neceſſario, ſeu MSS. annuant, ſive abnuant,

.....magno *fremit ante tumultu.*

Pag. 188. V. 22.

Nunc ratio quæ ſit per fauces montis ut Ætnæ
Exſpirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam; neque enim media de clade *coorta*

Flammæ

Flammæ tempestas Siculûm dominata per agros,
Finitimis ad se convertit gentibus ora.

Hunc quoque locum corruptum esse olim ad Phædrum ostendimus. Hæc ipsa verba fuerant. [Verum quando ita factum est, ut jam solennem notulis modum egressi simus, locum quoque alium Lucretii (lib. VI.) emendabimus: nam ab eadem origine, qua superiores, corruptus est. Versus incomparabiles poetæ sunt,

Nunc ratio quæ sit, per fauces montis ut Ætnæ
Exspirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam; neque enim media de clade coorta
Flammæ tempestas Siculûm dominata per agros,
Finitimis ad se convertit gentibus ora.

Quid est *media clades*, lector? Neminem sane usque adhuc videre contigit, qui exposuerit: neque adeo mirum; locus enim est plane deperditus. Et tamen debuerant Interpretes errorem animadvertisse. Sed, uti dicebam modo, corruptus locus est ab eadem causa, quæ à me superius memorata est; nempe propter reduplicationem literæ M, ἐν τῷ *Enim*; unde per socordiam exscriptoris factum est *enim media*, & mox (quippe iftis pulmoneis hominibus hæc mirifica videbantur) *enim media*, quod nullum sensum habet; namque scripserat aliter Lucretius,

.....*neque enim* diâ *de clade*, &c.

Dia tempestas (explicatione enim dignissimum locum judico) est tempestas διόπομπος, ut loquitur Diodorus, seu διήλατος; quasi diceret Lucretius, Quæramus nunc quid causæ sit quamobrem olim flammarum tempestas totam Siciliam pervastarit; neque enim putandum est Deos tantam vim incendii in insulam importasse.] Quippe nemini, qui veterum philosophorum sectas perspectas habeat, ignotum est, existimasse Lucretium & cæteros Epicuri sectatores, non oriri isthæc ἐκ διοικήσεως, & ultrice Deorum providentia, quam impugnabant, sed ea omnia causis naturalibus niti. Unde & ille alter συνδιασώτης τῶν αὐτῶν λήρων scripsit alicubi,

 .....credat

.....credat Judæus Apella,
Non ego; namq; Deos didici securum agere ævum;
Nec, si quid miri faciat natura, Deos id
Ex alto cœli tristes demittere tecto.]

Hæc olim: queis addas licet apud Xenophontem in libello περὶ τῆς τῶν Ἀθηναίων πολιτείας, illiusmodi calamitates dici, ὅτι Διὸς ἔστι. pag. 699. edit. Aubrianæ.

Pag. 191. V. 19.

Qualis apud Cumas locus est montemq; Vesevum,
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

Hic vero locus est, qui, si quis alius, viros doctissimos misere & anxie torsit; videamus & nos quoque, etsi longe infra illos positi sumus, an aliquid afferre possimus, quod tolerabilius videri queat, quam quod ab iis usque adhuc ad illorum versuum emendationem allatum est. Variantiæ lectionum multæ sunt; quas inter una est quæ ad verum ducere videtur, sed nil tale præstare potest: Aliæ autem, quæ prorsus alienæ possunt & ridiculæ haberi, illæ ipsæ sunt tamen, quarum ope ad veritatem penetrabitur. Sic igitur sese habent:

Is locus est Cumas aput & visui per montes.
Is locus est Cumas apud ocris voper montis.
Is locus est Cumas aput ejus sub pede montis.
Is locus est Cumas aput etruscos sub montes.
Is locus est Cumas aput etrisui per montis.

Lambinus sib legendum putavit,

Qualis apud Cumas locus est montemq; Vesevum.

Ibique hæc scribit. *Cum perspicuum sit autem, Lucretium instituisse disputationem non de uno certo averno, sed de omnibus & de genere avernorum: in hac sententia sum, à qua deduci non possim, neque hunc versum, neque eum, qui deinceps sequitur, esse Lucretianos, sed ab aliquo inepto inculcatos, & fortasse ex aliqua annotatiuncula ad oram libri adscripta natos. Quid enim ineptius, atque adeo absurdius, quam, posteaquam de toto genere avernorum mentionem fecit, ut dixi, hos versus subjungere,* * Is locus est Cumas, &c. *quibus ostendat,*

dat, se de uno averno locuturum esse? Vel igitur non sunt Lucretiani, (quod verius esse puto) vel principium versus ita est emendandum, quemadmodum excudendum curavi:

Qualis apud Cumas locus est montemque Vesevum,

ut intelligamus, Lucretium, avernorum genere explicato, singularis averni, ejúsque noti exemplum proponere voluisse. Hunc avernum autem non longe abesse à Vesevo, seu Vesuvio monte, & Cumis constat si quis tamen mallet legi, montemque Misenum, *non pugnabo. Cum hæc aliquot annis ante quam Adr. Turnebus Adversariorum libros edidisset, scripsissem & divulgassem: is ex antiqua scriptura, quam reperiri dixi in cod. Memmiano, conjecit legendum esse,*

Is locus est Cumas apud ocris vipera montis.

Nunc igitur hanc Turnebi conjecturam paullùm immutatam sequor, ut proxime ad scripturæ veteris sententiam accedentem. Propter eam rationem autem, quam initio exposui, sic eam immuto,

Qualis apud Cumas est ocris, *&c. non enim loquitur de uno certo averno, sed de genere avernorum, ocrem, ut docet Festus, montem confragosum vocabant. Viperam porro montis Ætnæ dicit avernum quasi pestilentem, & exitiosum, ut interpretatur Turnebus. Omnino hi duo versus, quantumvis licet ita immutati, &, si ita vis, sic emendati, mihi suspecti sunt. Jam Pompeii oppidum, non longe abest à monte Vesuvio & Cumis*] De illius sententia posterius videbitur quid sit sentiendum: Turnebus autem legebat,

Qualis apud Cumæ est ocris vipera montis.

Sic rationem conjecturæ suæ exponit in Adversar. lib. 22. cap. 18. [*Versus est libro sexto* Lucretii *insigniter maculosus, cum de Averno disputat:*

Is locus est Cumas apud Etruscos & montes.

Pompeii calidis ubi fumant fontibus aucti.

Quis enim in Ethruria putet esse Avernum, quem in Campania uno ore omnes esse fatentur, neque est quisquam qui ignoret, nisi qui nondum ære lavantur. In libris

ævi veteris reperio ſcripturam, quæ Sibylla egere videatur, eriſui per montes: *quam cum ego omnem in partem veterem, ſuccurrit ſcriptum fuiſſe videri mutatus aliquot apicibus*, & Veſui per montes; *ſed ne hoc quidem ſatis placuit, quod immutatio ad Ovidianam pene metamorphoſin referri poſſit: ſecunda navigatione, ut in proverbio eſt, placuit tentare pelagus, & aliud quiddam probabilius periclitari, quod eodem modo ac voces veteris codicis in auribus ſonaret; puto igitur Lucretium ſcripſiſſe*, ocris vipera montis. *Ocrem enim Pompeius, quæ vox Græca eſt, aſperum interpretatur, & montis epithetum perſpicue fatetur: neque explicandam eam vocem ſuſcepiſſet, ſi à nullo Latino auctore uſurpata fuiſſet. Credo autem Avernum viperam dici, ob loci peſtilentem naturam & venenatam diritatem, non minus noxiam & exitioſam, quam aſperrimi ſit montis vipera. Nam etſi viperæ ſunt omnes uno nomine lethiferæ, tamen locorum conditione virus earum importunius eſt & tetrius.*] De hoc & infra agetur. At vero Gifanius hæc habet, quæ ordine ſuo infra à nobis examinabuntur, quando hoc opus pertexendum eſt ſedulo & diligenter. Utinam modo id ne irrito conatu aggreſſi fuerimus. [*Ita v. l.* is *id eſt, ejus generis*, montis, *id eſt, montes, ut infr.* 128. 31. montes Heliconis. *vulg. hæc per ſciolos depravata ſunt. f.* prope *leg. pro* per. *certe* lacus *poſui pro* locus, *ut apud Feſt.* Curtii. *Lamb. bos* 3. *verſus* ὀϱειλίζει.] Sed his omnibus addendum quoque illud eſt, quod me nuper amicus quidam meus à Salmaſio ſcriptum eſſe monuit in Epiſtola quadam ad V. Ill. I. Fredericum Gronovium clariſſimum Academiæ Leydenſis ornamentum. [*Pro corollario & mantiſſa addam ex eodem libro verſum deſperatiſſimum, in quo Viri eruditi fruſtra diu deſudarunt, feliciter ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ à nobis, præſiſcine dixerim, reſtitutum:*

Qualis apud Cumas eſt ocris vipera montis,
Pompeii calidis ubi fumant fontibus auctus.

Ita noſter Lambinus edidit à conjectura Turnebi, cum ipſius

ipſius libri haberent, ut tuus ille quem vidiſti:

Is locus eſt Cumas aput acri ſui per montes
Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti.

Vide ſis an divinus ſit, conjiciat legendum:

Is locus eſt Cumas apud, acri ſulpore montes
Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti.

Scis in illo codice, ut & antiquiſſimis quibuſque, L pro I & contra ſæpe occurrere. Cum igitur ſcriptum eſſet acriſui pore *pro* acri ſulpore, *ex eo factum*, acris vi per montes. *Non commendabo tibi pluribus hanc conjecturam. Per ſe bonitas ejus patet. Sed nec verbum amplius addam.*] Nunc in tot tamque diſtractis ſententiis, quid arguendum, quid probandum, ſigillatim videamus. Primum optime judicavit Lambinus τὸ IS eſſe corrum, neque ulla ratione locum in eo verſu habere poſſe; uti ex iis apparet, qui contra Giſanium dicuntur. Sed in eo graviter lapſus eſt vir doctus, quod Veſuvium montem juxta Cumas ſtatuerit qui 19. aut 20. plus minus millibus paſſuum ab illa urbe, quæ nunc modicum caſtellum eſt, diſtet. Dein, quòd Turnebi ſententiam poſſe defendi exiſtimavit, qui legeret.

Is locus eſt Cumas apud ocris vipera montis,

id quoque ex iis eſt quæ reprehendi debeant. Nam quod ibidem *Ætnæ* montis &c. meminit, aliud in animo habebat, cum vel pueri ac mulierculæ ſciant Ætnam in Sicilia, non in Campania eſſe; videlicet de Veſuvio cogitabat, qui ut Ætna, *ignivomus* eſſet: unde & animi ſpecies impulſæ & mixtim confuſæ. Sed eſt tamen & aliud quod in eo virgula cenſoria notari debuit; qui dicat ſcilicet, urbem *Pompeios* non longule à Cumis abeſſe: fallitur; remotior enim illa eſt quam ipſemet Veſuvius.

De Turnebi verò ſententia, non eſt quod quidquam dicendum arbitrer, ita ab omni veriſimilitudine abhorret. Quis enim unquam putet, uti ab illo ſcriptum eſt, Avernum lacum vocari poſſe *viperam montis?* Idque venire in mentem tam docto tamque eleganti

homini potuisse, nequeo satis mirari. Est etiam præterea, in quo peccat, nec vero leviter; qui scilicet crediderit τὸ *ocris* epithetum esse montis: id quod à nemine unquam probari posse satis confido; cum videam huic voci *ocris* adjunctum epithetum fuisse ab eo ipso auctore cujus testimonio sese tegere possit: quod non fieret, si *ocris asperum* significaret. Exempla ipsa Livii Andronici fidem dictis fecerint:

Sed quei sunt istei quei arscendunt altem ocrin?

& alibi: *Celsosque ocris.*

Addit præterea Turnebus [*Festus Pompeius montis epithetum esse perspicue fatetur*] non sine errore id quoque: nam cum legisset apud Paulum (non autem Festum, uti mox constabit) *ocrem montem confragosum dicebant antiqui*, existimavit distinctiunculam statuendam esse post τὸ *montem*, cum contra sic scribendus ille locus sit: OCREM, deinde ἐξηγητικῶς, *montem confragosum vocabant antiqui.* Nam Festus quidem ipse, qui haud dubie ob oculos non habebat cum ea scriberet Turnebus, rem, qua de agitur, extra omnem dubitandi locum statuit: sic enim scribit: OCREM *antiqui, ut Ateius Philologus in libro glossematorum refert, montem confragosum vocabant.* Itaque cum *ocris* montem significet, mirabilis vero Turnebi lectio videbitur: nam *ocris vipera montis*, nihil esse aliud poterit, quam *montis vipera montis*; indignum tanto viro. Verum quid fiat? homines sumus. Sed in versu sequenti, de quo in Notis,

Pompeii calidis ubi fumant fontibus aucti;

itidem circa *Pompeios* erravit atque Lambinus: uti ex alio quodam Adversariorum loco ostendam alibi. Et hæc quidem adversus viri clarissimi sententiam.

Nunc ad Gifanium; *Certe*, inquit ille, lacus *posui pro* locus. Id quod verum est; sed si rem paulo consideraſſet diligentius, aliquantulo plus judicii eo die habere visus esset quam fortasse pridie habuerat; versus enim proxime superior eam emendationem respuit, ut probat quod mox de altero illo aorno scribitur,

neque

neque enim *lacus* erat in arce urbis Athenienſis. Dein lacum de quo agitur, ad Veſuvii radices ſine incili traduxit, ſine hauſtris tranſvexit, quæ res hodie haud facile fiat. Quod autem addit, legi poſſe etiam *Veſuvi prope montes*; nihil agit tamen; ea enim conjectura hominem minime extricabit.

Poſtrenus omnium eſt Salmaſius. Illius emendatio eo minus placet, quod cum tot tamque diſſimiles ſcripturæ varietates ſint, unam tantum agnoſcit. Dein τὸ ἄορνον in monte Cumano ponit, quod verum non eſt; nam ἄορνον erat in lacu, aut certe in ſpelunca quæ lacu cingebatur. Quod ille cogitare debuit; ego autem ex Geographis veteribus & Virgilio ipſo probare poſſem.

His ita examinatis, ſententiam meam, certe ut habeant quod in me ſcribere poſſint, quibus id, ſi forte, cordi fuerit, aperiam. Memini me in exordiundo hoc negotio dicere, omnium illarum lectionum, quas ibi expoſui, eam eſſe maximo uſui poſſe, quæ maxima ridicula, maximeque falſa videretur: Contra autem, quæ manifeſtiora veri indicia præ ſe ferret, ex ea nil niſi falſum poſſe protrahi. Quis enim, niſi poſtea diffidere cœptet, ex illa depravatiſſima ſcriptura [*ecviſui per montes*] non continuo exclamet, commode effici poſſe [*Veſuvi per montes?*] unde poſtea effingatur, *montemque Veſevum*--quod antea tamen ſatis refellere viſi fuimus. Contra autem, illa, [*Etruſcos per montes*] unde cæteræ manarunt, planiſſimè falſa eſt, cum Etruſci in Campania & circa Cumas non ſint, non magis quam Armorici in Turonibus; & tamen monſtrum illud lectionis ad ſtabiliendam conjecturam vel maximo erit adjumento. Eam jam apponemus, pedetentim progrediundo. Primam totius antiquitatis teſtimonio conſtat, Cumas in Campania coloniam Euboicam eſſe; quod Livius, Strabo, Dionyſius, Paterculus, ut ne alios appellem, probabunt: Quæ una res emendationis, ſeu conjecturæ mavis, fundamentum ſubſtruet. Nam, quod uſque adhuc in-

vius

vitus feci, ne te morer amplius, pro

Is locus eſt Cumas apud Etruſcos per montes

(quam ego lectionem corruptam quidem ipſam arbitror, & cæteras omnes ex ſeſe progenuiſſe;) facile putarim eſſe legendum,

Ut *locus eſt Cumas apud* Euboico ſub monte.

Eamque unicam ſi putes lectionem eſſe & veram; tutam certe eſſe, & ab omnibus objectionibus, quæ contrà cuncti doctorum hominum conatus afferre poſſunt, ſecuram aſſerere poſſe videor. Videlicet homines imperitiſſimi, quibus hunc tantum ſcriptorem debemus, cum Euboeam in Græcia eſſe inaudiſſent, & tamen de *monte Euboico*, quaſi ſi in Italia ſitus eſſet, mentionem à Lucretio fieri viderent, ingenioſiores quam par erat fuerunt, & pro *Euboico*, ſcripſerunt *Etruſco*, quidni enim Etruſci in Italia ſunt, ſcilicet quorum audaciæ, prudentiæ, ſolertiæ, facinora apud omnes fere ſcriptores pæne innumera ubique reperies? Cæterum qui à Lucretio *Mons Euboicus* dicitur, is à Virgilio, qui perpetuo Lucretii veſtigia preſſit, *Euboica rupes* dicitur; (nam verſus in VI. Æneidos notiſſimi ſunt,) ut Claudiano *Cumana rupes*; collis videlicet, cui olim impoſitæ Cumæ fuerunt. Hæc erant, Lector, quæ ad hunc locum ſcribenda exiſtimavi; quæ, ſi nihil aliud, iis certe meliora & tutiora ſunt, quam quæ à Turnebo & aliis allata fuere. Nam quod Interpres exiſtimavit debere hos tres verſus ὀβελίζεσθαι; non poteſt, cum id, quod mox de aorno Attico addit Lucretius, planiſſime probet, jam antea exemplum aliquod præmiſſum fuiſſe; Id enim ni eſſet, qui tandem potuiſſet dicere, *Eſt* QUOQUE *in arce Attica*, &c.

Eſt ET *Athenæis in montibus, arcis in*, &c.

Addam unum quiddam; in verſu ſequenti, ubi de fontibus, &c. non intelligi Stabias, ut à nonnullis ſcribi memini, ſed Baias; Stabiæ enim à Cumis remotiores etiam erant, quam *Pompeii*, de quibus antea dictum.

Pag.

Pag. 191. V. 18.

In Syria quoq; fertur item locus esse *videri*
Quadrupedes quoque quo *simul* ac *vestigia primùm*
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa,
Manibus ut si sint divis mactata repente.

Omnino locus est perplexus & impeditus, ait interpres: addo etiam ego, versum illum secundum corruptum esse; in eo enim τὸ *quoque* nil loci habere potest; tertium autem solœcismo inquinatum esse aio: nam quod ad *mutationem generis*, unde isti figuram fecere, vulgo confugitur, id ab hoc loco abhorret: neque, quod non observant, ejusmodi licentiam omnia exempla admittunt, ut aliquando demonstrabitur. In primo autem quid est, *fertur esse videri?* Sed conjecturam meam aperire satius sit, quam longùm loqui. Hos tres versus ab una eademque origine depravatos esse arbitror, ex glossemate scilicet τῷ *videri*; quod cum hoc loco non pro δοκεῖν, ut fere semper, sed pro *esse* positum sit, ideo τὸ *esse* ad illam vocem apposuere; quod mox ipsummet versum irrupit, ut ubique factum esse exempla probant. Hinc autem cum longior æquo versus evasisset, cætera pro ingenio librariorum torta, detorta fuere; ut mox apparebit. In secundum autem cum illud *quoque* (id negari haud potest) migrasset, cætera item tanta labe contacta fuerunt, ut in tertio solœcismus repente enatus sit. Lego itaque,

In Syria quoq; fertur item spelunca *videri*
Quadrupedum quo sæcla *simul vestigia* prima
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa,
Manibus ut si sint divis mactata repente.

Elegantiores homines, si rem diligenter seduloque inspexerint, hanc nostram, spero, emendationem non plane contemnendam esse arbitrabuntur.

Pag. 192. V. 26.

Nocturnúmq; recens extinctum lumen ubi acri
Nidore offendit nares, consopit ibidem,
Concidere ut privos qui morbos mittere suevit.

Me imprudente factum est, ut tertius in hac nostra editione versus omissus fuerit, cum ex eo exemplari, quo uti typographum jusseram, ex auctoritate Lambini sublatus fuisset. Lambinus enim eum minime Lucretianum esse existimavit: Turnebus contra. Eos itaque audire non absre fuerit; idque ubi erit factum, tum quid de hoc versu sentiam, quaque arte sanandus videatur, ostendam. Primæ in hoc operoso dramate partes Lambini erunt; sua enim diligentia effecit, ut dignus videatur, qui tecum primus agat. [*Hujus versus ita varia & multiplex scriptura est, ita absurda, atque adeo obscura sententia, ut verisimile sit, non esse Lucretianum, proponam igitur lectori scripturæ varietatem: hoc primum: deinde quid de hoc loco sentiam, dicam. Sic igitur habent quidam libri manuscripti; in his Tettianus:*

Concidere & fumos qui morbo mittere suevit;

Vaticanus sic:

Concidere & primos qui monstro mittere suevit:

Memmianus sic:

Concidere ut pronos qui morbos mittere suevit:

cum quo consentiunt quidam vulgati. Lugdunenses & Florentini sic:

Concidere ut pronos, qui morbos mittere suevit:

Parisienses sic:

Concidere & primos qui morbos mittere suevit:

Aldini antiqui sic:

Concidere & primos, qui morbo mittere suevit:

Basilienses sic:

Concidere ut pronos qui morbo mittere suevit:

Jovian Pontanus sic legebat:

Concidere ut primos qui morbo mittere suevit:

Ad oram codicis Memmiani sic emendatum est:

Concidere ut spumas qui morbos mittere suevit:

Quidam amicus meus sic:

Consopit spinus, qui morbos mittere suevit.

Spinus autem lapidis genus est apud Theophr. Vides, lector, nihil esse certi, in quo insistere queas. Nunc, quid

quid sentiam de hoc loco, exspectas ut dicam. Delendum nam neque Lucretianum esse arbitror; & ausim affirmare ex aliqua annotatiuncula adscripta natum. Sed si quæras, quam potissimum harum scripturam probem: nulla mihi probatur: est tamen aliqua species in hac,

Concidere, ut spumas qui morbo mittere suevit.

quamquam agere spumas *dicimus, non* mittere] Hæc ille. Nunc procedit Turnebus ex Adversar. lib. 26. cap. 13. [*Lego etiam,*

.....consopit ibidem

Concidere ut fumos qui morbos mittere suevit.

Antiqua antigrapha pumos *habent, unde* fumos *facio. Consopit autem concidere, est ita consopit ut concidere faciat.*] Quamquam apud me semper, uti debet, magna Viri Clarissimi auctoritas fuit, tamen non possum facere, ut ei concedam, cum asserit, dici belle posse *consopit concidere*; Deinde, indigna tanto viro sententia in versu fuerit; nam *fumus qui morbos mittere suevit*, aut, (est enim ἀμφιβολία in illa lectione) *morbus qui fumos mittere suevit*, non satis expresse, nec παρρήσιον enunciatum fuerit; opus enim est exemplo quod familiare & obvium in hac materia sit. Sed alius quidam in scenam venit, qui omnia, si fides homini est, & plana & detersa dabit. Audire est operæ pretium; σίγα πᾶς:

Ecce φέναξ, ἅρπαξ, prodit κλυτὸς Αἰσβόμβαξ,
Autolyco proles non inficianda parenti;
Οὐ γὰρ κλεπτοσύνῃ τοίη πατρός ἐστ' χερείων,
Νύκτωρ ἢδ' ἦμαρ κλέπτων χερσίν τε ποσίν τε.

Ex signis hominem noscitas; Gisanium,
Lavernæ pullum, dico; nunc itaque cave;
Sique potes, manibus pallium tribus tene.

Is, ut semper admirabilis fuit, sic, in editione sua, legendum contendit:

Dejicere ut privos qui morbus sæpe suevit.

Et quasi negotium hoc intricatissimum, ὦ, ζεῦ καὶ θεοί, confragosum & desperatissimum, duobus verbulis tran-

transigi queat, *Ita*, inquit *ex veteribus libris* OPTIME A NOBIS RESTITUTUS EST LOCUS; *vide* (hominis verba sunt) *infra* pag. 226. v. 19. Bene hercle, dicebam olim, ὦ, νῦν Δῖα, καὶ ὑπέρφ, quod nos monitos voluit, locum hunc *optime à se restitutum* fuisse. Ni enim affirmasset ipse, haud ita facile crederem, qui sim duriusculus καὶ ἄδεγκτος; sed est *alius* quidam, κατ' Ἐξοχὴν dico, qui mihi nunc æque carus est atque egomet sum mihi, à quo metuo male ut hoc Gifanii judicium reprehendatur, juréne an secus, judex sedebis, Lector. Primum, (inquit ille noster, aut pæniſſime ego,) miror quo exemplo sibi tantum licere postulet Gifanius, ut ex *concidere*, quod nihili est, immo *minus nihilo*, effingat illud suum *dejcere* seu *dejicere*: neque enim illa Latinitas tantopere bella est; *morbus Titium dejecit*. Deinde cum pro *mittere*, uti in omnibus libris legitur, scripsit τὸ *sæpe*, rem audaciæ palmariæ fecisse videtur. Præterea ex certo quodam morbo, non enim ex omnibus, sumptum à Lucretio exemplum ut fuerit necesse est; omnes enim omnino morbi, qui paulo acriores sunt *hominem dejicere* solent (Gifanii Latinitas est) & in lectum transdere; sed omnibus morbis gravis ille sopor, unde emergi non potest, comes non sit. Postremo undenam ostendet, vel si universum Latium à Numa ad Ciceronem usque otiose perlustrarit, (neminem enim citra Ciceronem veræ & germanæ Latinitatis auctorem agnosco) vocem hanc *prives*, *privas*, &c, sine aliquo nomine adjecto repiriri? (quasi si dicas privos homines, privas feras, priva vestigia, &c.) ubi tandem id reperiet? nam illud ipsum exemplum, quod in animo habebat, quodque ab illo designatum est, illi haud favet: ibi enim legitur, *privus ad* partes *subtiliter insinuatus*, &c. sed aliud probandum fuerat, quam quod probare instituit; nam quod in illo Indice suo, qui ex Lambinianis lucubrationibus crevit, tanto conatu ostendit quid sit *privus*, operæ potuit parcere; cum nec obscura nec difficilis res sit; nec

ab

ab interpretibus Horatii negligenter tractata. His itaque omissis ad emendationem nostram aditum moliamur. Ea autem hoc nititur fundamento maxime, (id enim ratio monet) quod ex nulla alia re similitudinem ducere potuerit poeta, nisi (quod haud probandum) ex lethargo, de quo in III. dixerat,

Interdúmque gravi lethargo fertur in altum
Æternumque soporem, &c.

& inferius paulo,

Adde quod in nigras lethargi mergitur undas.

Cumque ita judicium postulet, uti superius innuebam, majorem jam & potiorem hujus versus partem videri possumus hinc constituisse; legendo scilicet ex vestigiis variantis lectionis,

.....ut somnos qui morbos mittere suevit.

Ille autem morbus esse alius non potest, κατ' ἐξοχὴν dico, quam lethargus. Sed enim illo *concidere* quid fiet; Id videndum scilicet; sique res erit prolixior paulo, ne te, quæso, ejus tædeat. Sic igitur existimo; esse hic debere palillogiam, qua figura & Catullus, & hic noster & Ovidius delectantur maxime; sed Lucretius usu suam fecerat, ut exempla probabunt.

In III. *Omnia nos itidem depascimur* aurea *dicta*,
Aurea, *perpetuâ semper dignissima vitâ.*

In V. *Suppeditare novum lumen, tremere omnibus* instant,
Instant, *nec loca*, &c.

Ibid. *.....proluvie lavere* humida *saxa*,
Humida, &c.

In VI. *Et quæ concrescunt in nubibus* omnia, *prorsum*
Omnia, *nix, venti, grando*, &c.

In I. *Vlla foris, atq; ipsa suis è partibus* unum,
Unum, *in quem cœpere locum*, &c.

In II. *Relliquiæ motus vitalis* vincere *sæpe*,
Vincere, *& ingentis plagæ sedare tumultus.*

Multa alia proferri possunt; sed ut finem aliquando faciam, hos tres versus sic esse scribendos conjicio:

Nocturnumq; recens extinctum lumen ubi acri

Nidore

Nidore offendit nares, conſopit ibidem
Nidore, *ut* ſomnos *qui morbus mittere ſuevit.*

Videlicet ex *pronos* ſeu [pronos, uti patrum noſtrorum memoria vulgo ſcribebant, feci *ſomnos* quæ vox ita plerumque exarabatur [ſõnos] cum lineola tranſverſa ſuper τὸ *m*, aut etiam, ut hodieque fit, *ſõnos*. Itaque vel minima licentia locus hic aut reſtitutus eſt, aut certe non ſine judicio tentatus. Qui ingenioſiores erunt, ii me plauſorem habebunt.

Pag. 193. V. 20.

Ut cudat è regione loci, quà dirigit *æſtus.*

Cum nullum in toto Latio exemplum ſit hujus ſignificationis ut τὸ *dirigere* neutrale ſit, & id, quod ex Feſto deſignavit Gifanius, huic ſignificationi non faveat, ut ex Notula I. Sculigeri conſtare poteſt, aliud eſt quod neceſſario quærendum ſit. Præterea, ſi *dirigere*, uti vult Gifanius, eandem ſignificationem habet ac τὸ *deorſum tendere*, nullam cauſam dicere poteſt quin imperitiſſime fecerit, qui huic loco illam convenire poſſe exiſtimarit. Nam de Virgilio quod ait, ubi tandem? (nos certe aliquando Virgilium non indiligenter legimus;) an in illo 11 Æneidos?

Spicula converſo fugientia dirigit arcu?

An in X. *Vulnera dirigere & calamos armare veneno?*

An, ut plus uno loco legitur;

Huc dirige curſum?

Neminem certe videre me, aut legere, memini, qui in iis locis τὸ *dirigere* acciperet pro *deorſum tendere*. Dein non mediocris oſcitantiæ eſt ita locum hunc Lucretii explicare, cum res ipſa per ſeſe clariſſime oſtendat, agi de motu ab inferioribus ad ſuperna, non contra, ut ille plane ridicule exiſtimavit: Sed mihi credi nolim, Lucretius ipſe paucis ante verſibus idem quod dico, dixerat:

Sic & averna loca altibus ſummitere *debent*
Mortiferam vim, de terra quæ ſurgit in auras.

Vides *ſummittere*, quod *in altum tollere* eſt: tum illa mortifera vis *ſurgit in auras*: mirum itaque, ſi ut voluit

voluit Gifanius, *deorſum tenderet*, quæ ſurgat ſcilicet. Quamobrem cum in MS. Cod. legatur *derigit*, quæ lectio corrupta eſt, cum venia, opinor, ſcribam, *ſe erigit*, vel, ut etiam vulgo olim ſcribebant, *s' erigit æſtus*.

Pag. 195. V. 13.

Quod genus endo mari ſpirat fons dulcis aquai;
Qui ſcatit, &c.

Mala diſtinctio eſt, quæ ita reſtituenda:

Quod genus endo mari ſpirat fons; dulcis aquai
Qui ſcatit.....

ut alibi, *Terra ſcatit ferarum.*

Pag. 197. V. 2, 3, 4, 5 & 6.

.....quin ferri quoq; vim penetrare ſuevit
Vndique quà circum cœli lorica coercet,
Morbida vis, quæcunq; extrinſecus inſinuatur.
Et tempeſtates terra cœloque coortæ
In cœlum terraſq; remotæ jure faceſſunt.

Quanto ego hos verſus attentius conſidero, tanto illos magis inquinatos judico, & fere deperditos. Quid enim dicam aliud? Videlicet eorum ſententia eſſe nulla alia poteſt, quam hæc: [*Quin etiam morbida vis* vulgo *penetrat ferrum; & tempeſtates cœlo terræve ortæ, in cœlum & terram faceſſunt repente.*] Orationem vero mire περιπλω ſcilicet! Turnebus quidem ſecundum verſum ita exponit, ut *per loricam cœli*, ambitum cœli, cœli tegmen, & cœli amictum, ut alibi locutus eſt Lucretius, interpretetur; quam expoſitionem Salmaſius, immemor ſcilicet, quaſi ſuam attulit. Itaque ex ſententia virorum doctiſſimorum, *quà circum cœli lorica coercet*, nil aliud ſignificabit, quam *ubique*, ſeu *per univerſum mundum*; De qua interpretatione aliorum judicium erit. Ipſe autem conjecturam meam aperiam, quæ ab ingenio quidem eſt, ſed & veſtigiis librorum Florentinorum nititur.

.....quin ferri quoque vim penetrare ſuevit,
Vndique quam *circum* corii *lorica coercet,*
Morbida vis, quæcumque extrinſecus inſinuatur;

(Nam

(NAM *tempestatem cælo terraque coortam*
Vel ferri natura timet, circumque fatiscit.)

Sensus erit, vi tempestatis ferrum ipsum discuti & diffringi; non itaque debere tantopere mirum videri, si per poros & meatus loricæ corio munitæ morbida vis, seu pestilens, actior & noxius aer quandoque insinuetur. Librorum autem Florentinorum lectio, cujus ductu hæc scribo, talis est:

Nam tempestatem terra cæloq; coortam
In cælum terrasq; timet, circúmq; fatiscit.

In conjectura nostra, *vel ferri natura*, &c. est, *vel ferrum ipsum*; neque aliter Lucretius. Cætera in Notis; seu quæ ad variantes lectiones, seu quæ ad interpretationem pertinebunt.

Pag. 200. V. 14.

Deniq; res auro argentum copulat una.

Ex codice Memmiano, in quo hic versus ita scriptus est,

Deniq; non auro ARUM *copulat una.*

Legendum arbitror-

Deniq; non auro res aurum *copulat una?*

Agit enim planissime de Chrysocolla, quæ ferrumen est, si ita loqui licebit, seu gluten auri: cumque in versu proxime sequenti dicat æs æri jungi solere, si *plumbo albo* utaris, sic in hoc scribit Chrysocollæ ope aurum cum auro conjungi.

Pag. 201. V. 5.

Nam quid Britannum *cælum differre putamus*
Et quod in Ægypto est?

Hæc conjectura est Paschasii viri clarissimi, ut monuit Lambinus, qui aliud exemplum ad illius confirmationem proferre poterat quam quod protulit: Ita enim Britannum cœlum dixerit Lucretius, ut Horatius *Italum cælum, Dis patriis, Italoque cælo.* Gifanius autem legit,

Nam quid Britanis cælum differre putamus
Et quod in Ægypto est?

Scio quidem perinde esse si Britanis legas, seu Britannis

tannis, qui norim in fine carminis hexametri Dionysium Periegeten ita usum fuisse. Primam quoque syllabam produci posse, mihi ignotum non est; itaque nil in Gisanio circa eam rem reprehendi postulem. Sed quod addit, versum hunc à Paschasio male emendatum fuisse; id metuo ut probet; quid enim mali ea emendatio habeat? Fortasse vera non est, sed non continuò pro mala haberi debeat. At lectio Gisanii, ea vero pessima est; quo enim alio nomine vocetur, cum ejus sententia tantopere inepta sit? [*Cælum Ægypti differt Britannis*] Quæ Latinitas? quæ ratio id probet? Quamobrem cum in MS. legatur, & quidem constanter,

Nam quid Britannis cælum,

Scribendum putem,

Nam quid Brittanidis *cælum.....*

Græci enim illas omnes insulas Βρεττανίδας vocabant, ut ex Dione, & excerptis ἐθνικῶν Stephani constat. Ita autem Brittanidem pro Britannia dixerit Lucretius, ut in hoc ipso libro Atthidem pro Attica.

Pag. 203. V. 1.

Insedabiliter sitis arida corpora mersans,

Legendum videtur.

Insedabiliter sitis arida corpora vexans.

Ita certe ratio suadet, & illud *insedabiliter*, quod cum *mersans* non belle concinit.

Ibidem. 293. V. 18.

Hinc homines totæ vires corpusq; fluebat.

Legendum necessario,

Hâc *hominis totæ vires*, &c.

hâc, id est ea parte, per nares scilicet, fluebat humani corporis substantia. Quod cum perspicuum sit & τρωθτεον ἢ ἀπὸ λήθης, desinam.

Pag. 294. V. 25.

Inque aliis alium populum sepelire suorum
Certantes, &c.

Legendum omnino est,

Inque aliis alius *populum sepelire*, &c.

Ver-

Verborum enim consecutio hæc esse debuit: *alius in aliis, alius porro in aliis populum,* seu *ingentem multitudinem, suorum necessariorum, familiarium, sepelire certantes, lacrymis lassi luctúque redibant.*

V. ILL. HIPPOLYTO JULIO MENARDERIO, *SACRI CUBICULI LECTORI* TAN. FABER.

PRO versibus Latinis, quos mihi ab Urbe miseras, emendationes & conjecturas aliquot in III. posteriores Lucretii libros habebis, Elegantissime Menarderi. Aliquid fortasse aliud velles, & ego non nollem; sed res, sed tempus, non sinunt: quæ enim vobis beatulis licet, eadem misellis non licent. Utinam modò quàm illa mihi carmina placuerunt, tam & tibi hoc genus scriptorum probaretur: ô rem bellam & amabilem! sed modus votorum esse debet. Vale multum, Vir Doctissime, & nos ama. Salmur. VI. Id. Jun. M. DC. LXII.

TANA-

TANAQUILLI FABRI
NOTULÆ PERPETUÆ
IN
T. LUCRETIUM

CAPUT I.

I. *Plautus emendatus.* II. *Hesychius emendatus, contra sententiam Turnebi.* III. *Locus Ciceronis tentatus contra Lambinum.* IV. Conari, *quid sit.* V. *Cicero emendatus.* VI. *Tertia præteritorum in prima inflexione olim in* ât. VII. *Unde orta Iphigeniæ mactatæ fabula videatur.* VIII. Castus, *pius.* IX *Conjectura in Lucretio.* X. *Varro emendatus.* XI. *Ut & Ennius.*

ÆNeadum genetrix] Huc respiciebat Ovidius in II. Tristium.

Sumpserit ÆNEADUM GENETRIX *ubi prima, requiret,*
ÆNEADUM GENETRIX *unde sit* ALMA VENUS.

Æneadæ autem Romani sunt; neque hic ad familiam Cæsarum respicit.

Gene-

Genetrix] In marmoribus & nummis, VENERI GENETRICI, & GENETOR apud Ennium.

O pater, ô genetor, ô ſanguen DIS oriundum.

Venus] Ridiculum fortaſſe videatur, deos ab homine Epicureo invocatos fuiſſe: Sed hîc poetæ partes agit Lucretius, non philoſophi. Cæterum locum hunc ex Ennio adumbratum arbitror.

Te nunc ſancta precor Venus, & genetrix patri noſtrei,
Vt me de coelo viſas cognata parumper.

Concelebras] *Reples varia animantum fœtura*, Celebres efficis, id eſt, frequentas. Ita fere alicubi apud Comicum *platea tibia concelebrare*; Et apud Ovidium III. Faſtorum, *celebrare ſe mero*, quod obſervandum homini Latinitatis ſtudioſo. Sententia poetæ eſt, Quæ frequentas & fœtura reples omnia *quæ ſub cœlo ſunt.* Neque enim mihi interpretatio Dionyſii placet. *Celebris* autem & *deſertus* oppoſita. Scriptor ad Herennium lib. 2. *locus quæritur, celebris an deſertus.*

Per te quoniam] Hyperbatum uſque ad v. 6. p. 2. *Quæ quoniam.*

Dædala] Δαίδαλος *varius*, ita tellus variis diſtincta coloribus & omnigeno frugum proventu *dædala* dicitur.

Summittit] Gifanii verba ſunt [SUMMITTERE, *efferre, producere, procreare; quod certe annotatione fuit dignum*] Ita quidem eſt, ut ſcribit; ſed addi & his aliquid poterat; SUMMITTERE eſſe *de ſub mittere* (ut dicebant *de ſub altari*, poſtante, inante, exante. Varr.) ita Virgil. alicubi *& corpora ſaltu*
Subjiciunt in equos. id eſt, tollunt in equos. ita *Manibus ſubvolvere ſaxa*, de ſub, atque adeo in altum. I. Ita apud Plautum emendavi, *de ſub ara eripere*, ubi legitur *ſub ara.* Ita tenella arbor *ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra*, id eſt, ſeſe attollit. Ita alius ſcriptor dixit, *ſubjecto in mentum gladio*, ubi, *ſubjecto* nil aliud quam *erecto*, apud Virgil. *ſubrigit aures,*
eſt

est ἰνορθοῦ, & apud Varronem *pedes surrecti*, in altum sublati. Ita Lucil. apud Festum *subjicit hastas*, in altum tollit, ita denique *subjectare vallis triticum*, aut quid tale apud Varr. in lib. de R. R. sed τόπον ἄλλις.

Verna] Ver enim Veneri sacrum. Ovid. alii.

Genitabilis] al. *genitalis*, sed non est tanti, hoc semel meminisse operæ pretium fuerit, hujus formæ nomina utriusque significationis esse, activæ, dico, & passivæ, ita *placabilis* qui placat & placatur, *penetrabilis* qui penetrat, & penetratur. Quod minimi mirum videri debet cum à verbo neutro *manare* procuderit *manabile*. Lucretius, & *volatile* Virgilius; sed huic quidem aures assuevere, ita cura *vigilabilis* apud Varronem quæ insomnium affert; & *spongia deletilis*, quæ delet, apud eundem, ut & *alibile*, quod alit, & *dissociabilis* apud Horat. & *flebile cæpe*, quod lacrymas ciet. Lucil. Apud Plautum denique in Epidico, *dies impetrabilis*.

Initum] Alii *Initium*, quod doctis placebit magis, est autem in modulo vocis σωίζησις, res trita apud Græcos, Latinos, & quos non?

Incutiens] Observandum in re blanda, suavi, jucunda; usurpari τὸ *incutere*, tamen & ita Horat. in Ep.

.....*fornix tibi & uncta popina*
Incutiunt urbis desiderium.....

Ita & in II. Lucret.

Et simul incussit suavem mi in pectus amorem.

Generatim] κ) τὸ ἴδιον ἑκάστου γένος, secundum genera.

II. *Secla*] Vox Lucretiana, qua & alii, ut Manilius in II. usi sunt. Græci poetæ φῦλα vocant. Horat. *genus, piscium genus*, Od. II. lib. I. Id autem significat quod vulgus vocat species animalium: vulgus, inquam, nam certe non ita veteres Latini; quod ostendit Muretus. De ea voce sic scribit Adrianus Turnebus lib. 26. cap. 13. [Sæcla ferarum *cum apud Lucretium legerem, subiit quærere unde sumpta esset ista sæculi significatio in veteri scriptore tam nova tamque*

insolita nec aliis auctoribus Latinis usurpata. Igitur Lucretium existimavi non tam notionem hominibus Latinis receptam secutum esse in hac usurpatione, quam vocabuli originem & natales, ad quos redegit significationem vimque vocabuli. Nam Sæculum ab ἡλικία deduci videtur: cum aspiratio millies in sibilum desciscat, ut notum est: λ. autem & κ. transponantur invicem sedibus mutatis, cum autem ἡλικία Græcis, sæpenumero ætatem significet, tamen etiam genus declarat, ut in Lucretio Sæclum, ut cum Græci dicunt, ζόρκα esse ἡλικίαν ἐλάφου ἢ δορκάδος, id est, hinnulum esse genus & sobolem cervi, aut si cui hoc nimis repetitum videtur, ut cum quis dixit, Væ ætati tuæ, pro væ tibi: sic licet existimare Sæcula bucera *eadem ratione dici & pro bubus poni, quod & verius puto. Ejusdem illud & novæ significationis est,*] Fallitur: legendum enim ζόρξ, ἢ ἡλικία ἐλάφου ἢ δορκάς: unde & δέρκων pro leone, nam ζόρξ & δόρξ eadem. Id autem notaverat Hesychius quasi rem non vulgarem; ut & reipsa talis est.

III. *Neque amabile*] Nam à Venere *Venustus*, &c. Monet interpres locum Ciceronis 7. Ep. in ea quæ prior est ad Volumnium, corruptum esse, ac pro ἄκυρον legendum esse ἀκύδηρον, at ego scio qui probare possint legendum esse potius ἄγεσικον, nam ἀκύδηρος haud facile, opinor, reperiatur; dein Cicero plus uno loco *agrestem*, seu *rusticum* (id est ἄγεσικον) opposuit τῷ *venustus*, τῷ *lepidus*. Si quid mutandum sit, posset & legi ἀκύκλιον, id est, ἀπαίδευτον, ex Hesychio, origo vocis notissima est, sed ea loci hujus non sunt; & raptim scribimus.

IV. *Conor*] Conari hoc loco *cogitare* est, *sibi aliquid proponere, decernere*, &c. προαιρεῖσθαι ita in hocce lib. *cum dare conantur*, ut & in VI. *namque ipsa de re jam dicere conor*. Sic Varro in præfatione lib. I. *quo brevius de ea re conor tribus libris exponere*. Non aliter Terentii ille locus accipiendus: *Conabar tibi obviam, Dave*: id est de te conveniundo cogitabam,

bam, neque porro alia ratione accipiendum est quod alibi dixit: *isthuccine conari queam*? Ibi certe *conari*, *velle* est, vel *cogitare*. Ita Plautus alicubi, *Neque conari id facere audebatis prius*. Quid quod Græci utuntur verbo πειρᾶσθαι in eadem notione? rarum esse fateor; neque tamen dubium est, sic enim Menander dixit in utili illa sententia, & nemini unquam satis audita,

.....μὴ πᾶσι πειρῶ πιστεύειν ἀεί.

Ubi illud μὴ πειρῶ significat *noli*; ad verbum autem significat *ne coneris*. Livius item in I. sic usurpavit hanc vocem ut Plautus, Terentius & Lucretius: *Aucta civitate magnitudine urbis, formatis omnibus domi ad belli & ad pacis usus, ne semper opes armis acquirerentur, consilio augere imperium conatus est*, id est, *sibi proposuit*. V. Atque adeo locum quemdam Ciceronis ex Epist. 4. lib. 5. emendandum puto. En tibi illius verba: *Nunc mihi Quintus frater meus mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, perscripsit; qua inductus, ad te scribere sum coactus*. Ibi nemo, qui saltem admonitus fuerit, dubitabit quin legendum sit, *conatus*, non *coactus*; quam vocem & sententia, & τὸ *inductus* satis respuunt.

Memmiadæ nostro] Caius Memmius Gemellus dicebatur; ille ipse de quo Catullus, qui ei subiratus erat, scripsit, *O Memmi bene me*, &c. quæ tria turpicula sunt, huc non transferentur. De illo sæpe apud Ciceronem.

Effice] al. *& face* melius; ita enim vinculum erit in hoc versu cum superioribus.

Mœnera,] *Munera*, *mœnia*, munia: *pœna*, punio. *Pœnus*, Punicus: *coirantes*, curantes. Ennius plus semel. De conversione τοῦ œ in *u* dixit eruditus Interpres Columnæ Duellianæ, adde & superioribus OINOS unus, ut in illo saxo legitur de quo in vita Peyreskii mentio fit; cujus exemplar à Sirmondo V. Doctiss. editum est & notis illustratum.

Rejicit] Gifan. *reficit* male, neque enim dicimus *reficere se in gremium.*

Devinctus volnere] Metaphora paulo durior tamen dicebant *præpeditus dolore*, & κολλητὸς ἀνίαις Callimachus.

Eque tuo pendet resupini spiritus ore] Inclinat animus ut credam Lucretium respexisse tabulam aliquam, in qua Mars gremio Veneris molliter insidens exhiberetur. Qui autem in gremio amiculæ per ludum & jocum sedent, eos aversos esse necesse est, neque desiderato aspectu frui posse; quare addit poeta *cervice reposta*, &, *resupini*, &, *suspiciens*; qua voce ostenditur Martem, amore & admiratione defixum pascere avidos oculos inhiantem in Venerem cervice reflexa. Et hæc quidem, ut opinor, in tabula; sed quæ mox sequuntur, *Hunc tu diva, tuo*, &c. &, *circumfusa super*, non amplius ad tabulam pertinent; Vera res agitur; & μεγάλα μυστήρια πλεῖται. Ex his, uti spero, lucis aliquid huic loco accedet.

Incluta] Non sæpe apud Latinos Scriptores reperias deos *inclytos* vocari; sed ita fere semper vocat Homerus: κλυτὸς ἐννοσίγαιος; ita de Vulcano, &c. sic quoque Ennius apud Nonium.

Olim de cælo lævum dedit inclyta signum.

Memmiada] Gifan. *Memmius*, quasi jam antea non appellarit Memmiadam; sed solenne facit Gifan. ut venena colligat.

Veram ad rationem] Ita Epicurus de suis opinionibus sentiebat. Notum & ille Celsi ἀληθὴς λόγος, de quo Origines.

Agere hoc] *Scribere*, de ratione philosophica cogitare. Notum quid sit *Hoc age*; eo respicere Lucretium credibile est.

Tempore iniquo] Tunc enim & Clodius & Catilina Rempublicam vexabant.

De cœli ratione] De natura cœli ac deorum, vel de doctrina quæ περὶ τῆς μετεωρίου habeti potest de meteorologia, &c. Non temere alibi reperias in hac notione.

Unde]

Unde] Ex quibus primordiis, seu principiis. Post *pandam* vel minima distinctio satis fuerit.

Eadem peremta] Eas ipsas res peremtas. Mutavit autem orationem, ut alibi, cum enim *genus humanum* scripsisset, mox addit *eos*, intelligens non genus humanum, sed homines, quod fieri licet, ubi nomina sunt συμπλεκτικὰ, non aliter.

Quove] Quemadmodum illud *unde*, quod supra observabam, non interrogat, ita nec istud *Quove* interrogare potest. Non bene itaque Interpretes qui existimant istud *Quo* significare *in quas res*. Neque enim res plane resolvuntur in res concretas per degenerationem, sed in principia. Dices Lucretium ipsum ita tamen existimasse, qui scilicet sic infra scripserit:

Denique quatuor ex rebus si cuncta creantur,
Atque in eas rursum res omnia dissoluuntur;

Fatebor, sed ibi ex falsa suppositione in eos agit; qui ignem, aquam, terram, aera principia esse dicebant. Itaque istud *Quo* significabit *in quæ principia:* atque adeo, nequis dubitet, addit poeta versu proxime sequenti,

Quæ nos materiam & genitalia corpora rebus
Reddunda in ratione vocare & semina rerum
Appellare sŭemus, & hæc eadem usurpare
Corpora prima, quod ex illis sint omnia primis.

Et merito. Nisi enim res ad principia redirent, ut ex iis novi aliquid efflorescceret, jamdududum omnia desiissent.

Genitalia rebus] Notanda Latinitas, *rebus* pro *rerum*. Sed alibi tale quid reperies, ut & apud Plautum plus semel.

Usurpare] Vocare.

Omnis enim per se] Hi sex versus, ut docti monuere, à quibusdam veterum librorum absunt. Et sane abesse possunt; infra autem loco magis apto legentur; tamen & hic non abs re locum habeant, per *occupationem*, ut vocant magistri; quasi dicat Lucretius, *Ex*

primis corporibus omnia fiunt; nam Dii quidem, contra quam vulgus Philosophorum sentit, rerum naturam nec fecere, nec curant.

Privata dolore] Nequis sibi ingeniosus videatur, atque adeo reprehendat τὸ *privari dolore*; quasi verbum illud sit eorum quæ necessariam anaphoram habeant ad quid χρηστὸν ἢ πονηρὸν quo careas, meminerit τὸ *privari* & *carere* esse synonyma; & tam ad mala referri quam ad bona & commoda. Itaque dicebant *carere febri, privari injuria, privari dolore*, quæ omnia apud Ciceronem occurrunt.

Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira] Contra hunc locum fuse egit Lactantius & alii, quamquam nil opus fuit. Interpretanda tantum Epicuri mens fuerat.

Relligione] Qui nequitiæ suæ auctorem quærunt, *insanientis dum sapientiæ consulti aberrant*, hoc Lucretii loco contra sententiam Scriptoris abuti solent. Existimant enim religionem hoc loco positam pro Deorum cultu seu pietate in Deos; ut infra, loco illo decantatissimo,

Tantum relligio potuit suadere malorum;

Sed utrobique fallunt. Relligio enim superstitio est. Epicurus certe Deos propter præstantiam naturæ suæ colendos non negabat; quod & Cicero, non semper homini æquus, offenderit; nec non Laertius, ut & Lucretius infra, qui librum Epicuri περὶ τῆς ἀσεβείας satis innuit. Poeta autem si extra omnem ἀμφιβολίαν loqui voluisset, scribere potuerat *Relligiones*, non *relligionem*, quod alibi fecit, ut & Varro in admirandis istis versibus:

Non fit thesauris, non auro pectu' solutum,
Non animis demunt curas ac relligiones
Persarum montes, non divitis atria Crassi.

In quorum versuum postremo novi qui velint legi *horrea Crassi*. Et ita fere Cicero ad Atticum I. Ep. 4. *quod si assequor; sapero Crassum divitiis, atque omnium vicos & prata contemno.*

Gravi]

Gravi] Exitiali, molesta, importuna, *&c.* utpote quæ præsentissimum divini cultus venenum sit.

A cœli regionibus] Ἀπὸ τῆς διαθέσεως τῶν ἀέρων.

Graius homo] Epicurus Athenienſis, ex oppido ſeu populo, ut vocabant, Gargetto; unde paſſim Gargettus.

VI. *Irritat*] Contractio eſt pro *inritavit*; quare & poſtrema producta eſt: nam in tertia olim perſona contractionem admittebat prima verborum inflexio: ita Terent.

Ex qua filiam
Suſcepit & eam clam educât..... Id eſt educavit.

Ita alibi Lucret. *diſturbât urbes*, diſturbavit; id quod & metrum & ratio ſuadent, ibi enim de re olim facta agitur. Virg. quoque,

.....*teciditque ſuperbum*
Ilium & omnis humo fumât Neptunia Troja.

Quod ignorantes veteres magiſtri, ut & Probus & Chariſius ſatis oſtendunt, in eo verſu ſolœciſmum eſſe contra tempus exiſtimavere. Sic quoque Ennius,

Tum timido manât ex toto corpore ſudor.

Giſanius Terentii locum in Indice ſuo, eumque plane ſolitarium, produxit, ut id probaret quod modo oſtendi; ſed in quo plane puer eſt, & Lambini convicio dignus, ſi animadvertiſſet Lambinus. Addo exemplis ſuperius allatis hanc quoque obſervationem; Solitos olim contractiones admittere in prima numeri plurativi. Terent.

omnem rem modò ſeni
Quo pacto haberet enarrâmus ordine.

Id eſt enarravimus; addit enim *modò*. Sic denique Plautus in Sticho. *ibi feſtinâmus omnes,*

Lectis ſternundis ſtuduimus..... Ubi *feſtinâmus* poſitum planiſſime eſt pro *feſtinavimus*; nam ſequitur mox *ſtuduimus*. Neque vero *feſtinâmus* pro *feſtinavimus* magis mirum videri debeat quam *ſuêmus* pro *ſuevimus*, & alia id genus: ſed illis aurium conſuetudo favit.

Cupiret] pro *cuperet*, ut alia passim; quod scilicet & tertia & quarta olim non ita à se invicem se junctæ erant & secretæ, quin utrique essent multa communia.

Flammantia mœnia mundi] Propter stellas & ignes æthereos unde *stellantis regia cœli*. Virg. Manil. autem *stellantia cœli tecta*, & in V.

.....*mœnia mundi.*

Omne immensum] OMNE, ut alibi passim, τὸ πᾶν, rerum universitas, quicquid est in rerum natura; Non autem hic mundus, qui τῷ παντὸς respectu fere nihil est; quod immensa fere cœli nostri spatia & siderum inexplicabilis altitudo facile suadent; Sed id infra docebit Lucretius.

Mente animoque] Id est *mente animi*, ut *poculis & auro* Virg. pro *poculis aureis: molemque & montes*, Id. pro *molem montium:* mens autem animi quid sit in III. ostendet.

Hæreat] συνίζησις, ut passim apud Virgil. Horat. &c. alii tamen *hærens*. Si autem *finita cuique*, &c. inde fiet ut miraculis, quæ à Deorum providentia, nulla fides; nil illi præter naturæ fœdera moliri queant, &c. huc scilicet tendit Lucretius; neque enim physiologiæ ullam rationem habuisset Epicurus, nisi quod ex rerum naturalium contemplatione effectum iri credebat ut animi hominum superstitionis terriculamentis sese exolverent.

Vicissim] εἰς ἀνταπόδοσιν, ἐν ἄλλαξ, ut quæ olim homines abjecissent, ea tandem abjecta jaceret.

Impia rationis elementa] Pro *elementa impiæ rationis*. Figura huic nostrò & Virgilio familiaris. *Ratio* autem θεωρία est philosophandi studium, &c. posset & pro secta sumi, uti à Lucretio alibi ea vox usurpata est,

Endogredi] Ingredi. *endo* ἔνδον in intus; *endojacito, endopedita, endotuentur*, Enn. *endoitium* apud Fest. pro injicito, impedito, intuetur, initium. Neque minus dicebant *endu* & *indu*, ex quibus nata illa

illa sunt *induperator*, *indastrius*, &c. Id quod contra Gifanii judicium dictum velim.

Quod contra] Noe ex vulgi palato est hæc Latinitas; neque Gifanius animadvertit istam voculam *quod* esse quarti casus. Lambinus ex Cicerone exemplum unum attulit; ego item alterum ex oratione pro Quintio: *Reliquum est ut cum nemo judicio defenderit, quod contra copiosissime defensum esse ostendi.* Aliquoties ita locutus est & alibi, ut & Rhetor ad Herennium.

VII. *Aulide*] Bœotiæ portus est ad Euripum. Trivia virgo, Diana, Iphianassa, Agamemnonis filia, quæ aliis Iphigenia: omnia notissima & decantatissima. Tragœdia seu fabula orta ex historia Jephtæ, ut & illa altera Idomenei, qui filium sub voti specie, &c. Facinus enim illud Jephtæ, de quo in lib. Sufetum Hebræorum agitur, non ita multis annis ante obsidionem urbis Trojanæ evenerat.

Delecti] Seu *dilecti*, ut Lambinus, legas, seu *delecti*, non est cur pugnetur.

Prima virorum] Ita Ovid. Amor. Lib. 1. Eleg. 9. *summa ducum Atrides*; plane ex hoc Lucretiano expressum. Est autem imitatio Græci sermonis. Herodotus sæpe. Ex multis locis en tibi unum lib. 6. sectione 100. Αἰσχίνης ὁ Νόθωνος, ἐὼν τῶν πρώτων τὰ πρῶτα. *Æschines Nothonis filius Eretrienſium primarius.* Ita apud Lucianum, τὰ πρῶτα τῶν πρώτων Ἀθηναίων ἄνδρα. *Athenienſium primarius vir erat.* Est & alius in eodem libro (Timon est) sed quem protulit Lambinus.

Simul] Statim atque, simul atque.

Infula] Qua hostiæ velabantur: res notissima; erat fere ad eundem modum, quo *stolas*, ut vulgus vocat, Sacrificulorum esse videmus.

Virgineos circumdata comptus] Cingens, sed ambiens comas comptas:

Ex utraque pari parte] Notanda Latinitas, *ex utraque pari.*

Hunc propter] Prope hunc, τὸ *propter* natum est ex *propiter*, ut *humaniter* ex *humanes*, & alia pene infinita.

Ferrum celare] al. *celerare*, id est expedire, promere, exerere: quod magis placeret.

Summissa] Succidua, hoc loco.

Quod patrio Princeps] *Princeps*, est prima. Sensus est, Iphigeniam fuisse μεσαίτατον inter Agamemnonis liberos.

Sublata virum manibus] Metaphora à ritu nuptiarum. Vide Interpretes ad illud Catulli; *teneram rapis ad virum Virginem*, In aureolo poemate de nuptiis Manliæ.

Comitari] Deduci. Est autem significationis passivæ, ut alibi. Fortasse etiam sumpserit pro conjungi. Ita Græce συνελθεῖν in eadem notione.

VIII. *Sed casta incestè*] *Incestè* est impure, ut volunt; at ego hic aliter accipio: nam *castus* quandoque pium significat. Virgil.

Hac casti maneant in religione nepotes.

Itaque *incestè* fuerit impie. Sic Julius apud Festum: .....*caste qui parant sacra*, id est pie. Ita etiam apud Varronem olim in formula templorum dedicandorum: EGO CASTE NUNCUPAVERO. Et Virgil. iterum in 7. *castis adolet dum altaria tædis*. Sic enim intellexisse Servium ex illius excerptis satis constat.

Exitus ut classi] Eleganter Callimachus hymno εἰς Ἄρτεμιν dixit μείλιον ἀπλοίης.

Tutemet] Neque mirum id feciisse Agamemnonem regem illum regum, ex genere *bellipotentum* non *sapientipotentum*, ut dixit Ennius, quin & fortasse metuendum sit, ne tu ipse, qui præclaris artibus excultus es, superstitioni capistratum os subdideris.

Vatum terriloquis dictis] Quæ de cruciatibus inferorum dicunt; de rota Ixionis, saxo Sisyphi, flagellis Eumendium, Cerberi latratu, aut *cum pice torrentes undas; voragine ripas* confingunt; quæ omnia olim in frequenti senatu Ciceronem ipsum derisisse scimus.

Pavus

Pœnas in morte timendum] Id ex ſeſe non dicit Lucretius, ſed ex ſcriptis vatum, qui rem eo deduxerant, ut mors ipſa doloribus finem non imponeret; cum contra ex opinione Epicuri nil mortuis timendum; qui enim bona fide mortui ſunt, ii neque mordent, neque mordentur: ἀλλ' οὐκ ἐμοὶ λόγος. Nam illud Catonis facio meum; *Diverſo itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda, atque formidoloſa habere.* Saluſt. in Catil. Iſtud autem *timendum pœnas* è veteri & bono Latio eſt: neque temere aliter loquitur Lucretius, ut nec Varro. ſic in lib. de R. R. *videndum hæc quatuor.* alibi, *vaſa vinaria, faciundum*, alibi, *perfectos alacriores faciundum præmiis.* Item. *ponendum quadrimos*, &, *emendum veteranos boves.* Sed infinita ad eam rem exempla congeri nihil neceſſe eſt. Nam nec Virgilius quoque abſtinuit: *pacem à rege petendum eſt.*

IX. *Jam fingere poſſum*] Giſan. è veteribus libris, ſed corruptis, legit, *me fingere poſſum*, nil deterius. Sed fortaſſe non male legeris *jam fingere poſſunt*; Vates ſcilicet ſomnia & inania rerum fingere poterant, quibus, &c.

Nata ſit, &c.] Una cum corpore, ut Stoici & Peripatetici.

Inſinuetur.] Ita ut ab æterno creata ſit, ex Platonis dogmate.

Pecudes inſinuet ſe.] Ex Pythagoræ placitis.

Ennius] Qui Pythagoricus fuit ut fere omnes illius ætatis ſcriptores. Notum quid de majori Græcia dictum à Cicerone fuerit in Tuſcul.

Gentes Italas hominum] Pro *gentes Italorum hominum*, Tale aliquid apud Virgil. plus uno loco. Quidam libri, *omnium* pro *hominum*. Itaque eſſet *corona clara omnium*, id eſt, inter omnes; quod genus multa Græce reperias, ut ἐν θεῶν, &c. id eſt, ut Callimach. hymno εἰς Δῆλον dixit, πολὺ πρέσχυς θεῶν. Ita apud Ennium citante Probo: *pulcra dearum.*

Clueret.] Eſſet. *cluo*, fum, celebror, dicor videor,

videor, κλύειν, dicebant item *clueo*. Ennius de seipso,

Nam Latii populi res atque poemata nostra
Cluebant..... Ita tum prima longa est.

Etsi præterea] Quasi diceret: Tanta tamen veritatis vis est, ut ille idem Ennius alibi dicat, &c.

Acherusia templa] Acherontis seu Inferorum loca vasta, spatiosa, &c. *Templa* enim id significabant. Ita *templa cæli*, Terent. alibi apud Lucretium, *templa ætheris, tonitralia templa*. Vox petita ab auspiciorum disciplina. Primo *tuemplum* dicebant, à tuendo (videndo) deinde *templum*, extrito U ut ex *duellum* bellum, *duonus* bonus, in illo antiquo saxo, cujus in vita Peyreskii mentio est, Sic Ennius, *coirola coilei templa*. X. Varro autem,

Tunc repente cœlitum altũ tonitribus templum toneſcit,

ubi legendum *tonit*, ex ratione versus: *tonere*, ut *sonere*. Lucretius. X. Iterum Ennius in Hecuba.

O magna templa cœlitum
Commista stellis splendidis.

Lego, *Confixta stellis splendidis*, id est, confixa: ut *stellis ardentibus aptum*. Sin minus, legendum, *Commissa*, id est vincta, compaginata.

Permânent] Permanare soleant.

Sed quædam simulacra] Notum illud Homeri, in quo Herculis εἴδωλον ad Orcum esse dicitur; ipse autem, seu ipsius anima apud Jovem. Nam corpus quidem in Oeta monte crematum fuerat: ô rem bellam & ingeniosam!

Unde sibi exortam] Locus ille Ennii apud Ciceronem est; *Visus Homerus adesse poeta*.

Semper florentis] Grammatici vocant ὑφὲν, seu subunionem. Ita apud Terent. *semper lenitas*: & ἀεὶ κατηφέοντος apud Herodianum, quod imprimis notandum.

Lacrymas & fundere] al. *effundere*, non male.

Superis de rebus] De cœlo, deque universa meteorologia; ex cujus ignoratione terrores animis of-

fun-

funduntur, &c. ibique tum in deos omnia conferuntur.

Genantur] Ita olim loquebantur: γείνω̃ *gerantur*, non placet.

Unde anima atq; animi natura] Non temere. Anima enim & animus differunt & facultatibus & sede, quod in III. maxime apparebit. Cæterum hoc loco animi natura, animus ipse est; neque fere aliter loqui amat Lucretius. *Sic naturâ animantum*, animantes ipsæ, *aquæ natura*, *Inanis natura*, *natura corporis*, *ardoris natura*, *loci natura*, *sensûs natura*, &c. pro aqua, Inani, corpore, ardore, igni, loco, sensu ipso, &c. Ita auctor libri de Mundo, homo Stoicus, non Aristoteles, φύσεις χρωμάτων alicubi posuit, *naturas colorum*, pro coloribus ipsis; & in cap. 11. φύσεων pro rebus concretis, &c. Iterum circa medium ζώων φύσεις pro ζῶα.

Quæ res] Intelligit species rerum, quas vulgo intentionales vocant: εἴδωλα, τύπους, ὑμένας, membranulas, effluvia ex superficei corporea; quæ cum ex omnibus omnino rebus perpetua emanent & animos impellant, &c. Sed res inferius notescet.

Perferre] al. *efferre*; fort. etiam, *sufferre*, ut in Emendationibus innuimus.

Hunc terrorem] Quem tandem? illum ipsum scilicet de quo pag. 4. v. 22.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Tela diei] Radii solis. Ita Græci βέλη ἡλίου.

Species] Contemplatio, meditatio, &c. sæpe alibi.

Principium hinc cujus, &c.] Quam ab hac consideratione exordimur, Nullam scilicet rem è nihilo gigni posse, nec si Dii ipsi tale aliquid moliantur. Quod etsi modulo ratiocinationis nostræ verum est, ἀλλὰ κατά γε τὸν θεὸν, plane falsum est. Nam etsi ex ratione τῆς ἀναλύσεως doctrina de corporibus insectilibus stare possit; tamen corruat necesse est, nisi creatam à Deo atomon ponas, eique à causa æter-

æterna motum impressum & ingenitum existimaverit. Causam autem æternam intelligo, quæ χινέμενη τ πανῖ, ut loquitur Xenophon. Cæterum hoc axiomate quasi aliqua multiplici machina utebatur Epicurus. Sed res per se ipsa inferius patescet; Neque longius abibis. Nam versus sequens, &c. Deinde probabit incuriosos esse rerum nostrarum, physicarum inquam rerum, incuriosos esse deos. Itaque divino numine nil tale fieri.

CAPUT

CAPUT II.

I. Primum, ἀυτίκα ἤδη, *exemplis ſervi-unt.* II. *Lucretius emendatus.* III. *Laſcivus.* IV. *Pacuvius emendatus.* V. *Feſtus reprehenſus.* VI. DE *pro poſt.* VII. Conjuncta, *cur* συμβεβηκότα *dicantur,* Eventa *autem* συμπτώματα.

I. E *Mare primum homines*] *Primum* hoc loco vim eandem habet ac, *exempli gratia.* Sic & alibi uſus eſt τὸ *jam.* Græci autem τὸ ἤδη in eadem notione uſurpant, ut & τὸ αὐτίκα: idque caepropter annotare viſum eſt, quod vulgo non obſervatur.

Quippe ubi] Cum videlicet, ἅτε τὸ δὴ ἐκ ὄντων, &c.

Genitalia cuique] Jam ſuperius obſervatum, cum dandi caſu.

Inde enaſcitur] Refer ad id quod in verſu ſequenti eſt, *ubi materies,* &c.

Hac re] διὰ τοῦτο.

II. *Certis in rebus*] Libentius hoc loco legerim *cunctis* quam *certis,* quò verſus ſuperiores inducunt, & ille præter cæteras,

Atq; hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni.

Id quamobrem, Lector? *Quod cunctis, &c.* Innuit enim facultatem ſecretam, diſtinctam, ſeu ſpecificam in una quavis re eſſe; unde è caulibus juglans, ex homine leo, *&c.* non enaſcatur, *&c.*

Præterea cur vere] Si omnia de nihilo, tum tempeſtatibus ſtatis ſui fructus, ſua munera non eſſent, &c.

Auctumno ſudante] Propter vindemiam & humectum vaporem illi tempeſtati proprium: alii tamen, ſua-

ſuadente, habent; quod fortaſſe melius, certe placeceret magis.

Tempeſtates] Tempora commoda gignundis rebus. Veteres autem tempeſtates bonas, tempeſtates malas, tempeſtates pluvias potius, quam tempeſtatem dicebant: exempla ex Catnoe Cenſorio peti poſſunt, ut ex Varrone.

Tenerâs oras] Malim *auras*; ſic infra *aëria in tenera auras*. Sic Græci μαλακὸς αὔρας. alioqui *tenera* cum *res* jungi poſſit. Locus Virgilii in Georg. notiſſimus eſt.

Alienis] Minus convenientibus, minus idoneis ad progignundum quid.

Genitali concilio] Vox Lucretiana in hoc ſignificatu: congreſſum, conventum, coitionem primigeniorum corporum, mox denique, *ſeminis coitum* vocat.

Tempore iniquo] Propter incommodas tempeſtates.

Hoc accedit uti] Cum augeſcant terræ fœtus ex imbre opportuno, non igitur ex nihilo.

Summittere] Jam ſupra occurrit.

Secreta cibo] Privata, remota.

Ut verbis elementa] Ut credibilius ſit res ex multis diverſisque ac pugnantibus etiam principiis conſtare, quemadmodum vocabula ex diverſis literis conſtant, quam è nihilo exoriri.

Cur non potuit] Quod tamen eſſet, ſi è nihilo orerent; ſed cum rerum genera modum ſuum habeant, ultra quem non liceat egredi, ideo fit ut ſibi conſtent.

Pontum per vada] Pontum vado tranſire; intelligit autem tanta tamque immani corporis proceritate futuros, ut quod aliis eſſe ἀπέρατον, iis trajectu facile foret: quippe queis maris altitudo quantalibet pro vado eſſet. Noli itaque locum hunc ita interpretari, quaſi ſi dixiſſet *per ponti vada*. Quod enim Salmaſius hunc verſum depravatum eſſe judicavit, non ideo facilius crediderim. Intelligit autem Lucretius Titanas, Gigantas, Cyclopas, *&c.* quæ genera pro figmentis poetarum habet.

Red-

Reddita] Data tributa, assignata. Ita sæpe Virgil. semper Lucretius,

Esse videlicet] Sic sæpe Enn. Plaut. & Ter. *Scilicet futurum.* Videre licet in terra reperiri &c. neque enim, quod aliquando putavit Interpres, repeti debet ἀπὸ κοινοῦ *fatendum est.*

Meliora] haud dubie meliora: quandoquidem non modo non prodesset labor, sed maxime obesset.

Huc accedit uti natura] Nam si res è nihilo fierent, necessario ad nihilum redigerentur: Id non fit: ergo, &c.

In sua corpora] Primordialia scilicet in corpora materiæ.

Repente periret] Horæ momento concreta perirent, uti horæ momento enata essent.

Nulla vi foret usus enim] *Vsus* pro *opus*, qui legunt *ei* pro *enim*, sine judicio vivunt.

Nexus exsolvere] Compagem & coagmentationem dissolvere, seu interimere, κατάλυειν.

Quod nunc] Id est, *nunc autem*, notandum. Debet hic versus jungi cum illo altero. *Nullius exitium*, &c.

Constant semine quæque] Gifan. *constat*: non bene.

Obiit] Occurrit, incurrit: unde *obitus* apud Ter. pro *occursus.*

Intus] Notandum, cum motu: quod vulgo non observatur.

Ingenui] Quos natura, non ars, &c. ita *ingenuus color*, pro nativo, qui nulla arte, nullo pigmentor evocatur. Propert. *ingenuus color & multis decus artibus*, &c.

Æther pascit sidera] Non modo id ἐν τῷ ἐπιχειρεῖν Epicuri est, sed & Stoicorum sententia. V. Plutarch. in *de placitis Philosophorum*, & Interpres Virgil. Certe ante Zenonis ætatem vestigia illius opinionis reperias.

Ætas infinita diesque] Hoc firmabit emendationem nostram circa locum illum in quo antea legebatur, *longa diei infinitæ ætas anteacti temporis.*

Fuere]

Fuere] Subaudiendum, *illa*, ut jungatur cum *E quibus*, &c. intelligit prima corpora insectilia.

Rerum summa] Τὸ πᾶν: rerum universitas; cujus vix millesima pars est hic mundus; Quod Dei majestate dignius.

Volgo] καθόλου & rectè quidem, ex positis; cum enim principia infirmitatis ultimæ essent, vel levissima causa satis esset ad dissolutionem, & ad resolutionem ad τὸ μηδὲ ὄν.

Tactus satis esset causa lethi] Non temere alibi reperio tale Latinitatis exemplum, sensus est; Vel levissimus tactus satis foret, quia nihil fundamenti in re concreta esset.

Quippe ubi] Jam supra, sed hic paulo aliter, *Cum*, &c.

Quæque] Vel levissima, ἤ τυχοῦσα.

At nunc] *Nunc*, Latine, & νῦν, Græce, pro *autem*.

Dissimiles, & æterna] Nam æternitas per se nil valeret, nisi eò accederet quoque dissimilitudo; sine qua nil connecti potest. Quippe æterna quidem essent corpora prima; sed non ideo vel per horæ momentum concreta manerent.

Dum] Interea dum, donec.

Obeat] Bene, *obeat*, hoc loco; non supra,

Discidio] καταλύσεις, seu ἀνάλυσις est.

Ad corpora materiai] Ad ultimam resolutionem, quæ tum talis est, dum ad corpora materiæ, &c. qui terminus ultimus est meditationis physicæ.

Postremo] Vox est objectioni serviens. Dicet aliquis, pereunt imbres; imo non pereunt, nam ex illis lætæ fruges, pueri, puellæ, rosæ, lilia, leones, pantheræ, omnia.

Pater] Versus Virgilii in Georg. huc referendi. *Æther pater, tellus mater*; à situ & virtute.

Nitidæ] Lætæ, uberes, ἀδρὰ: πιαινόμενα.

Ipsæ] Sine cultu humano; sed non sine vi primigenia. Virg. sæpe in Georg. & Lucretius non minus sæpe.

Hinc]

Hinc] Junge cum *pingues*, hinc pingues factæ, *&c.*
Fessæ] al. *fœtæ*. non placet.

Artubus] al. *artibus* quod idem est, tamen malim *artubus*: unde *artutus, a, um*, bonos & solidos artus habens, *&c.*

Lasciva] Ludibunda (*enjouée*;) unde *lasciva capella*, Virgil. *lascivi pueri* Horat. (sine omni obscenitate) & apud Varr. de R. R. cap. 14. lib. 1. ubi de sepimento naturali loquitur, *præterentis lascivi non metuet facem ardentem.* Pacuvius de piscibus:

.....*piscium lasciviam,*
Intuerentur, nec tuendi satias capere posset?

apud Ciceronem de Divinat. & lib. 3. de Oratore. Salust. in Jugurth. *Quod is* (dies) *festus celebratúsque per omnem Africam, ludum & lasciviam magis, quam formidinem, ostentabat.* Iterum Varro de R. R. c. 3. *quod capræ lascivæ, & quæ dispergunt se.* Vides quid sit.

Mentes novellas] Versus plane admirabilis, seu physico, seu ethico homini; ἀπαλὰς φρένας, καλὰς, &c.

Alid] Id est *aliud*, dicebant *alis pro aliis*: adi Muret. ad Catullum, ut & Scaligerum. Item Manut. ad Salust.

Agesis] *Sis*, si vis, *facsis*, *diesis*, *venisis* & alia id genus. In plurali dicebant *sultis*, id est *si vultis*. Cæterum in al. melius legitur, *Nunc, age, res quoniam.*

Cæptes diffidere] Diffidas. V. Muret. ad Catull.

Incita] Miror fuisse qui legi voluerint *insita*: certe hinc Virgilius sumpsit quod in 12. legas.

apicem tamen incita summum
Hasta tulit..... & paulo post,
Crebro super ungula pulsu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.

Eos locos poterat afferre Gifanius.

Montes supremos] Τὰ ἄκρα τῶν ὀρῶν.

Cæca] Quæ oculis non subjaceant; Virg. & Lucret. centies.

Sævitque minaci murmure pontus] De hoc loco

loco in Emendat.

Mollis aquæ natura] Id est *aqua*, jam supra, & *natura serpentum* Sallust. serpentes ipsi.

Ruit qua quidquid fluctibus, &c.] in Emendationibus.

Rotanti turbine] Sunt qui legant, *rotantia*: perinde est.

Moribus] Ita legendum, non *motibus*. Id uterque Interpres probare poterat auctoritate Virgilii; est enim in Georg.

Ventos & varium cœli prædiscere morem
Cura sit.....

Aperto corpore qui sunt] Qui sub oculos cadunt.

Tum porro] Sentimus odorem, calorem, frigus & sonum; quæ omnia naturæ corporeæ sunt, neque tamen sub oculos cadunt: nil igitur mirum si prima corpora, quæ tantæ tenuitatis sunt, videre nequimus.

Tuimur] Intuemur.

Fluctifrago] Id proprie Græci vocant κυματωλὴν, id est αἰγιαλὸν ὑπαγωγὸν,

Dispansæ] Virg. in 6. *aliæ panduntur ad ventos.*

Serescunt] Ξηραίνονται, in Veteri onomastico Vulcanii, à *fereo*, unde *serenus*. Origo enim vocis Latinæ à Græca ζερὸς seu ξηρὸς.

Perfederit] Penetrarit, seu inhæserit, imbuerit.

Quin etiam] Vide Emendationes.

Habendo] Dum fertur, dum geritur; passivæ significationis. Virgil. 3. Georg. *alitur vitium, vivitque tegendo.* Id est dum tegitur. Ita Lucret. *inveteraſcit alendo*; dum alitur.

Signa manus dextras] Intelligit deorum tutelarium signa, quorum manum dextram qui exirent ex urbe, & qui ingrederentur, osculari solebant, idque boni ominis causa: neque tamen ullus, quod sciam, veteris scriptoris locus ad id demonstrandum affertur; sed ita res describitur, ut minime dubia videri debeat. Cur autem dextram potius oscularentur, quam lævam, habes Varronem qui doceat in excerptis ex Servio in I. Æn.

Invida]

Invida] Quæ nobis hanc ſui cognitionem invidit.
Contenta] Quantumvis intenta.

IV. *Ævo macieque ſeneſcunt*] Hunc locum Lucretius ex Pacuvii Peribœa imitatus videri poteſt. *Corpus meum tabe, mœrore, errore, macore ſenet.* Sed ibi pro *errore* legendum eſt *ægrore*, qua voce in VI. & alibi, uſus Lucretius.

V. *Impendent mare*] Ita legendum, pro *impendent mari.* Terent. *tanta te impendent mala.* Ita Plautus & Lucilius. Quamobrem erraſſe Feſtum arbitror in ME, cum hæc ſcribit: ME *pro* mihi *dicebant antiqui, ut Ennius, cum ait lib.* 11. Si quid me fuerit humanitus ut teneatis: *& Lucilius:* Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet agatur.] Male; nam prius illud exemplum nil probat, cum Latini omnes non minus recentiores quam vetuſtiores dicant, *ſi quid illo homine fuerit, Quid me fiat,* &c. quod Imterpres Ter. explicabit. Poſterius autem, nihilo etiam amplius; cum in hoc Lucretii loco legamus, *ſaxa impendent mare.* Præterea, quod plane ejuſdem modi eſt, dicebant, *exitium inſtat illos.* En tibi auctorem locupletem in Pœnulo. *Dii immortales meum herum ſervatum volunt, & hunc diſperditum lenonem; tantum eum inſtat exitii.* An ibi dixerit Feſtus *eum* eſſe in dandi caſu?

Veſco ſale] Qui arrodit, exedit, *&c.* V. Gell. qui hunc locum reſpexit, lib. 16. cap. 5.

Nec tamen] Supra probavit eſſe corpora prima, eaque miræ cujuſdam exiguitatis, quæ ſola ſunt rerum principia; Nunc probat eſſe *Inane.* Cæterum quod tamen multi exiſtimant, Inane non eſt principium, non magis quam privatio.

Quapropter] Definit quid ſit; inane, inquit, eſt locus intactus & vacans, ſine quo nil gignit natura; nam abſque meatulis & exiguis τῶ κενῶ porulis ſeu ſpatiolis, à quibus aliena non eſt natura, haud facile quid crearetur.

Sublima] *Sublimus, a, um,* qua voce olim uſus &

Sa-

Saluſtius, ut ſublimis, *bilarus*, hilaris, *gracilus* (Terent.) gracilis, *ſterilus*, ſterilis.

Non tam] Sententia eſt: Non modo carerent motu ſed potius nata omnino non eſſent.

Materies quieſſet] Nam ſine motu nulla dari nec fingi generatio poteſt; at ſine Inani nullus motus.

Quamvis ſolidæ] Quantum voles ſolidæ, quamlibet. Virg. *quamvis avido*, & in 7. Varr. de R. R. *Lucienus homo quamvis humanus & jocoſus.* cap. 5.

Uſque vel ab radicibus] Vim ἐπιτατικωτάτην habet τὸ *uſque*. Terent. *uſque ex Æthiopia. Cum repeteret uſque à Corace neſcio quo & Tyſia*, &c. Cicero de Orat. lib. 1. & ab Attic. 1. Ep. 13. *eos uſque iſthinc exauditos putem.* Græci dicerent ἕως. Callim. ἕξ ἵπ κείνυς, &c. ab eo uſque, κεῖθεν alibi.

Contra autem] Series verborum, Natura τῶν Inanis manet (eſt) ſine pondere.

Dedicat] Aſſerit, probat, *de* enim affirmat, ut *demagis* apud Lucil. *demiror*, al. legunt, *deliquat*, id eſt liquido declarat, διαρρήδην ἀποφαίνεται, ἀποδείκνυται, alii etiam *delicat*, ut Plaut. in Milite.

Ita vero, ut tu ipſe me dixiſſe delicas.

Præcurrere] Illud ipſum eſt, quod vulgo dicunt, prævenire objectionem; cum videlicet difficultati obviam imus, &c. alibi dixit, *illuc prævertor*, &c.

Piſces ire nequibunt.] Si Inane adimas ſcilicet.

Initium movendi] Paſſive, τῆς κινεῖσθαι. ita *erudiendi*, pro παιδεύεσθαι, ex Trogo. Sic Cicero, Plautus & meliores. Sed Varronis in II. de R. R. locus obſervandus: *Sive enim aliquod ſit principium generandi animalium, ut putavit Thales.* Neque aliter illud Virgil. in 7. accipiendum: *penuria adegit edendi.* Cæterum pro *initium* legit Lambinus *iuitum*, quod probum eſſe poteſt, ita enim *initus* pro principio, ut *exitus* pro fine ſumitur: ſed locus ille Ovidii quem attulit ad verſum 13. hujus libri, aliud ſignificat, nempe μίξιν ἀφροδίσιαν. Quod autem *initium* triſyllabon eſt, nihil frequentius ejuſmodi ſynizeſi.

Poſtremo

Postremo duo de concursu] DE, quod pauci observant, significat *post*. Plaut. *non bonus est somnus de prandio*, in Mostellaria. Virgilius autem non aliter interpretandus: *Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus*. Itaque *de concursu* est post concursum,

Nec si jam] Notandum pro, *Nec si etiam*.

Conducere] Συναθροίζειν, συνάγειν, cogere.

Causando] Multas προφάσεις afferens.

VI. *Quietes*] Haud scio an ullibi reperias τὸ *Quietes* in hoc significatu. Κοιμητικὰ Græcorum κοῖτας vocant, ut Callim. hymn. in Dianam, unde & vox Latina orta est ex κοιτὲ, *quietis* (quod nunc *quies*,) ut ex ἀκὶς, *acies*, &c.

Institerunt] Semel dictum esto, penultimam in omnibus hujusmodi præteritis, communem olim fuisse.

Quod si pigraris, &c.] Si vero te pigeat hanc veritatem admittere; Aut, si vero vel tantillulum modo te pigeat, hunc laborem veri investigandi capere. Quod autem hic dicit Lucretius (*paullumve abscesseris abs re*) habet locum plane germanæ significationis paulo inferius: (*retroque vulgus abhorret ab hac*) Interpres putavit τὸ *pigraris* significare, tardiorem fieri, mihi longe aliter videtur. In lib. quibusdam legitur, *quod nisi pigraris*, quam lectionem amplexus est Gifanius, quo judicio, ipse viderit.

Hoc] Quidnam illud? Id scilicet quod modo legisti, Fore ut possis cæcas latebras rerum physicarum convisere, &c,

De plano] *De plano pronuntiare* quid sit in Jure, ex Brissonio, Hotomanno & Budæo notum. Nam τὸ *de plano* appositum est τῷ *de tribunali*, vel *pro tribunali*. Sed fortasse nil opus istis. *De plano* enim fuerit pro plane, ut *de facili*, pro facile, ῥᾳδίως, *de nihilo*, ob rem nullam. Forte etiam ut apud Plautum, *plane*, *non obnoxie*. Quid sit docebunt Interpretes.

De quavis una re] pro, qualibet. Poterit notari.

Diversa] Alia sursum, alia seorsum, dextrorsum alia, &c. hanc enim vim habet τὸ *diversus*. Virg.

hanc

hanc ex diverſo ſedem venimus in unam. Saluſt. *diverſi abeunt.*

Communis ſenſus] Non intelligit eam animorum noſtrorum facultatem, quæ vulgo *ſenſus communis* dicitur; ſed ſenſum omnium omnino hominum. Corpus eſt per ſe, inquit, id enim ita eſſe omnes homines ſentiunt, certiſſimum veritatis criterium.

Quo niſi] Senſus enim ſi falſi fuerint, quid certum exiſtimare queas? quodnam nobis à natura datum inſtrumentum eſt? *&c.* neque enim ultra judicia ſenſuum datur progredi, niſi per additionem, applicationem, *&c.* quæ ſæpe fallaces, aut certe nihil ad ſenſum.

Supera] Supra, ut *infera* pro infra. Sunt autem formàta ἀναλόγως; at illa altera decurtata ſunt.

Quod quaſi tertia ſit rerum] Vide Emendationes, al. habent, *tertia ſit numero.* Sed nihilo melius.

Tactus] Intellige tactilitatem, in notione paſſiva ſcilicet.

Fungi] Vox Lucretiana pro *pati.*

Ratione animi] Διανοίᾳ, cogitatione, intelligentia.

Apiſci] Apprehendere. Gr. ἅπτω.

Cluent] Sunt. Jam antea.

VII. *Conjuncta, Eventa*] Gr. συμβεβηκότα, καὶ συμπτώματα. Intellige autem accidentia. Ex illis vero quæ ſunt inſeparabilia (ἀχώριστα Stoicis,) ea *conjuncta* dicuntur Lucretio, alii *propria* vocant; ſed quæ *eventa* dicuntur huic noſtro, ea vulgo *accidentia communia* vocitantur. Conjunctum, ut τὸ συμβεβηκὸς, notat aliquid connaturale; eventum autem, aliquid extraneum, & à caſu, σύμπτωμα. Quod notio verbi attentius conſiderata ſuadet.

Sine perniciali] Intellige inſeparabilia, ut pondus à ſaxo ſeparari nequit, *&c.* ſed eventa poſſunt. Mox fuſius explicabit; & res nota eſt.

Potis eſt] Neutraliter. De quo in Emendationibus ad alium quemdam locum.

Tactus, intactus] Tactilitas & intactilitas. Ita enim intelligi debet ut ſupra.

Tempus]

Tempus item per se non est] Dixeris, esse aliud quid in rerum natura, quod nec agit, nec patitur; nec locum præbet gignundis rebus; Ergo minus vere aiebas modo, &c. Falleris, inquit Lucretius; nam tempus cum nec agat nec patiatur, nihil esse potest; ergo, &c. nam sine moto & movente non est.

Sensus] Cogitatio: nam per memoriam amplectimur præterita, de futuris autem ratiocinamur. Item memoria sublata tempus præteritum nihil est; futurum nondum est; præsens quoque, nisi de eo cogites, non magis est quam utrumque. *Consequitur*] συλλογίζεται. *colligit.*

Nec per se, &c.] Sensus est: Tolle motum, tolle quietem, nulla temporis notio est. Istud autem per *se* jungi debet non cum *quemquam*, sed cum *tempus*.

Tyndaridem] Helenam Tyndari filiam. Cæterum tam alio exemplo uti poterat, ut Philippi, Epaminondæ, Xerxis, &c. quam Helenæ; sed hoc illustrius visum est, ἢ ποιητικώτερον.

Cum dicunt esse] Haud scio an facile explicare possim, quid sentiam, sed ego, ut potero, dicam. Hæc objectio Latine fieri posse videtur, Græce non ita. Nam sermonis Latini inopia cogit, ut utamur verbo *sum, es, est,* in re temporis præteriti, ubi quid factum dicere volumus. Itaque siquis dixerit, *Victum est Illium,* extemplo argutator aliquis respondebit, *Victum est?* ergo est; quod falsum. At Græcæ hic lusus sophisticus in nebulam abiret; nam diceremus ἐνικήθη, κατεφλέχθη, neque opus haberemus verbo ἔστι ad enunciationem illam formandam. Hunc locum sic necessario intelligendum arbitror. Si fallor hoc habeo solatii, me aliorum opinionem non ignorare. Certe quæ addit Lucretius, huic explicationi maxime favere videntur.

Quando & sæcla] Quasi dicat, Quî tandem hæc sint, cum illi homines non sint amplius, quorum eventa fuerunt illæ seu historiæ, seu fabulæ? At eventorum natura nota est; ergo.

Quando & fæcla] Hi duo verſus inter Parentheſin includendi.

Alexandri] Paridis, qui cur ita dictus ſit, docebat Euſtath. & Apollod. in III.

Phrygio ſub pectore] Sub pectore Paridis, qui Phryx fuit. Ita, *Tyrrhenam haſtam vibrabat*, Virg. id eſt, ipſe Tyrrhenus ὢν haſtam vibrabat, &c. hac figura delectabatur Virgilius.

CAPUT

CAPUT III.

I. *Error insignis Gifanii.* II. ESCIT *pro* erit, *aliter scribendum videri.* III Quodde & quode, *& unde orta.* IV. Quàm totus super ignis, *ab Interpretibus dissensum.* V. *Pub. Ovidii locus in Amor. tentatus.* VI. *Locus Virg. male intellectus.*

Liscens] Crescens, coalescens, sed non id quod Gallice significat, labi, insinuare se, influere; alioqui grave in oratione vitium sit; & tamen hunc errorem erravit Vir omni admiratione major in Physiologia, cum scripsit: *Videtur Epicurus existimasse corpora illa minora, rotunda, levia, glisentia fuisse,* &c. item pag. 672, *Horizontem quoque deflexum haberent, ac supra eum magis magisque glisserent, donec consistere omnino non possent.*

Durateus] Ligneus, δόρεος, δάρεος, δόρυ, δάρυ, lignum. *Dureus, Darius,* &c. δάρειος. Euripid. in Troad. rem explicat.

Partu] Virg. *gravis attulit alvo,* & alibi.

Corpora] Corporum alia sunt simplicia, alia concreta.

Transit enim] Parenthesis est, quæ novem versus amplectitur.

Fero, ferventi,] Duplex Epithetum est, quod nec clarissimi poetæ refugerunt, alii tamen lib. *ferventia* habent.

Rigor auri] Aurum solidum, durum; *glacies æris,*

eadem metaphora, πλαξ, forte & aliter, aurum frigidum, æs frigidum, prius malo.

Utrumque] Frigus & calorem.

I. *Lympharum rore*] Ros pro quavis aqua; res nota est. Sed utinam pro otio ridere possem; Gifanius ad eam rem choragus foret. *Horat.* inquit, *maris rorem dixit pro aqua marina.* Verum ubi ille *ros maris* apud Horat. pro aqua marina? docebit Pareus σοφίτης Gifanii, homo ligneus. lib. 3. inquit, od. 23. v. 16. Videamus itaque. En tibi ipsissima poetæ verba.

Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

Bene! aqua marina coronantur dii. O me hominem nihili, qui olim putabam *rorem marinum* esse fruticem illum seu arbusculam notissimam, quæ Gall. *romarin*, Ital. autem *osmarino*, dicitur. Græc. λιβανωτὶς. Sed tamen in hoc Ovid. ex 3. Artis. aquam etiam marinam esse dicent? dignum factis suis facerent.

Sylva nemus non alta facit; tegit arbutus herbam,
Rosmaris & laurus, nigraque myrtus olent.

Dissimilis rerum longe] Longe dissimilis.

Esse utramque sibi per se puramque necesse est] Observanda Latinitas, *Utraque sibi per se est*: arbitror autem istud *Sibi* jungendum esse cum Se; uti dicebant, *meus mihi, tuus tibi, suus sibi*, &c. pro eo qui maxime proprius καθ' ἑαυτὸ esset. Exempla è Plauto, Terentioque peti possunt.

Quacumque vacat spatium; & *eâ vacuum*, &c.] Hoc ipso refelles quod asserit Gifanius in illo suo Indice ad locum quemdam Ovidii in voce *ut*. Testimonia multa collegit Gifanius ad Eleg. I. Lib I. Ponticorum.

Genitis in rebus Inane est] Alioqui nunquam dissolverentur: Imo nunquam creatæ fuissent.

Inane queat rerum] Hic vero naviter ridiculus est Gifanius, Sed jam à Lambino vapulavit.

Materies] Corpora prima.

Esse

Esse æterna potest] Μείωσις, vult enim dicere *debet*. Exempla alibi.

Alternus] Corpus Inani distinguitur, Inane autem corpore miscentur, temperantur, alternatim coalescunt, si ita licebit loqui.

Nec plenum naviter] Nil est quod sit plenum naviter, neque quidquam est quod sit plane vacuum sine omni pleni mixtione. Loquitur autem de rebus genitis seu concretis, non autem de principiis rerum. Quamquam principia dici non possunt plena; sed solida.

Neque extrinsecus] Quia plagæ nil possunt sine Inani, quà scilicet penetrent.

Nec penitus] Quia, cum sint solida, nullus locus plagis internis esse potest.

Retexi] Dissolvi, ita ut textura pereat. Notum est τὸ *Re* habere aliquando vim ἀναστευαστικὸν, ut *refixit, revelare*, &c.

Nec ratione alia] Nulla enim esse potest, nisi ex utraque superius posita constaret.

His rebus] Æstu, humore, *frigore*, &c. Tamen vide Emendationes.

De nihilo quoque nata] Quod necessario sequitur, al. *de nihiloque renata*.

Nec ratione queunt] Lego *queant*, possint, possent.

Denique si nullum finem] Nobilis quæstio. Sensus est: Nisi finem certum frangendis seu dissolvendis rebus natura statuisset, ita jam diminuta corpora primordialia essent, nihil ut ex iis posset matureſcere; at nunc, uti sese res habere videmus, finis aliquis rebus frangendis est, ultra quem nullus progressus datur. Itaque solidum aliquid & ἄθραυστον in Natura sit necesse est, unde omnia revirescant.

Longa dici] Vide Emendationes.

Asthuc] Εἰς τὸ νῦν, in hunc usque diem.

Generatim] Itaque genera seu species non minuuntur, ἐξ' ἀλλοιοῦνται.

Huc accedit] Alii *Hoc*, quod idem est, *hoc*, pro

huc, *isthoc*, pro isthuc; titivillitia grammaticæ: sententia est: Sed cum solida sint prima corpora, unde mollities, ὑγρότης, & liquidum concretum, &c. Ex admissione inanis.

Cum constant] Pro, cum constent. Ita scilicet loqui mos erat. Istud enim CUM eandem vim habet ac τὸ *quamvis*; sed *Quamvis* apud Horatium, Ovidium, Salustium, cum primo modo junctum videas: exempla ex iis peti possunt.

Aer, aqua, terra, vapores] Vapor, ignis est. Dices, Ergo elementa non sunt prima corpora; non sunt, neque adeo possunt, quid ita? quia concreta, quia συγκρίματα, &c. Elementa enim sunt principia secundaria, ut vulgus loquitur.

Quo pacto..... & qua vi cumque genantur] Isthuc *cumque* jungi cum *pacto* debet, ut & cum *vi Genantur* autem, optime Lambinus. At Gifanius qui male istud ab illo introductum queritur, nimius nugator est. Deinde quid discriminis inter τὸ *genere* & *gerere*, non viderat.

Quin constant] Imo constant, in al. *quando*, male.

In ordine] Ex ordine, vel ordine, ἐφεξῆς, vel ἑξῆς, una serie, perpetuó. Plaut. Terent. Virgil.

Materiæ] Primordiorum.

Sæcla] Pro singularibus cujusque generis.

Tum porro] Nunc aget de MINIMO, (Epic. ἐλάχιστον vocabat) ultra quod nulla detur fractio, contra Peripateticos. Inde probabit atomos suos. Cacumen autem vocat Lucretius punctum illud corporis, ad quod ubi deventum est, nulla sectio detur.

Nunquam per se] Sed γῶ & δυνάμει tantum.

Agmine condenso] Alii leg. *augmine*, melius. Intelligit autem mole culas, quas alibi *glomeramina* vocavit.

Naturam corporis explent] Tandem corpus constituunt.

Minimis partibus] Quod tamen falsum, unde mox addit *non ex ullorum conciliatu, sed magis æterna pollentia*

tia ſimplicitate, Itaque eſt *correctio* ſeu *emollitio* audacioris dicti. *Magis* autem ſignificat *potius*; idque ni foret, ſenſus abſurdus eſſet. Catull. *Id, Manli, non eſt turpe, magis miſerum eſt.*

Reſervans ſemina rebus.] Nam ſi daretur fractio ad infinitum, neceſſario ſpecies diminuerentur.

Ex partibus infinitis] Quod abſurdum; nam ubi ad ἐλαχιστότατον devenero, tum licebit Peripateticis porro pergere; unde fiet ut bis milleſima pars in totidem partes æque dividi poſſit, ac univerſa corporis moles.

Quippe ubi] Quandoquidem.

II. *Eſcit*] Erit è veteri Latio. Hujus loci emendatio Lambino, non Gifanio, debetur. Arbitror autem corruptos eſſe veteres codices, & Feſtum ipſum; neque enim temporis futuri terminatio eſt SCIT, ſed SCET, ut à *lego, leget, condo, condet*, &c. Inde eſt quod apud Feſtum alibi legas, OBESCET, oberit. Fit autem à Græco ἔω *ſum*, unde ἔσχω, & ἔσχεν toties apud poetas pro *erat*. Ita ex *eo, eſco*, ut à *floreo, floreſco*, &c. Pro *erit* autem dicendum fuit more veterum *eſit*, ἔσει· unde in 12. Tab. *nec eſit* pro *non erit*. Feſt. in *Nec*. At in futuro modi ſubjunctivi dici oportuit, *eſſo, is, it*, ut à *prohibeo, prohibeſſo* (id eſt *prohibuero*) ab *expugno, expugnaſſo* (id eſt *expugnavero*.)

Non erit ut diſtent,] Οὐχ οἷόν τε ἔσται ἄπειρα διαφέρειν, &c.

Multis] Optime à Lambino reſtitutus hic locus eſt, invitis omnibus MSS.

Non poſſunt ea] Subaud. *habere*, non poſſunt habere, quia concreta ſunt, determinata affecta, &c. Itidem ut metalla ſe habent ad lapidem chymicum, ut vocant; ſunt enim mortua.

Si nulla eſt finis] Ut iſti volunt, non Epicurus.

Tamen] Pro *tandem*. Plaut. Terent.

Clueant] Sint.

Et quoniam] Falſa ſuppoſitio ex aſſertione Peripatetica.

Obſcuram linguam] Notiſſimum illius cognomentum, σκοτεινὸς, & αἰνικτὴς, de quo Laertius.

III. *Quamde graves inter*] *Quamde*, quàm, ut alii probavere. Addo ego & olim dictum fuiſſe, *quodde*, à Græco ὅτι δὲ, (nam *quod* Latinorum natum eſt ex ὅτι.) Verſum itaque Lucilii apud Nonium lego, *Quodde tuas laudes culpas, nil proficis hilum.* Dicebant etiam *quode* pro *quò* movendi adverbio. Plat. Moſt. *quod' ego eam an ſcis?*

Inverſis verbis] Notus Terentii locus, ex eo probat Turneb. *inverſa verba* eſſe inflexa & tropo mutata, quod verum eſt.

Ex vero] Lamb. *uno*, id eſt ſolo.

Nil prodeſſet enim] Quaſi diceret, Quod enim ait Heraclitus, ut ſuo dogmati conſulat, ignem, dum denſatur, humeſcere, &c. nil agit; quanto enim impenſius denſabitur ignis, tanto & ignis amplius fuerit; quin rarefactio nil efficiet; nam, ignis quantumvis rarefactus, ignis tamen eſt.

IV. *Quam totus habet ſuper ignis*] Lambinus de igni ſupero ſeu ætherio intelligit; (nam & *infer* & *ſuper* olim dicebant, uti ex Catone Cenſorio cap. 149. conſtat.) Eadem Gifanii mens eſt. Sed iſtud *Totus* ne quid tale putem efficit. Quare exiſtimo hoc loco SUPER eſſe adverbialis formæ, ita ut *totus ſuper ignis*, ſit *reliquus ignis*, ſeu alii ignes. Exemplum cuperes. En tibi, nec longe abeo. Virgil. *ô mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago*; imago quæ reliqua es.

Conductis] Condenſatis, συναθροισθέντων.

Diſque ſupatis] Et diſſipatis. *Supare*, jacere eſt, unde *inſipare* pro *injicere*, *obſipare* pro objicere, (ut *obſipa pullis eſcam*, objice Varr.) id eſt παρεμβαλλε. Ariſtophani. Exempla autem hujus diviſionis, ſectionis, tmeſeos in verbis & nominibus afferam, apud Lucil. eſt, *deque petigo*, pro depetigoque; Noni. *deque totondit agros.* Enn. at vero apud eundem plane mirabile eſt, *Cere comminuit brum*, pro, Cerebrum comminuit: apud Varr. R. R. lib. 2. cap. 9. *conſue quoq;*

faciunt,

faciunt, at lib. 1. cap. 9. *perferve ita fit*, pro ita perfervefit, lib. 3. cap. 4. *Excande me fecerunt cupiditate.* Ita in quibuſdam precationibus, *ob vos ſacro*, pro obſecro vos, & *ſub vos placo*, pro ſupplico. Feſt. Ita Enn.

Annibal audaci dum pectore de me hortatur.

pro dehortatur me, Ex Calpurnio. Exempla bene multa apud Lucretium reperies, quibus emolliendis hæc erunt.

Talibus in cauſis] Si tales cauſas ponas, quales & Heraclitus & alii, induxerant. Notanda Latinitas.

Facient] Ponent, ſupponent: *fac ita eſſe.* τίθει, &c.

Sed quia multa ſibi cernunt contraria, muſſant] Ita omnino legendum; ſed παγγελείῳ, fecit Gifanius, qui legerit, *ſed quia multa ſibi cernunt contraria eſſe.* O verſum admirabilem! Verum metrum omitto. Nonne videre oportuit loco τῷ *eſſe*, debuiſſe ibi verbum aliquod fuiſſe, cum id orationis vinculum probet, ET *fugitant*; ergo *muſſant*, & *fugitant*, &c.

Vaporem] Calorem, jam antea. Varro.....*ut cioniæ.*

Quarum bipennis fulminis plumas vapos

Peruſſit alte..... Ita *vapore flammeo*, Pacuv. apud eundem in de R. R. lib. 1. cap. 2. Ita *vapore ſolis*, apud Curtium, ubi de Cydno & Ciliciæ terræ ingenio. V. Ovidii locum in I. Amor. Eleg. II. videor emendare poſſe. Ibi Cupidinem alloquens, ſcribit,

Non poſſunt, licet ipſe velis, ceſſare ſagittæ;
Fervida vicino flamma vapore nocet.

Legendum, *nativo*, non *vicino*; nam propter illud *(licet ipſe velis)* debuit dicere, *nativum eſt flammæ, ut ſemper urat*; hoc ei naturale eſt.

Quod ſi forte] Altera pars: *Si vero ignis ita ſtinguatur* (al. male *ſtringatur*) &c.

In cœtu] Congreſſione, coitione, &c.

Scilicet ex ulla facere id ſi parte reparcent] Al. *reporcent*, male. *Reparco* autem eandem habet vim propter illud ſuum *Re*, quam multa alia verba, ut *relino*, *refigo*: nam *relino* non eſt iterum *lino*, ſed id quod litum erat detergo, picem ſeu cerumentum abra-

do, &c. Ita *repercutere nummum*, Tertullian. At Latine *parco id dicere*, significat, *nolo dicere*, caveo ne dicam, *parce piæ scelerare manus*. Virgil. Itaque *reparco facere*, significabit *libenter facio*, aut quid tale. Cæterum τὸ *facere* in hoc versu pro πιθέναι, accipio; ut cum dicimus, *fac ita esse*; *pone illum esse victum*, &c.

Hoc] In quod mutatum est scilicet.

Superare] Semper restare, supereſſe.

VI. *Ollis*] Illis. Virg. sæpe, sed ille locus (*olli subridens hominum sator atque deorum Oscula libavit gnatæ*) improspere à Dionysio allatus est; *Olli* enim significat *Tunc*, *illi* pro *illic* apud Terent. & Plaut. alioqui nunquam dixisset Virg. *illi gnatæ suæ*.

Corpora] Primordialia.

Vllæ rei.] Ita dicebant, *totæ*, *illæ*, *ipsæ*, *alteræ*, &c. in dandi casu.

Adjectu] Ἐισβολῇ, jactu, ut dicemus, telum adjicere.

Rem veram] Vide Emendationes.

Hic idem] Heraclitus.

Nostros tangere tactus] Bene. Nam omnis sensus necessario tactus est.

Perdelirum] Qui pro *delirum* scribi volunt, *delerum* quasi à λῆρος, falluntur. Nam *delirus* vox est terræ Italiæ, Varr.

Nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat.] Sic locum hunc explicandum puto. Pugnare, seu stare ab aliquo est pugnare pro aliquo, partes alicujus tueri, &c. Heraclitus autem qui sensus esse certo dicebat, planissime contra sensus agebat, cum diceret omnia esse ignem; Nam id si verum foret, sensus nostri ignem sentirent, quem tamen in pomo, in aqua, in marmore, ligno, &c. non sentiunt.

Unde] Ex quibus sensibus.

Cætera non credit] Sensus nostros cognoscere, aera, aquam.

Referemus] Jam supra.

Quam neget esse ignes] Satius enim fuerit, cæte-

ra

ra ponere & ignem tollere, quam contra; Major enim, ſi nihil aliud, Naturæ amplitudo ſit; quamquam ex illorum poſitionibus nil tale ſtare poſſit; nam manca foret natura.

Et qui principium] Anaximenem Mileſium præter cæteros intelligit. Videndus omnino libellus Plutarchi de placitis Philoſophorum; in quo hæc & plura.

Aut humorem] Uti à Thalete factum eſt.

Terramve] Quod mirandum: eſt enim tellus elementum iners & brutum, quodque alienam opem, unde excitetur, expectat. Neque ullum omnino nominatim reperio qui id de terra dixerit; nam quod Pherecyden aiunt ejus opinionis auctorem fuiſſe, haud ſcio an de uno Pherecyde intelligi debeat, cum & alii multi, qui Theogonias ſcripſerunt, à terra originem rerum repetierint. Locum Ariſtotelis alii notavere; itaque deſcribendo parcam.

Conduplicant] Quales fuerunt, Xenophanes, qui terram & aquam ſtatuit; Parmenides, ignem & terram; OEnopides Chius, Ignem & aerem: Hippo Rheginus, ignem & aquam. Quæ omnes opiniones ſtare poſſunt; niſi argutari libeat. Sed non ſemper veteribus æqui ſumus.

Imbri] Poſt hoc verbum octodecim verſuum hyperbaton eſt, uſque ad, *Hic tamen*, &c.

Empedocles] Vixit Olympiad. 80. Epicharmo æqualis, Laert. Gyraldus, & nos in poetis Græcis, qui mox Gallico ſermone prodibunt.

Acragantinus] Acragas, in meridiana Siciliæ parte, hodie *Grigenti*, *Gergenti*, &c.

Inſula quem] Notandum genus dicendi, *Quem inſula geſſit in oris triquetris terrarum*, pro, inſula triquetra geſſit, &c. Sicilia autem triquetra dicitur quaſi τριχέδρα; eſt enim ad figuram τοῦ Δ. accedens, & tria ἀκρα habet, Pelorum ad Septentrionem, Pachynum Orientem verſus, Lilybæum, ad Meridiem ac Occidentem.

Ionium] Majorem enim Siciliæ partem mare Ionium

nium alluit, *aſpergit* autem poſitum pro *adfundit*.

Virus] Humor eſt, fluentum, latex, liquor. alii lib. *littus* habent, minus recte.

Fretu] *Freto*. Ita hunc locum legerunt veteres magiſtri; quos inter Priſcianus, quin & eadem flexione uſus Cicero eſt.

Rapidum mare] Fretum Siculum, Italiam ab Inſula diſpeſcens.

Italiæ terrai] *Terra Italia, terra Gallia, terra Umbria, terra Græcia, terra Apulia*; ſic fere ſemper veteres. Exempla paſſim apud Plautum & Varronem, Lucretio *σύγχρονον*.

Ejus] Siciliæ nempe, quæ circa tempora Joſuæ, uti in Epiſtolis nuper oſtendimus, vi Superi maris à reliquo Italiæ corpore divulſa fuit.

Hic eſt vaſta Charybdis] In freto Siculo ad oram Siculam; nam erravit Ovidius qui ad oram Italicam ſtatuit; in eum errorem à Virgilio inductus eſt, quem non ſatis attente legerat, immemor deſcribi à Marone navigationem à Græcia in Italiam; tunc enim Charybdis ad latus ſiniſtrum jacet.

Rurſum] Propter tot exempla antiquarum cladium, quas Ætnæ incendium importaverat.

Eruptos] Notandum, inquit Interpres, *eruptos* ab abſoluto verbo. Tamen exempla alibi ſunt, quæ vel unus Virgilius multa dabit. *Erupti nubibus ignes. Proruptus corpore ſudor.* Deinde, quod nec Lamb. nec Gifan. cogitarunt, erumpo & prorumpo, ab origine prima non minus activa fuerunt, quam abrumpo & corrumpo.

Fulgura] Sæpe alibi pro fulgores.

Cum videtur, cum fertur] Ita loquebatur pro, *cum feratur, videatur*, &c. ſæpe alibi Lucretius.

Clarumq;], al. *carum*, id erit Græc. *πῆμον*, ſed malim *clarum*.

Vociferantur] Oſtendunt, probant. Ita Ariſtoph. *αὐτὸ χρῆμα βοᾷ*; quod alii imitati ſunt.

Reperta] Εὑρήματα. *Inventa*, ſeu *inventiones*.

Egregie

Egregie multus] Valde, impenſe, &c. Rhetor ad Herennium lib. III. *Nec egregie magnam eſſe utilitatem audacter pronuntiaverunt.* Paulo Poſt: *At ſi quid videmus aut audimus egregie turpe aut honeſtum.* Itaque *egregie turpe* idem firme fuerit, quod paulo poſt *unicam turpitudinem* vocavit. Notanda hæc fuerant ab Interpretibus.

Fecere ruinas] Κατεφάλισαν. corruerunt, ceciderunt.

Ibi] Circa illam quæſtionem, illud argumentum.

Faciant] Supponant, conſtituant.

Neque pauſam ſtare fragori] Itaque, fractionem dari ad infinitum; quam non admittebat Epicurus. Cæterum (*non eſt finis ſecandis corporibus.*) &, (*pauſa fragori non ſtat*) idem ſignificant. Fragor autem à *frago*, unde *frageſco* apud Accium duobus locis, pro *frangor*, ut à *tago*, *tagax*, *attigo*. &c.

Extremum] Extremum illud eſſe τὸ ἐλάχιστον, de quo antea, & in rebus ἄτομος conſiſtere.

Mollia] Ignem, aquam, terram, aera.

Nativa] Ergo pereunt; quare principia eſſe nequeunt.

Habebas] Didiciſti, ut apud Plaut. Ter. *habes*, didiciſti. *Do* pro doceo. *Accepi*, pro didici.

Ipſa inter ſeſe ſunt venena] Alia aliis adverſa. Varro lib. I. R. R. *Ejus enim ſalivam fructus eſſe venenum.* Paulo autem ſuperius, plane ut Lucretius: *Quædam enim pecudes culturæ ſunt inimicæ ac veneno*, Alibi item c. 45. *venenum enim gelum radicibus tenellis*, ut alio neſcio quo loco, *talparum venenum.* Sed *venena formoſarum mulierum* in admirandis illis Afranii verſibus, longe aliud dicas.

CAPUT

Caput IV.

I. Tabes nimborum *quid sit, non intellexisse Gifanium.* II. *Ovidius emendatus.* III. *Ut & Ennius.* IV. *In Manilio conjectura.* V. Flos *flamma.* VI. *Locus Virgilii emendatus.* VII. *Lectio vulgata contra Gifanium & Lambinum asserta.* VIII. *Locus Ovidii emendatus.*

Tempestate coorta] Male Gifanius, cui placet legi *coacta*, male, inquam, nam etsi dixerit Virgilius, *in nubem cogitur aer*; non continuo dicemus *tempestas coacta.*

Retroque putari] Ita ut principia dici queant.

Mutantque colorem] Ita sæpe *filum* pro qualitatibus legas, (est autem vox pictoriæ artis *filum*) ita & χροιὰν usurpant Græci.

Concilio] Congressu, cœtu, mixtione: pæne peculiaris Lucretio vox est in ea notione.

Quo minus proprie] Ita ut illud concretum non sit aqua, ignis, &c. sed proprietatem suam specificam habeat.

Repetunt à cœlo] Agit de circulatione seu permutatione elementorum seu principiorum; quamquam Peripatetici rite distinguunt elementa & principia.

Mundi] Cœli, jam alibi: ita Virgil. Manil. sæpissime.

Superare] Perpetuo remanere, supereſſe.

In commutatum veniunt] In commutationem, &c. id est commutantur. Hujusmodi verbalia in us amabant

bant veteres. Virg. *ô nunquam fruſtrata vocatus, haſta, meos.* Varro alicubi dixit, *agitatus*, Cato, *factus, (in ſingulos factus, à chaque facon,* vel *pour chaq; facon.)* c. 67. *factoribus det in ſingulos factus olei ſextarios.* Ita *occaſus* pro occaſione. Enn. *occaſu' juvat res.* Ita *conciliatus* in hocce libro. Et ſane multo melius quam poſteriores Latini; aliud enim eſt *commutatus*, aliud *commutatio:* Illud paſſionem ſignificare debet, hoc vero vel actionem, vel agendi modum.

Ex aliis ea, quæ, &c.] Id eſt, neceſſario tellus, aer, ignis, aqua, debent ex aliis quibuſdam conſtare, quæ tandem converti nequeant,

Quin potius] Ἀλλὰ μᾶλλον, ſed potius.

Sic alias aliis rebus] Vide Emendationes.

At manifeſta, &c.] Objectio eſt: Omnia è terra creſcunt: quod nemo neget: Sed tamen niſi benignus aeris tepor, lux ſolis & opportuni imbres accedant, nihil quidquam terra ex ſeſe progignet; ergo fatendum eſt, aquam, ignem, &c. eſſe principia. Ad eam objectionem reſpondet, ea non magis eſſe principia quam vinum, triticum & alia, queis vitam ſuſtentamus.

I. *Tabe nimborum*] Hic vero turpiſſime, ſi unquam alias, ſe defendit Gifanius; quod à Lambino animadverſum non fuiſſe miror. *Tabes nimberum*, inquit in Indice, *id eſt nimbi noxii & peſtiferi, eleganti metaphora. Tabes veteribus nihil aliud quam peſtis valet ſeu pernicies. Vide Feſtum* inquit. Eum certe χοῖρον ἐλεφαντικὸν elephanti corio circumtectum eſſe oporteat, qui talia ſcribat. Lucretius ex ſenſu illius qui contra ipſius principia aliquid objiciebat, dicit, ni tempeſtas fauſto tempore & imbribus indulgeat, ni arbor quandoque uberrimis pluviis ita recréata ſit, ut folia graventur, ni ſol foveat, ni calorem tribuat, &c. fruges, arbuſta, animantes creſcere nequibunt. Ibi, ut vides, omnia fauſta, commoda, opportuna adſcribit Lucretius: ibi autem homo noſter de peſtilentibus & noxiis imbribus narratum advenit. Deinde falſum

ſum illud eſt quod apud Feſtum legitur, Tabem nil aliud quam peſtem apud veteres valere: ſed ex pluribus ſignificationibus cum unam modo annotaſſet Feſtus, exiſtimavit Gifanius nullam aliam præterea eſſe; cum tamen hic Lucretii locus (ſi vel tantillum modo eum intellexiſſet,) ſatis oſtendere potuerit aliud omnino cogitandum fuiſſe. Tabes enim humorem, fluorem, ſeu liquefactionem ſignificat; unde in VI. *tabificis radiis ſol omnia luſtrans*; & *tabida nix* apud Iſivium, quæ jam μαραίνεται, & τηκεδὼν apud Diodorum lib. I. ubi de Nili in cremento agit, idem eſt, pag. 36. edit. Rodomannianæ. Τὸ δὲ πλῆθος τῆς σεσωρευμένης χόνος ἐν τοῖς Βορείοις μέρεσι τῆς μὲν τὰς τροπὰς μένειν πεπηγὸς, ἐν δὲ τῷ θέρει διαλυομένων ὑπὸ τῆς θερμασίας ἡμῶν πάγων, πολλὴν τηκεδόνα γίνεσθαι, καὶ διὰ τοῦτο, &c. Ibi πολλὴν τηκεδόνα χόνος, ſignificat, multam tabem nivis. Inde itaque factum ut *tabere* & *tabeſcere* pro diffluere, minui, *&c.* uſurpent veteres. Unde & μεταφορικῶς in Andromacha Ennii, *Quid fit? ſeditio tabetne, an numeros augificat ſuos?*

Scilicet] Reſpondet ad objectionem. Vide Notam paulo ſuperiorem.

Amiſſo corpore] Quemadmodum dicebant *facere corpus*, uti apud Phædrum optimum & puriſſimum ſcriptorem, ita & illum corpus amittere dicebant, cui ſuccus corporis defluit, φθίνεται, τήκεται. Contrarium eſt σωματοποιεῖν, de quo aliquid olim dixi.

Elementa] Literas, characteres, quæ & Gr. στοιχεῖα.

Sonitu ſonanti] Ita *cavas cavernas*. Virgil. Ennius autem, *cupiknter cupit*; & alia id genus.

Unde] Ex quibus. Senſus eſt: Primordialia corpora debent ſuppeditare plura, ex quibus, *&c.*

Homoiomeriam] Quænam dicantur ὁμοιομερῆ mox explicabit; Ea autem ſunt, quorum vel minimæ partes nomen totius ſui habent, ut lapis, ut aurum, ut ſanguis, *&c.* Latine *ſimilaritatem* dicere poſſemus.

Viſcus] Vir induſtrius, ſed quem, propter ordinem floren-

florentissimum, non appellabo, in eo libro, quem homini Germano surripuerat, negat viscus unquam pro omni carne sumi quæ sub cute sit: atque in eo cæteros imperitissimos esse & nugacissimos dicit; vellem probasset: Id certe, qui illi favent, si probare volent, Lucretium, Virgilium, Ovidium, atque adeo omnes bonos scriptores adversatores, faxo, habebunt.

Sanguen] Ita omnino primi Latini loquebantur. Nam *sanguis* natu junius est; itaque à sanguen sanguinis ut à flumen fluminis, &c.

Auri micis] Granis, particulis, &c. ut mica thuris, κόνδυγος, ut mica salis: auri micas Hispani *pipitas* vocant, id est grana, ψήγματα χρύσου, *Lat. ramenta auri*, quasi *rasimenta*.

Putatque] Hoc loco positum pro λογίζεται, unde *rationes putare*.

Imbecilla] Quæ tamen solida esse deberent.

Si] Correctio, ἐπανόρθωσις, Si tamen vocare principia debemus, &c.

Simili atque] Itaque esse principia non possunt. Alioqui principium crearet aliud principium, quod ridiculum.

Neq; res ulla refrænat] Subaudi, Illa principia.

Lethi dentibus] Mors omnia absumit, τρώγει, devorat, Catull. inde & Cancros & fauces Orci legas; ita hic dentes lethi.

Ex oculis nostris perire] Φεύδεται ὀιχόμενα, ἀφανῆ γίνεται

Testor res] Ad finem & probationem argumenti satis ea fuerint, quæ ante allata sunt.

Præterea] Venæ, sanguis & ossa variis cibis aluntur; at illi cibi ejusdem generis esse non possunt: Ergo neque sanguis, neque venæ, &c. similaria sunt. Itaque Anaxagoræ homoiomeria carere possumus.

Sive] Nota, ut apud Plautum & Terentium, pro, *Si autem*, vel *Sique*: quod ob sententiam notandum fuit.

Si sunt in terris] Id est, si in terra latebant, priusquam

quam crescerent, ergo terra ipsa ex alienigenis constabit, *quæ* (alienigena) *è terris exoriuntur.*

Necesse est] Ea enim omnia, si cum ligno comparentur, alienigena omnino sunt.

Fugæ copiæ] Id quod sequitur, ut omnibus rebus res omnes immixtæ sint.

Sibi sumit] Supponit, nec satis probat.

Unum] Series verborum, Cujus mixta sint plura, ἓν δὲ κεφάλαια πλείω τυγχάνη, *unum*, pro *unicum*. II. Emenda locum Ovidii lib. 2. Tristium,

Corruit hæc igitur Musis accepta sub uno,
Sed non exiguo, crimine lapsa domus.

Legendum est, *Si non exiguo.* Sensus enim hic esse debet: Si grave peccatum meum est, quo familia nostra Musis accepta corruit, illud saltem unicum est; si quid graviter deliqui, id semel feci, non pluries.

Atque alium] Cæterarum rerum quæ, &c. locum hunc optime restituit Lambinus.

Cum lapidi lapidem] Vide Emendationes.

Vbera lactis] Ovis lac ipsum. Nam τὸ *uber* copiam significat, *diuitis uber agri*, &, *ubere glebæ.* Virgil. Notum est, ὕδωρ ἀρύσης. III. Ita Ennius, *Dolciferæ fici* lactantes *ubere toto*, ubi legendum est, *lactentes.* Varro etiam, uti apud Nonium legitur, dixit *mammam lactis. Ac mammam lactis sugentem pascere pupum*, ubi in quibusdam codicibus male legitur *surgentem.*

Minute] Repente ἐξαίφνης, *dicebat.*

Cum præfracta forent] Leviter & in summo cortice fracta, stricta.

Minutos] Decebat scilicet, quod sexto superiori versu occurrit.

Verum semina multimodis debent.] Duos hosce versus aliunde huc translatos arbitror, (nam alibi plus semel leguntur) atque adeo tollendos. Alioqui dicendum fuerat non *debent*, sed *debere:*

At sæpe in magnis sit montibus] Objectio est: At sæpe fit ut ex crebro attritu cacumina arborum subito incen-

incendio conflagrent; ergo ignis in ligno eſt. Petitum ex Thucydide exemplum notiſſimum eſt, IV. cui addam & illos verſus qui apud Manilium leguntur, lib. I. quamquam ab opinione Epicuri diverſus abit:

Sunt autem cunctis permixti partibus ignes,
Qui gravidis habitant fabricantes fulmina nubes,
Et penetrant terras, Ætnamq; imitantur Olympo,
Et calidas reddunt ipſis in fontibus undas,
Ac ſilice in dura, viridiq; in cortice ſedem
Inveniunt, cum ſilva ſibi colliſa crematur.

Sed in tertio legi mallem, *Ætnaque imitantur Olympum*; quod ex Virgilio adumbratum ſcimus.

V. *Flammai flore*] Ἄνθος πυρὸς, ut aiunt, Homericum eſt, proferturque à multis hic verſus ex principe poeta:

Αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπταιτο παύσατο δὲ φλὸξ,
Sed poſtquam ignis flos avolavit, ceſſavit autem flamma.

Verum id legere me apud Homerum haud ſane memini; quin & illam vocem, ἀπέπταιτο, Homericam eſſe non puto. Acroteleutium autem illud, παύσατο δὲ φλὸξ occurrit Iliad. Ψ. V. 225. Tamen hujus metaphoræ ſemen eſt in alio Homeri loco, ut notare poterimus, ni occupaſſet Interpres; idque in voce ἐμαράνθη; qui locus legitur, non Il. T. ut aiunt, ſed Il. I. V. 212.

Αὐτὰρ ἐπεὶ νῦ πῦρ ἐκάη, καὶ φλὸξ ἐμαράνθη.

Cui & locum alium addere poſſum, Iliad. Ψ. V. 228.

Τῇμ' πυρκαϊὴ ἐμαραίνετο, παύσατο δὲ φλὸξ.

Itaque qui magis memoroſi erunt, verſum illum, ubi ἄνθος πυρὸς viſitur quæritabunt; Aliorum enim ſcrinia compilare meum non eſt; hoc addam tantum, Scio ego illuſtrem eſſe & luculentam metaphoram, πυρὸς ἄνθος, *flammai flos*, &c. tamen meminiſſe non abs re fuerat in vulgatis codicibus legi,

Donec fulſerunt flammæ fulgore coorto.

Addo amplius, ἄνθος quandoque nil eſſe aliud præter

præter *colorem vividiusculum*; Solon apud Diogenem Laertium, Φασί δέ τινες ὅτι κοσμήσας ἑαυτὸν ὁ Κροῖσος παντοδαπῶς, καὶ καθίσας εἰς τὸν θρόνον, ἤρετο αὐτόν εἴ τι θέαμα κάλλιον τεθέαται· ὁ δὲ ἀλεκτρυόνας εἶπε, φασιανὲς, καὶ ταὼς. φυσικῷ γὰρ ἀνθει κεκόσμηται, καὶ μυεί ῳ κάλλιονι. *Aiunt quidam, Crœsum, quum se exquisitissimo omnium ornamentorum genere composuisset, sublimique in solio sederet interrogasse eum, an pulchrius unquam spectaculum vidisset: illumque dixisse, gallos gallinaceos, phasianos atque pavones; Naturali enim eos nitore & incredibili speciositate vestiri.* Tale aliquid apud Platonem & Plutarchum legisse videor.

Scilicet] Responsio est ad objectionem.

Mutata] Non respicit substantiam ipsam, sed ordinem, situm, &c.

Verba quoque ipsa] Argumentatur à pari. Mutatio aut diversa positio literarum res plane diversas efficiunt iisdem literis manentibus, ut AMOR, MORA, ROMA: vel demptis aut additis, AXOS, dolor, AKOΣ, remedium, KOINOΣ, communis, KAINOΣ, novus, KENOΣ, inanis, KEINOΣ, ille XHNOΣ, anseris, & alia sexcenta.

Consimili natura] Respicit Anaxagoræ homoiomeriam.

Fiet uti risu] Reductio ad absurdum. Nihil est in rebus creatis, ex Anaxagoræ effato, quod ex consimili natura non fit; itaque cum homines rideant, illud à principiis ridentibus habeant necesse est. Id autem ridiculum: Ergo.

Genasque] Genæ oculi sunt, aut saltem ea pars vultus quæ sub oculis est. Ennius: *Pandite sulti' genas & corde relinquite somnum.* Ovid. lib. II. Artis amatoriæ: *Nec patriæ lacrymas continuere genæ.*

Thyrso] Veluti furore quodam; notum quid thyrsus, θυρσοφόρος, θυρσοφόροι, queis omnia plena.

Solo] Planta pedis. Varr. de R. R. lib. I. c. 47. *Solum enim hominis exitium herbæ, & semitæ*

mitæ fundamentum: id est vestigium impressum.

Integros] Hinc Horatius ad Musam. *O quæ fontibus integris gaudes*, &c.

Inde] Junge cum versu sequenti, *unde prius.* Ex eo loco scilicet, unde nemo poetarum flores decerpserit.

Exsolvere pergo] In quibusdam MSS. *porgo*; quo usus est & Ennius, ut ex Servii excerptis in I. Æneid. constat.

Non abs nulla ratione] Non temere.

Sed veluti pueris] Hos versus ita convertit admirabilis poeta Torquatus Tatius,

Così à l' egro fanciul porgiamo asperſi
Di ſoavi liquor gli orli del vaſo;
Succhi amari, ingannoto, intanto ei bove,
E da l' inganno ſuo vita riceue.

Medentes] Ἀκέσωρι, medici.

Conantur] Cogitant, sibi proponunt. Jam antea.

Contingunt] Varro R. R. *Levi tectorio contactus paries.* Non potuit melius.

Puerorum ætas] Pro pueris ipsis. Ita, *væ ætati tuæ*, Id est tibi. Plaut. Terent.

Decepta non capiatur] Ὀξύμωρον. Tale illud Terentii: *At enim cave ne, priusquam acceperis, amittas.* Ita ingeniose ab Ennio de Pergamis Trojæ,

Quæ neque Dardaneis campis potuere perire,
Nec, cum capta, capi, nec, cum combusta cremari.

Quod in Æneidem suam transtulit, more suo, Virgilius.

Tali facto] Al. *tactu*, minus placeat.

Hæc ratio] Hæc philosophia; Ita sæpe Cicero & noster alibi passim.

Dum perſpicis omnem naturam quâ figura ſit compta] Hellenismus Plauto & Terentio, Lucilioque familiaris; *nescio illum qui sit*, pro nescio quis ille sit. Sed hoc exemplum in Pœnulo arbitror esse singulare; certe exuperat cætera: Act. V. Sc. II.

Patrem atque matrem viverent vellem tibi.

pro,

pro, pater atque mater viverunt. *Compta* autem, prædita, ornata, culta, *&c.*

Nunç age] Quæstionem ponit, an summa primordialium corporum infinita sit an finita; Dein, utrum Inane sit immensum & interminatum, an contra.

Repertum est] Antea probavimus.

Omne quod est igitur] Hæc est & series & sententia loci hujus: Quod est omne, quod est Universum, τὸ πᾶν, id nullo modo finitum est: nam si finitum sit, tum non erit τὸ *Omne*, cum necesse sit dari aliquid à quo finiatur.

Nulla regione viarum] Nullo limite: *regio viæ*, est recta via; quod firmari potest sex septem exemplis apud Virgilium.

Debebat habere] Malim *debebit.*

Vt videatur, quo non longius, &c.] Locum hunc obscurũ atque adeo corruptum esse Interpres existimat; additque Doctis quibusdam visum fuisse, legendum, *quoad non longius hoc sensûs natura sequatur.* Ego autem existimo hos duos versus, *Extremum porro.....*& *Esse nisi*, &c. spurios esse. Nam illud *posse videtur* in acroteleutio prioris, &, *ut videatur* in fine secundi, non placet, cum nulla ex similitudine figura existat. Si autem uterque versus deletus fuerit, tum vero absolutissimus sensus fuerit, & plane perspicuus, legendo & connectendo *namque extremum debebit habere, Quo non longius hæc sensus natura sequatur.*

Id est, *debebit habere aliquod extremum, quo longius* (id est ultra quod) *hæc sensûs natura* (id est sensus videndi, ut exempla ante allata suaserunt) *non sequatur*, non pervadat. Si quis autem retineri illos velit, res jam facilis est ad explicandum.

Nunc] Autem: ut alibi *jam* in eadem significatione.

Extra summam] Nam extra Totum quid sit?

Possidit] Possidet: omnia ferme verba secundæ & tertiæ olim communia erant. Ita Catull. Virg. alii, *obsidit* pro obsidet: *fervo* pro ferveo, *strido*, stridéo: Sensus autem est: In quocumque loco Totius, seu

seu summæ rerum consistat aliquis, tantundem infinitum relinquet in omnes partes: quod vero de telo jacto sequitur, rem illustrabit.

Prohibeat] Trysillabum; quod non magis mirabile haberi debeat, quam *præbet* à *præhibet*, quo sæpe utitur Plautus.

Effugiumque] Immensitas spatii telo det perpetuum labendi tenorem.

Præterea] Nova ratio, bene autem argumentatur. Id enim si foret, omnia jam pridem ad imum devenissent, propter motum ingenitum principiis; quæ cum corpora sunt & quidem solidissima, jam ad imum defluxissent: neque quidquam gigni posset, ita omnia obstipata, πεπυκνωμένα forent.

VI. *Confluxet*] Ut *manse* pro mansisse, *invasse* pro invasisse, Lucil. *Cesse*, infra pro cessisse, *jusse*, pro jussisse: *vixet*, &, uti necessario legendum est apud Virgilium in V. *dejexet* pro dejecisset: locus est:

Nec bonum Eurytion prælato invidit honori,
Quamvis solus avem cælo dejecit ab alto,

Ibi, inquam, legendum. *cælo dejexet ab alto.* Quod omnibus probatum ire confidimus, qui Latinitatis vim sentiunt,

Sub cœli tegmine] Sub cœlo, sub Luna.

Nec foret omnino cœlum] Id enim consequens est.

Quippe ubi] Cum videlicet.

Corpora materiai] Primordia, atomi.

Postremo] Aliud argumentum à dissimili.

Ante oculos] Quidquid videmus, finitum est; at τὸ πᾶν non ita.

Dissepit] Οἰζύει.

Natura loci] Locus ipse.

VII. *Clara suo percurrere flumina cursu, perpetuo, possint, ævi labentia tractu.*] In quibusdam legitur *fulmina*; quod tamen neutri interpreti placuit; an quia *labentia* lentius & remissius visum est? at ita alibi locutus est Lucretius; dein & Virgilius accedit, ubi de aquila insectante cycnos: *aetheria quos lapsa*

plaga

plaga Jovis ales aperto turbabat cœlo. Atqui ſolemne celeritatis exemplum eſt fulmen: *& fulminis ocior alis.* Dein *clara* an bene cum natura fulminum congruet? Itaque legendum exiſtimo *fulmina*, non flumina.

Natura tenet] Simplex eſt pro compoſito, ut *tendit* pro contendit, *fert* pro offert, *&c.* Virgil. Ita *tenet* pro retinet, vetat, obſtat, impedit: Cicero ſæpius, Virgil. Plinius ſecundus: ſed locus afferre piget.

Aut etiam alterutrum patet tamen immoderatum] Sic Lambinus: *Si quis locus eſt in hoc libro difficilis, & obſcurus, hic eſt: neque fortaſſe mendo vacat. Joannes Auratus, homo acerrimi judicii, idemque amicus, & collega meus, putabat priorem quidem verſum ſic eſſe legendum, ut legitur in vulgatis:* Aut etiam alterutrum, niſi terminet alterum eorum: *poſteriorem ſic:* Simplice natura pateat totum immoderatum: (*nam in vulg. legitur*, tantum) *ut per*, totum, *intelligamus τὸ πᾶν, quod alias appellat* omne: immoderatum autem ſimplice natura, *id eſt infinitum una natura, videlicet Inani: Sed libri omnes manuſcripti habent*, pateat tamen: *neque habent copulationem*, & *poſt votem*, natura: *& ita Vulgati Pariſ. Veneti, Vicetini: cujus ſcripturæ rationem explicare non poſſum, niſi quis dicat ita legendum in priore verſu*, Aut ſi, etiam alterutrum ſi terminet alterum eorum, Simplice natura pateat tamen immoderatum: *hæc ſententia, Aut ſi, etiam ſi alterutrum terminet alterum eorum, pateat tamen immoderatum ſimplice natura, id eſt, Inane tamen ſic infinitum unicum natura, hoc eſt corpora prima non ſint Infinita, ſed Inane duntaxat ſit infinitum, &c. Sed quomodo ſit alterutrum ab altero uſque ad infinitum terminatur, poteſt eſſe alterum duntaxat infinitum? Omnino locus eſt mihi quidem inexplicabilis, neque habeo, quod afferam, quicquam melius: ſcripturam igitur, quæ reperitur in omnibus libris vulgatis, quod ad priorem verſum attinet, videamus, eamque ſic interpretemur: Aut etiam niſi alterutrum alterum eorum terminet*

terminet, & si immoderatum simplice natura, id est spatium immensum unica natura tantummodo pateat, quod est dicere, si Inane duntaxat sit infinitum, corpora autem prima sint finita: nec mare, nec, &c. Atque hanc hujus implicatissimi loci explicationem probabat Muretus: cui hac tertia editione assensus sum. Sed velim copulationem, &, poni in fine versus prioris, hoc modo.

Aut etiam, alterutrũ nisi terminet alterũ eorum, &
Simplice natura pateat tantum immoderatum.

Præterea posterior versus videtur mihi sic esse explicandus: Et immoderatum simplice natura tantum pateat: id est si vel infinitum Inane sit tantum sine corporibus infinitis: vel infinita corpora sint tantum sine Inani infinito: si hoc ita sit: Nec mare, nec tellus. *&c. Hæc mihi nunc tandem hujus obscurissimi loci videtur esse sententia.* Sic Gifanius: *Ita, ut vulgo legitur & v. q. comprobant, scripsi. Sententia est: corpus terminatur Inani, & Inane corpore: nam si hoc non fieret, & immoderatum seu Inane simplice natura & impermixta seu corpore mutuo terminata, tantummodo pateret; hinc efficeretur, quod nec mare, &c. qua de re infra latius.* Hæc ille; sed nihil dicit, quod non viderit Lambinus, & acutius multo & solertius. Sunt qui existiment versum illum, *Simplice natura*, &c. prorsus esse delendum: sic enim, ut aiunt, nihil in hac ratiocinatione difficultatis supereſſet; Quod mihi aliter longe videtur. Existimo enim versus aliquot hinc excidisse: ita ut cum de incommodis ab Inani immoderato, sine admistione corporis infiniti, & alternis misti proficiscentibus dixerit, altera pars omissa sit, aut non satis perspicue à Lucretio explicata: eadem enim ἀναίτια remaneat necesse est. Deinde duæ illæ voces *alterum* & *alterutrum*, satis id probant quod dico.

VIII. *Divum corpora sancta*] Deos sanctos; Sic enim ex formula loqui solebant. Ovid. lib. III. Amor. eleg. VII.

A tenera quiſquam ſic ſurgit mane puella,
Protinus ut ſanctos poſſit adire Deos.

Quos ego verſus potius quam ullos alios protuli, quod eos à nemine uſque adhuc emendatos viderim; Certe nuperrima editio hoc ſphalmate, ut infinitis aliis quæ ingenio, ut aperiantur, opus habet, inquinata eſt. Legendum:

A tenera quiſquis *ſic ſurgit mane puella,*
Protinus is *ſanctos poſſit adire Deos.*

Notum enim eſt poſt rem Veneream ὅσιον fuiſſe, ne quis ad ſacra accederet, niſi ante purgatus eſſet; *diſcedite ab aris,* inquit amabilis ſcriptor (Tibullus eſt) *queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.* Juvenal. in VI.

Ille petit veniam, quoties non abſtinet uxor
Concubitus ſacris obſervandiſque diebus.

Quod & capitalius erat. Locum autem Ovidii, quia hilarior paulo eſt, & paraphraſti κῶς explicari non eget, χαιέντων hominum judicio relinquam.

Sive adeo potius] Imo, inquit, nil omnino genitum fuiſſet.

Cœtu] Al. *Coitu,* ut *proilium,* prœlium, *coilei,* cœli, *poina,* pœna.

Cogi] Concreſcere, συναθροίζεσθαι.

Percita plagis] Intellige, ἀλληλοπερίαν τῶν ἀπείρων ἐν τῷ ἀπείρῳ, de quo Docti in philoſophia Democritea ſeu Epicurea, quæ pœniſſime eadem eſt.

Qualibus his rebus] Vide Emendationes.

Magnos annos] Fort. intelligit magnum illum annum Platonis, ſeu, melius, Chaldæorum res notiſſima eſt.

Integrent mare] Exhauſtum reficiant, renovent, &c. flumen autem, ut apud Virgil, paſſim pro aqua, humore. Homo vero ridiculus exiſtimavit τὸ *integrare* hoc loco ſignificare, *integrum manere.* Huic mandes ſi quid recte curatum velis: Pareum dico, ne neſcias.

Nec plagæ, &c. *extrinſecus*] Ita omnino legendum, imperite igitur Giſanius, qui in utraque editione habet, *intrinſecus.*

Con-

Conciliata] Subaudi, & adde, *nisi materies suppetat. suppeditet, sufficiatur.* Id enim ratio postulat.

Queatur] Ut *poteratur, possetur, possitur, potestur, nequitur, quitum est*, &c. Ita loquuti sunt Ennius, Scipio, Plautus, Saluſtius, alii.

Partim] Junge ἐκ παραλλήλου cum πῇ *interdum* versu abhinc secundo.

Coguntur] Plagæ scilicet.

Et tamen] Nisi enim infinita sit materiæ copia, perpetuæ esse nequeant plagæ.

Illud in his rebus] Quod extremum non habet, id habere medium non potest: at summa summarum extremum non habet; ergo nec medium. Cæterum in his versibus disponendis Lambinianam editionem sequor.

Atq; ideo sine ullis] Quod tum esset, si vera dicerent.

Sub terris] Apud antichthonas, seu antipodas.

Sursum] Respectu Scriptoris scilicet; antipodibus deorsum Antipodas autem esse nec multi è veteribus crediderunt, neque sane è primis Christianis multi. Sed in eam rem plura à Doctis congesta, & res hodie notissima est.

Retro posita] Præpostero situ, *ut per aquas*, &c. quæ enim simulacra animantum in aquis videmus, eorum pedes versus cœlum nostrum tendunt.

Inferiora] Nobis scilicet, at antipodibus superiora.

Illi] Jam superius, pro *illic, olli*, &c.

Habent amplexi] Hellenismus notissimus, περιέξας ἔχει, pro ἔπεριξε, & alia id genus sæpe apud Atticos, Euripidem in primis.

Concedat oportet] Id est æqualiter cedat ponderibus, quacumque motus feruntur. Quidam legunt, *æque ponderibus motis.* At Gifan. in edit. II. legit, *mota quacumque feruntur.* Elegantiam hominis!

Illis subsistere] Eis ἔρεισμα præbere, sustinere.

Janua lethi] Interitûs causa, exitium; exprimit illas Homeri. Ἀΐδαο πύλας, quod in sacris quoque libris legitur, pro morte, fine, exitio; Euripides in Hecuba

cuba vocavit σκότου πύλας: tale etiam aliquid apud Callimachum in Epigrammatis, opinor.

Præterea quoque jam] Quin etiam, inquit Lucretius, sibi non constant; nam ignis, qui corpus est, secundum illos naturaliter fertur à medio, non in medium. Epicurus autem existimat ignem ferri in altum per vim, per expressionem, ἔκθλιψιν.

Contremere] Propter scintillantem, palpitantem, ac nictantem siderum micantium ignem.

Cæli cærula] Ex Ennio, *Coilei coerola.*

Perfunctus opellâ] In lib. MS. *perductus*, male. Dionysius itaque optime, *perfunctus opellâ*, id est, labore: nam, ductus aut perductus sum labore, ὑπάκουόν ἔστι, ne dubites.

Accendent] Male Gifan. in utraque editione, *accendunt:* ad eum enim tendit quæ in libris sequentibus, præsertim autem secundo, scripturus est: ex quo ubi emerseris, tum omnia jam tibi prona & secunda erunt: postilla jam lubet ut ludas licet.

IN
Librum Secundum.

CAPUT I.

I. *Curarum alas, unde ſumpſerit Horatius.* II. *Locus quidam male acceptus à Gifanio.* III. *Alius contra Dionyſii judicium explicandus.* IV. *Ovidius emendatus.* V. Coniſcare. VI. *Imperite exiſtimavit Gifanius* atomos *à Lucretio vocari* figuras VII. *Glomeramina male intelligi.* VIII. *Ennius emendatur.* IX. *Idea mater & Phrygia, unde dicta videatur præter communem ſententiam.*

Mari magno] Tumido, agitato. Catul. & Virgil. *magnaque ſurgunt æquora:* & ſæpe alibi.

Edita doctrina ſapientum templa ſerena] Veluti arcem & ſpeculam philoſophiæ, unde humana deſpicere liceat. Hunc locum ante oculos habebat Virgilius in Ciri. ſed verſus non tranſcribam.

Rerumque potiri] Reipublicæ ſummatem eſſe; quo nil infelicius homini Epicureo, & ei qui ex naturæ norma vivat: quorſum enim belluæ tumultuanti vaces? tibi vive, tibi vale; τὰ πολιτικὰ, ὐδὲν πρὸς τὸ ἓυ. Si recte facies, male tibi à corpore erit: nam ſexcenta negotia per caput inque latus ſalient; Si male, tum metues; uno verbo, vile mancipium fueris; ſi quid autem in uſus privatos derivabis, id omne forte cum fœnore reddendum & omnia vitæ præmia amittenda. Itaque *fuge magna*, ait ille: κὴ λάθε βιώσα.

Degitur hoc ævi quodcunque eſt] Reſpexiſſe videtur locum Euripidis, in quo dubitat poeta, eane vita ſit an mors, quam vitam vocamus. Nonius legerat, *degimus*; arridet magis.

Nonne videri] Licet. Ita ἐν ἐρωτηματικοῖς ſolent.

Latrare] Clamare, βοᾶν. Ariſtoph.

Vt cum] Ah *ut cui*: quæ lectio ſi admittatur, tum in verſu tertio *cura ſemotu*'..... ſin ſecus, *ſemota*, legas, & ad vocem *natura* referetur, non autem ad τὸ *cura*, ut vellet Giſanius. Dii boni ποῖόν πνα ὄρνιθα μυσῶν! ſed, inquit, *Antibacchius erit*; Euge, nunc omnes bene eritis res, quia Antibacchium nominavit.

Mente fruatur jucundo ſenſu] Vera & ſincera voluptas, Epicureo nomine digna; Corpus turbida res, fallax, ὐδὲν σαθηρὸν, ὐδὲν ὑγιές. Sed dolor abſit neceſſe eſt; abſque ea re ſit, cætera quantumvis magnifica, κόμπος ῥημάτων, σκιαὶ, φρονήματα ἀεροβατούσης δοξοκοπίας.

Ergo] Notandum, pro *Itaque adeo*. Senſus eſt; homini tum bene eſſe, cum dolore caret; nam voluptas quidem corporea, ſi paulo vehementior erit, ſui ſenſum amittet; dein animus hominis liber non eſt; unde igitur τὸ ἓυ εἶναι? unde illa δ'ὐσχὼ boni Democriti?

Quemque dolorem] Magis multo placeret. *cumque*.

Delicias] Poſt τὸ *dolorem* minime diſtinctione ſeu ἀναστιγμῆ opus eſt, non τελείᾳ; quippe conſecutio ora-

orationis hæc sit necesse est: Etiam si nullas voluptates congeris (ex iis intellige quas natura pravis corrupta opinionibus postulat) satis bene naturæ nostræ fuerit, si nullum dolorem sentiat. Sed in Latinitate notandum maxime, quod nos fortasse primi annotamus, *Interdum neque*, positum esse pro *nunquam*. Alioqui nil fere certi diceret Lucretius, qui tamen certi aliquid afferre voluit. Deinde παιδαριώδης sententia foret. Sed satis est monuisse.

Si non aurea sunt] Ut in aulis Regum, Principum. Lychnuchos intelligit: hodie integra simulacra non sunt, sed brachia argentea, inaurata, &c. Virgilius merus Epicureus, nisi in Æneide, hos versus æquare conatus est; sed tanto conatu, tanto molimine, ut dum magistrum superare vult, cadat: versus in Georg. & Culice cuilibet obvii sunt, neque huc transferendi.

Argento] Lancibus, cantharis, poculis, &c. *Ingens argentum mensis.* Virgil. *Ridet argento domus.* Horat.

Aurataque templa] Longe mihi ut debet, potior est altera lectio, *auratæque tectæ*] & ita legisse Macrobium constat; neque aliter legisse Virgilium dejerare possum, uti ex Culice judico. Quin ita enim legerat Horatius, uti infra ad illud (*curæque sequaces*) videbimus.

Quin tamen] Istud *Quin* hic eandem vim habet ac cum dicimus *Quin omitte me.* Terent. & ante illum Plautus.

Textilibus picturis] Bene: intelligit *belluata tapetia*, atque adeo omnia peristromata, in quibus omnicolor lana omnia imitatur; nam μονόχρωτα viliora sunt.

Facteris] Voluteris, decumbas: intelligit vestem stragulam.

Quod superest] Nil prosunt isthæc corpori; animo autem, quid? tantumdem, inquit, fortasse etiam minus; nam mollities quidem vestis & ἀνθηρότης colorum fortasse juvant corpus: animum autem sumptu & cura lacerant.

Si non] Ἐιρωνικῶς loquitur.

Effugiunt] Vide Emendationes. Cæterum ita existimo, tolli debere distinctionem, & hunc versum cum sequenti connectendum.

Tum rebus] Male Gifan. in edit. II. *cum.*

Tum vacuum rebus] Hæc lectio Lambini est, cum libri omnes constanter habeant *tempus*, quod Gifanius & Lambinus ipse pro capite, (nam tempus in singulari χροταφὸς significat, uti ex Virgilio, Catullo & aliis certum est) sumi existimant: mea sententia pessime. *Tempus* enim hoc loco *vita* est, quod facile animadvertere poterant: res enim plana est.

I. *Curæque sequaces*] Horatius hunc locum in animo habebat cum scripsit, *Scandit æratas vitiosa naves Cura, nec turmas equitum relinquit*, id est ὑπολείπεται; ergo facile sequaces sunt curæ: unde & alibi *alatas* facit: *Curas laqueata circum tecta volantes*; vides *laqueata tecta* Lucretii & *Curas* ipsas, quod ex hoc loco hauserat, ut supra innuimus. Sed ἰδέαν τῶν *volantes* ex Theognide, quod primi, ut videtur, monemus, sumpserat. Græci scriptoris versus sunt: Φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πέρι ποικιλ' ἔχουσαι. Vides *Curas alatas*, sed hæc rāptim; tamen, ut recta sint & proba.

Rerumque potentes] Qui potiuntur rerum, qui cum imperio sunt, &c.

Fulgorem ab auro] Hellenismus, ab auro effluentem, provenientem.

Hunc igitur terrorem] Jam superius lecti sunt hi versus.

Nunc age quo motu] Triplex secundum Epicurum motus est. Deorsum, per plagam, per declinationem, seu per clinamen.

Cogantur] Propter ingenitum motum: qui si aliter sit, alia quærenda principia sint, & ad Deos confugiendum.

Reddita] Tributa, ita ut naturaliter illam habeant.

Stipata] Id ni foret, res in statu manerent.

Vide-

Videatur] Non δοκῶ, seu plane videamus.

Mutua] Mutuo. Helenismus: successive, δ' ἀλλαξ.

Et quasi cursores] Vide Emendationes: de his ludis abunde multa Meursius in lib. de Græcia feriata: multa ex Aristoph. Philostrato, auctore ad Herennium, Varrone, congeri possent: sed id alii præstiterunt.

Si cessare putas] Subaudiendum, *enim*.

Gravitate sua] Motus εἰς τὰ κάτω, deorsum.

Aut ictu] Motus εἰς τὰ ἄνω, sursum.

Durissima] Quæ principalis, ut ita dicam, proprietas atomi est, durities, soliditas.

Neque quidquam] Nam Inane non remoratur.

Jactari] Agitari, volvi, ferri.

Totius] Τῶ παντὸς, Summæ.

Ostendi] Lib. I. sub finem.

Magis] Imo, potius.

Conflicta] Ita Lambinus: Gifanius autem *consulta*, quod se intelligere negat: MSS. *confulta* quod probo: notum est quid *confulcio*, πυκτόω, πυκάζω, &c. ita pro certo legendum. Exempla afferrem ex Plauto & aliis ni operæ urgerent, & ratio studiorum.

Nexantur ab ictu] Connectuntur per plagam.

Perplexis] περιπεπλεγμένοις σχήμασι, &c.

Ipsa] Cum ipsa per se naturaliter talem χόσιν habeant.

Paucula] Nam multa pauciora numero sunt solida quam rara.

Conciliis rerum quæ sunt rejecta] Id est, quæ nondum inhæsum, seu adhæsum suum reperire potuerunt.

Contemplator enim] Vide, inquit, &c. Pulviculum autem illum atomos vulgus vocat: imperite ut cætera: atomus enim videri nequit, non magis quam ventus, qui tamen crassissimus est, ὡς πρὸς ἄτομον.

Insertim fundunt] Hunc locum habebat in animo Virg. cum scribebat, *Clara per inserta fundebat lumina fenestras*: de quo tot longæ ῥήσεις, & queis carere poteramus, in scholiis veterum.

Cum cumque] Notandum in primis, pro, quotiescumque: non temere alibi.

Quale sit] Sensus, Ut facile intelligas quale illud sit quod dico, scilicet, Prima corpora in magno Inani agitari.

Duntaxat] Quære, licet, in toto Latio exemplum non reperies hujus significationis: Nam τὸ *duntaxat* hoc loco non significat μόνον, aut χωρὶς, ut vulgo neque, ut Gifanius, *scilicet*: sed *usque adeo*. Epiphonema est. Latini sermonis amatores notabunt.

Exemplare] Exemplar: quæ nunc nomina in AR exeunt, omnino decurtata sunt; nam olim in *are* exibant.

Turbare] Trepidare, motari.

Quod tales turbæ] Hujusmodi agitatio tumultuaria nullam habere potest causam, nisi motum impressum à principiis: quid igitur de Principiis ipsis dixeris? Quæ sequuntur, rem in aperto statuent: sunt enim clarissimæ perspicuitatis.

Quæ parvo sunt corpora conciliata] Vis ratiocinationis, Quanto minora corpora & simpliciora concreta sunt, tanto &, cæteris paribus, agilior motus est, &c. atomus per se ipsa movetur: & ab illius motu concreta minora, &c.

Et quasi proxima sunt] Quo enim propius ad simplicitatem principiorum accedunt concreta, tanto facilius moventur.

A principiis ascendit motus] Ergo motus impressus & naturalis atomo, sed id jam superius.

Nec quibus id faciant plagis apparet aperte] Adde, nam ratiocinationi aliquid deest, adde, inquam, *Nisi à motu principiorum.*

Nunc quæ mobilitas] Nunc ostendet quanta motus celeritas motus in principiis sit. Sunt autem versus plane admirabiles.

Primum aurora] Argumentatur à minori ad majus; si enim tanta mobilitas per plenum, certe per spatium minus liberum, uti aer est, &c. quanta igitur per Inane?

Aera

Aera tenerum] Ut ſupra, *teneras aeris auras*; *liquidum, cedentem*, μαλακὸν &c.

Liquidis vocibus] Horatius hinc, *Cui liquidam pater vocem cum citharâ dedit.*

Quo] Quamobrem.

II. *Aerias quaſi cum diverberet undas*] *Id eſt*, aerem liquidum, inquit Giſanius: peſſime: neque enim argumentationis vim animadvertit. Deinde deterrimam lectionem ſecutus eſt, hanc ſcilicet: *aerias quod ſol diverberet undas.* Sed hic morari nolim: illud *quaſi* plane neceſſarium eſt, debetque jungi cum *undas*, hoc ſenſu, quem tibi, Lector, probatum iri confido: At calor ille ſolis, quantumvis celer ſit, tamen cogitur meare per aerem turbidum, & *quaſi undoſum*, propter ventos, & acceſſum deceſſumque exhalationum, quæ perpetuo in illum recipiuntur: Præterea corpora primordialia, ſingillatim divulſa alia ab aliis jactantur; at corpora lucis & caloris ex globo ſolis manantia meant complexa, συμπλεχθέντα, inter ſeſe, ac conglebata, inde itaque fit, ut tardius eant.

Retrahuntur] Legendum putat Lambinus *tardantur, vel libris omnibus*, inquit, *reclamantibus*; miror: neque enim unquam melius Lucretius locutus eſt. Quid in anguſto aditu, cum magna hominum multitudo eſt, συνωθίζονται, ii facile vident, nullum dubitandi locum fuiſſe.

Et extra] Dum enim effunduntur ex globo ſolis, undiquaque ab ambiente aere officiuntur.

Officiuntur] Miror, inquit Interpres, ex verbo abſoluto, patiens fieri. Sed nonne dicebant, *Ille aut ille nocetur*? quod idem eſt.

Vlla foris atque] Vide emendationes.

III. *Suis é partibus unum, unum in quem connixa locum*, &c.] Satis in Emendationibus, ubi de Palillogia, &c. oſtendimus, quâ ratione hic locus intelligendus eſſe: ſed quia deprehendi aliter ſentire Lambinum, ejus verba proferam, *Id eſt, effecta unum corpus, atque unum totum è ſuis partibus: hoc dicit non*

quod

quod significare velit, corpora prima partibus constare, sed ut ostendat esse infracta, ac solidissima: fallitur: hoc tantum: satis enim esse debet, quod errorem indicavi: est quippe mera Palillogia. Vide Emendationes. IV. Ejus figuræ occasione fiet ut loci cujusdam apud Ovidium in Amor. lib. III. Eleg. XIV. emendationem proponam. Poematis argumentum est, ut si peccatura sit puella, occulte peccet.

Mens abit & morior, quoties peccasse fateris,
Perque meos artus frigida gutta fluit.

Mox addit,

Tunc amo, tunc odi? frustra quod amare necesse est;
Tunc ego, sed tecum, mortuus esse velim.

In tertio versu illud *amo*, locum habere, si quis judicium consulat, non putabit; id enim res ipsa indicat; legendum crediderim, *Tunc ah! tunc odi frustra quod amare necesse est.*

Multiplexque loci spatium] Arridet magis altera lectio, *multiplicisque loci spatium*, &c. ex MSS. Codd.

Pervolgent] Plane ut *concelebrant* in I. replent, convestiunt, perfundunt, *&c.*

Folgura] Lux, splendor, nitor, *&c.*

Nam neque consilio] Neque enim dixerit quispiam, principia dum inter sese deliberant quæ prima, quæ secunda ferantur, cessare, morari.

At quidam] Contra Stoicos. Academicos & assertores providentiæ. Materiæ naturam, id est, materiam ipsam.

Tantopere humanis] Tam compositis, quæque humanæ prudentiæ rationibus similes sint.

Quorum] Hominum, antea tamen, humanum genus dixerat; sed numerum mutavit: jam supra.

Quamvis, ignorem] Quasi diceret, si etiam principia rerum physicarum ignorarem, tamen ex consideratione cœli ipsius, in quo isti curiosos deos statuent quasi in specula; ex universa meteorologia, & infinitis aliis ostendere possem, *&c.*

Reddere] Ostendere, probare, docere: alibi.

Nunc

Nunc id quod supereſt] Hunc verſum ὀθελίζει Dionyſ. recte, opinor.

Sua vi] Naturaliter. Nam nec ignis quidem ſine vi, ſine expreſſione ſeu extruſione alta petit, nullum enim corpus ſurſum fertur naturaliter.

Ne tibi dent fraudem] Ne te in errorem inducant.

Surſus enim verſus] Eſt tacita ἀδυποφορά. Surſum enim, inquies, fertur ignis; ad quam verſu ſequenti reſpondet, Sed fruges & arbores in altum feruntur, propter vim ſubigentem, quæ è terra prorumpens in altum creſcere cogit, cum tamen omnia pondera naturaliter (quantum in ſe eſt) ferantur deorſum.

Deguſtant] Hanc metaphoram ad telum tranſtulit. Virgil. *& ſummum deguſtat volnere corpus.* Alio autem loco *bibere* dixit, de ſagitta.....*virgineumque alte bibit acta cruorem.*

Quod genus] Veluti, quemadmodum.

Cruorem] Notandum, ſanguis mittit cruorem: aliud enim ſanguis, aliud cruor; aliud, inquam, non quod ad ſubſtantiam, ſed πρὸς ἀλλοίωσιν. & frigefactionem. Proprie enim, ubi ex venis effuſus eſt ſanguis, dici amplius ſanguis non debet, ſed cruor.

Plus parte] Dimidia parte amplius.

Succedere] Εἰς τὰ ἄνω φέρεσθαι, ſurſum ferri.

Quamquam] Quamvis pondera flammæ contendant naturaliter deducere flammam, deprimere, καταβάλλειν. &c. ſed vis ambientis aeris illam exprimit, ἐνθλίβει. Itaque graviori & denſiori elemento cedit, non autem ſponte ſua ſurſum fertur.

Nocturnas faces] Intellige δᾳδουχίας ἀστέρας. *Trajectiones* Latine dicuntur.

Non cadere ſtellas] Fallitur, inquies, Epicurus, & cum illo unà Lucretius, neque enim ſtellæ cadunt. Ita eſt: ſed muta nomen, pro ſtellis, pinguem, ſulfuroſam & oleaginoſam exhalationem ponito; quod dicit verum erit tamen.

Illud in his quoque] Nunc acturus eſt de motu tertio, qui eſt κατ' ἔγκλισιν, quem Epicurus excogitarat

tarat ad fati necessitatem avertendam. Sed de eo inferius.

Rectum per inane] Id est motu perpendiculari. Ita autem dicitur rectum Inane, ut *recta regione viai*: neque enim necesse est legere *vastum per Inane*, quod cuipiam videatur.

Ferri incerto tempore, incertisque locis] Ridiculum plane videri queat quod hoc loco scribit Lucretius, prima corpora moveri incerto tempore, incertisque locis; dices id ad vitandum fati necessitatem valere. Intelligo; sed non minus ridicula assertio foret; cum omnia corpora in Inani *æquivelocia* sint; de quo dubitari non potest, cum pondus ferri 20 librarum cum alio pondere ejusdem materiæ, quod libri unius sit, si voles, non citius terram attingat, si uno eodemque momento cadere incipiant. Sed uno verbo dicendum est, agi hoc loco non de motu primo, sed de tertio, seu de clinamine.

Tantum quod nomen mutatum dicere possis] Intelligit clinamen seu ἔγκλισιν; quod ut explicet, ait intelligi licere, si, quam minimam declinationem cogitare potes, eam principiis tribuas.

Tantum quod] Exempla abunde congessit Lambinus, pro *tantum*, vel *levissime*, &c.

Momen] Usus & aliquoties & Manilius.

Offensus] Occursatio.

Quod si forte] Vide notam ad illum locum, *ferri incerto tempore*.

Genitales reddere motus] Ita ut res creentur.

Casus celerare] Casus suos celeriores habere, citius cadere.

Quin] Ut non.

Æque ponderibus non æquis, &c.] Series & sententia est; æque feruntur etiam si æqua pondera non sint.

Nec plusquam minimum] Quod antea dixerat, *Tantum quod nomen mutatum dicere possis* ἐλάχιστον Epicuro.

Ne

Ne fingere motus obliquos videamus] Neque enim naturæ corporis congrueret; At clinamen illud suum haud equidem scio an vel levicula aliqua probabilitate defendere possit Epicurus, Ciceroni certe non videbatur. *Sed*, ait, *quis est qui possit cernere principia nihil omnino recta regione viai declinare sese?* Sic solet Epicurus scilicet; non vides illa non declinare, ergo ita fit ut dico. Argumentatio fallax est, etsi alias vera esse possit.

Denique si semper] Si motus unicus esset, neque ulla declinatio daretur, unde libertas homini?

Tempore puncto] Horæ momento, puncto temporis, ἐν ἀκαρεῖ.

Nec simile est] Id est, longe aliter fit, cum inviti trudimur; est enim aliquid in nobis quod repugnet.

Quiddam] Voluntatem scilicet, fati necessitate liberam & solutam.

Projecta] Concussa, profusa, εἰς τὸ πρόσθεν ὠθούμενα.

Seminibus] Primis corporibus.

Præter plagas & pondera] Plagæ motum sursum efficiunt, pondus autem deorsum; tertium autem faciet ἔγκλισις.

Potestas] Facultas qua restamus & adversamur motui coacto.

De nihilo] Nihil de nihilo fit; et voluntas libera ex primo aut secundo motu esse non potest; Ergo admittendus alius motus, per ἔγκλισιν scilicet.

Mens ipsa] Palmaria Lambini correctio. MSS. enim omnes habent *res*; quod hoc loco stare posset ἀφορικῶς, sed nihil præcessit ad quod referri queat.

Pondus enim prohibet] Natura ponderis omnia corpora ex æquo deprimit; quare plagis fieri omnia nequeunt: sed ne mens nostra necessitatem agendi intestinam habeat, debet admitti motus per ἔγκλισιν.

Nec stipata, &c. *nec majoribus intervallis*] Id est, nec densior, nec rarior, ἀραιοτέρα. Quod verum; sed etsi verum id de summa summarum sit; de mundis variis aliter se res habere potest.

Illud

Illud in his rebus] Objectio; Qui fieri poteſt, ut, cum principia perpetuo motu jactentur, ſumma tamen quieſcere videatur? Fateor, inquit, videtur; ſed non quieſcit tamen? Cum enim prima corpora pervideri nequeant, qua tandem ratione illorum motus videas? Si pilam videri non potes, quo pacto de illius motu judicabis?

Præterquam] Ut ſunt aer, aqua, cœlum, aſtra, &c.

Omnis enim] Reſponſio eſt ad ἀνυπόφορον ſuperiorem.

Infra jacet longe à ſenſibus] Id eſt, ſenſus noſtri illa attingere nequeunt. Lambin. *ipſa* pro *infra*: non male fruſtra tamen de hac lectione dubitabat; nam lib. quoque tertio occurret.

Quapropter ubi illa, &c.] Quandoquidem ea videre non potes, quî tandem eorum motum cognoſcas?

Surpere] Surripere, ſubducere, eripere, furari. (Virgilius, *oculos furare labori.*)

Satiati agni] Venuſte à Varrone dictum eſt, *agni ſatulli.*

V. *Blandeque coniſcant*] Nullibi hoc verbum occurrit, niſi apud Quintilianum ex Cicerone; ſignificatque, ut videtur, arietare. Sed pro *coniſcant* ſunt quibus legendum videatur, *coniſſant*, à κονίζειν, *pulverem jactare* (ut apud Virg. *pedibus qui ſpargit arenam*) quod probare non poſſum vel ob hanc unam rationem, quod cum τῷ *blande* ea vox congruere non poteſt. Lambinus ſuſpicatur legendum *coruſſant* à κορύσσεσθαι *cornu petunt*; nam quandoque κορύσσειν, quod Vir Doctus negabat, idem eſt ac κορύπτω, ut ὄσσομαι. pro ὄπτομαι dicitur, & πίσσω pro πίπτω; erat autem Idiotiſmus Æoleων, qui & pro ἐμπίπτω dicebant ἐλπίσσω. Sed cum in MSS. Codd. legatur vel *croniſcant*, vel *chroniſcant*, haud equidem ſcio an legi debeat *corniſcant*, donec innotuerit quid ſit *coniſcare*, de qua autem voce infra aliquid ſcribetur. Quid autem inquies, ſi legatur. *blandeque corniſcant*, nonne ſyllabæ modus facere debebit, quo minus verſus ſtet, cum

cum prima ſyllaba producenda ſit, idq; πάσῃ ἀνάγκῃ? At ego aliter longe ſentio; qui ſciam propter *liqueſcentiam* τῆς R. ſyllabam eſſe communem, quemadmodum τὸ φέρβε apud auctorem diligentiſſimum, (Callimachus eſt) hymno in Cererem unice oſtendet;

φέρβε βόας, φέρβε μᾶλα· φέρε σάκυν, ὅσσα θερισμόν.

Vides in eodem verſu priorem in φέρβε modo produci, modo corripi. Cujus rei olim exempla aliquot ad Phædrum protuli. Cæterum, quod facturum me ſupra pollicitus ſum, illud *coniſcare*, ſi vera lectio eſt, ex *corniſcare* oriri potuit per abjectionem τῆς R. quemadmodum ex κέντρων fit cento, ex πέρδω pedo, & alia id genus.

Candor] Intellige veluti συσσφίγγω, ſeu glomeramen album quod longe videtur.

In campis conſiſtere fulgor] Tunc enim omnia è loco edito videntur luce collecta ſeu repercuſſa conveſtiri, quaſi nimbo igneo. *Nimbus* autem ſæpe nubem radiis auratis fulgentem ſignificat. Virgil. atque ita intelligo.

Nunc age cunctarum, &c.] Semel meminiſſe neceſſe tria tantum conjuncta in atomo agnoſcere Epicurum, magnitudinem ſcilicet, figuram; & pondus; cætera hinc pendent.

Non quod multa parum ſimili ſint prædita forma] Intelligi multo eſſe ſimili figura, non autem infinita. Cæterum per formam intellige figuram & pondus; neque enim, quod nonnullos in fraudem induxit, figura & forma diverſa ſunt.

VI. *Eſſe pari filo ſimilique affecta figura*] Antea dixi in atomo conſiderari debere magnitudinem, figuram & pondus. Lucretio autem figura dicitur quoque forma, quod idem eſt. Sed quia Quintilianus alicubi (x. Inſtit. ut opinor) atomos vocaverat figuras, Giſanius in Indice, ſed diſſimulato monitoris ſui nomine, hoc loco figuram pro atomo ſumi perſuadere cupit; cum tamen nullibi illuſtrius imperitiâ ſuam circa has hypotheſes oſtenderit: Locum alium affert è V

Quippe

Quippe etenim quorum partes & membra videmus
Corpore nativo & mortalibus esse figuris.

Ibi quoque *figuras* pro *atomis* sumi dicit: Itaque rem novam habemus, *atomos corruptibiles*, *principia quæ pereant*: sed hic non stabit Gifanius; affert enim & locum alium è IV.

Proinde & seminibus distant variantque figuris.

Item, *Namque figurarum ut ratio.*

Item, *Proinde foraminibus debent variare figuræ.*

Quibus omnibus in locis se plane puerum prodidit; & tamen qui in hoc genere scriptorum subacti non sunt, hominis illius fidem, quæ nulla sit, maximam esse crederent; videlicet splendida & luculenta editio est; sed præter id quod furatrinæ debuit, ὑδὲν ὑγιές.

Lætantia] Vide Emendationes.

Adsistens] Luctu & dolore orbitatis perfixa ibi stans, obstupefacta: ὑποστᾶσα ἐαυτῇ.

Desiderio perfixa] Hinc Horat. *desideriis icta fidelibus*, &c.

Revisit ad stabulum.] Plaut. Ter. melius quam *revisit stabulum.*

Derivare animum] Flectere, avertere, mutare.

Pavit] Ita ex MS. Lambinus, contra Nonium, recte. *Pavit* enim significat percutit, quatit, ferit; idem quod *plangit*, Virg. *Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.* in Georg.

Penetralior] Τομώτερος. penetrantior: ut *penetrabile frigus.* Virg.

Subtilem magis è parvis] In aliis, *& parvis*: quod malim.

Majoribus elementis] Atomis crassioribus.

Non tam deducta] Tenuia, subtilia, λεπτομερῆ, si ita de atomo loqui liceret; deductus, tenuatus, metaphora à lana, ut opinor; exempla passim, al. *diducta* ut in Lib. MSS. legitur, quod esset *distractu*, *divulsa*, *separata*, &c. sed pessime, ut opinor. Nam in concretis, atomi non mutant naturam. Ridicule itaque

que Gifanius, qui ſcribit: *atomi hamatæ ſunt initio, nec ſtatim omnes diductæ.* Plauſum clarum date.

Primordia ſingula quæque ſingula per quojuſque foramina permanare] Exiſtimavit Interpres eſſe παλιλλογίαν in *ſingula*. Mihi vero contra videtur: ſeries enim verborum hæc eſt: *Singula quæque primordia poſcent per ſingula cujuſque foramina permanare.*

Abſinthi & Centauri natura] Centaurium ipſum, &c. plantæ notiſſimæ.

Pertorquent ora] Faciunt ut qui in os admiſerint, os ſibi diſtorqueant propter eorum amaritiem. Terent. *Illud vide, ut ſibi os diſtorſit carnufex.*

Bona ſenſibus & mala tactu] Commoda ſenſibus aliis, ſed non tactui; quod genus infinita cibaria ſunt.

Muſæa mele] Cantica elaborata & ex arte compoſita, *mele*, *pelage*, *cete*, à Græcis.

Organici] Qui organa ſeu inſtrumenta muſica tangunt.

Expergefacta figurant] Bene nam in arte canendi ſunt ᾄσματα & χρώματα, ut in ſaltationibus ſeu ſtaticulis.

Croco Cilici] Croci enim, qui è Cilicia advehebantur, floribus ſcena reſpargebatur. Martialis, alii. *Panchæi* autem Arabiæ pars thurifera.

Squalore] Squalor proprie aſperitas eſt; Itaque veſtis auro & ſignis aſpera (ſic enim vulgo loquuntur) ſqualens auro dicitur Virgil. alias aliud. Iſtud autem ſqualor fit à *ſqualus*, unde *ſqualitas* & *ſquales*. Sed hic locus non eſt.

Angululis] Γωνιοχίοις, parvis angulis.

Proſtantibus] Prominentibus, projectis, extantibus.

Fæcula] De fæcula & garo, legendi interpr. Horat. & Martialis. Græci etiam, ſed voce à Latinis ſumpta φαίκλεν vocarunt.

Inulæque] Herba notiſſima eſt, *aulnee* noſtris hominibus.

Diſſimili dentata modo] Sed, inquies, igni figura orbicularis conveniet magis; unde igitur *dentata*? dein

dein pruinæ plane aliam figuram desiderant, quippe igni adversæ. Sed ignis mordet, pungit; ergo non ita perfecte orbicularis est glomeraminis, quin aliquid extat, quod pungat; nam de pruinis certa res est. Vir maximus in Physiologia *dentatum* hoc loco pro figurato accepit: illum adibis, si vacat, pag. 325. edit. prioris.

Tactus uterque] Quidam legi vellent, *tactus utrique*, (id est *utriusque*) pruinæ & ignis. Ille, quem dicebam modo, sic scribit [Videtur *uterque* dici metonymicῶς, pro *utriusque*] Ego libentius, ut jam alibi, tactum pro tactibilitate sumerem.

Tactus enim] Ad tactum provocat, sensuum omnium principem; nam sensus omnes ad tactum revocantur. Itaque uno appellato omnes intelligere potest. Ex criteriis autem, quæ tria sunt, Sensus, anticipationes & passiones, primæ partes dandæ sunt sensibus.

Pro divum numina sancta] Poetice non philosophice; certe non κατ' Ἐπίκουρον loquitur [pro dii immortales,] quos frustra invoces, si illos securum agere ævum credideris.

Ex offensu] Jam antea; cum corpora diversæ naturæ sese mutuo offendunt, & altera alteris intercurrunt.

Turbant] Neutrale est, seu absolutum: quamquam & cum τῷ *sensum* postis jungere.

Quamvis jam partem] Quamlibet voles partem, vel, Ne longius abeam: id enim, ut supra ostendi, significat τὸ *jam*.

Quapropter longe formas distare, &c.] Recte argumentatur; varios edunt sensus: ergo varias figuras habent. Figurarum varietas id efficit; non magnitudo, non pondus, per se quidem.

Et quasi ramosis] Ergo implicatis, sed extensione inæquali, perplexabili, &c. veluti sunt ramorum brachia.

Adamantina saxa] Nota de lapillo pretioso & qui

nunquam

nunquam magnæ molis eſt, *ſaxum*: nam de magnete, quem ſaxum vocat alibi, longe aliud eſt.

Prima acie] Metaph. à copiis militaribus.

Ictus contemnere ſueta] Ita reſpuit ictus ut ferrum utrinque diſſultet. Ride. Tum de ſanguine hirci, ride id quoque: falſum eſt & nugatorium; nam vel unico malleoli ictu in pulverem abibit. Hircinus autem cruor non magis nocebit quam ſericum aut goſſypium.

Æraque quæ clauſtris reſtantia vociferantur] De cardinis ſtridore intelligendum. Vir Doctiſſimus qui aliter ſentiebat, alibi erat, aut certe ibi indiligenter fuit, *reſtantia* quaſi ſuſtinentia.

VII. *Glomeramina*] *Ita vocat atomos rotundas*, ait Giſanius: male; ſed ei ignoſcendum cenſeo: Poſt Lambinum erravit. Nunquam etiam Lucretius atomos glomeramina vocavit, neque adeo potuit: ſed intelligit moleculas; quod explicaretur, ſi obſcurum foret. Ex multis atomis fit glomeramen; multa glomeramina corpus magnum conſtituunt.

Si minus omnibus ſunt] Optima hæc Mureti emendatio eſt. Id eſt, ſi non omnia fumi, nebulæ, &c. ſunt rotunda.

Nec tamen hærere inter ſe] Hos tres verſus optime ejecit Lambinus; neque enim à Lucretio eſſe poſſunt. In ſecundo typographicus error eſt, *ſenſibus* pro *ſentibus*. Quæ vox unice probat non eſſe Lucretii; aliquo enim exemplo opus fuit ejuſdem naturæ, cujus erant fumus, nebulæ, *&c.* Ibi autem ſentes & dumos arripit. Lambini vero ratio nil probat: cum dicit debuiſſe dicere auctorem illorum verſuum, *non acutis ex elementis*, ſed, lævibus atque rotundis; non ita eſt. Id enim homo nugator, quiſquis ille fuerit, de ſentibus dictum volebat, non de corpore fluido.

Sed quod amara vides] Adi Emendaciones.

Doloris corpora] Aſpera, inæqualia: unde dolor & inſuavis motus.

Scilicet eſſe] Jam antea: Scias licet eſſe globoſa; neque

neque aliter veteres. Cæterum post *globosa* distinctiunculam ponito, ut legas conjunctim, *tamen cùm*, id est, *quamvis*,

Magis aspera] Cave istud *magis* cum *aspera* jungas: nam cum τῷ *putes* connecti debet: alioqui à sensu abieras.

Neptuni corpus] Aqua marina, quod exemplum post sudorem nunc sumit.

Seorsumque videndi] Sevidendi, ut secernendi, à verbis ejusdem significationis.

Percolatur] Quasi per colum pergatur, unde *colatus* apud Tertull. lib. I. ad Nationes. *Serenitas colata*, pura scilicet, innubilus æther, Virg. *Virus* autem antea occurrit pro humore.

Quo magis] Quia sunt aspera scilicet.

Apta] Ἐξαρτῆσα, ἐχομένη, annexa, connexa, pendens: *fidem* autem probationem: ut & Græce πίστις in eadem notione.

Primordia rerum] Hoc illud est quod probandum suscipit: Variant figuræ atomorum & est illarum varia magnitudo, ut jam ostensum est: sed tamen illa varietas infinita non est, etsi indefinita, seu incomprehensibilis. Incommodo jam proferet. Cui addas hoc ad illustrationem, Atomorum non unam esse magnitudinem; Sed magnitudinis varietas quanta quanta erit, non debet certe esse infinita: alioqui fieret ut unica atomus Totum esset; at eo ducit te invitum figurarum varietas: nam infinitæ figurarum varietates necessario infinitas magnitudines postulant. Quæ sequuntur, his ita expositis, plana sunt & perspicua.

Maximitate] Vox Lucretiana: quæ tamen fastidiosulas aures non magis radere debet quam *proximitas* sæpe apud Ovidium.

Jam tibi Barbaricæ vestes] Hæc omnia à consequenti dicuntur, & plane necessaria sunt ex positis. Eo enim fieret, ut quæ hodie splendidissima, suavissima, &c. sunt, ea ab aliis aliisque tandem vincerentur: denique eadem incommoda, quæ modo

do de magnitudine dicebam, enaſci videres.

Barbaricæ veſtes] Phrygiæ, Perſicæ, Babilonicæ.

Melibœa] Melibæa Theſſaliæ oppidum infectura purpuræ nobile: nam quod excerpta Serviana inſulam faciunt, nugæ.

Aurea pavonum ſæcla] Pulcra. *Venus aurea* (quamquam ex hiſtoria) *equi aurei* apud Pind. in I. Olymp. *aureus puer.* Apul. χρυσῆς ἱππάδος. Ariſtænet.

Dædala chordis] Quæ vario fidium ſono canuntur. *&c.*

Cedere item retro poſſent] Senſus eſt: Quod de præſtantia certorum unguentorum, purpuræ, canticorum quæ quandoque oppreſſa ſilere modo dicebam, id contra de fœtore, ſono ingrato, turpitudine, *&c.* dicas licet. Nullus enim adeo teter odor eſt, qui non infinitis partibus tetrior fieret.

Denique ab ignibus ad pruinas &c.] Hunc locum de Zonis accipiendum non puto, ſed de vi intenſiſſima ignis, de frigore, de tepore, *&c.*

Retroq; remenſum eſt] A pruinis ad ignes; res plana. Nota tamen paſſivæ ſignificationis *remenſus*, ut *adeptus*, *expertus*, & alia id genus apud Saluſtium.

Mucrone] Terminum intellige, ultra quem nec frigus intendatur, nec calor.

Notantur] Metaphora à terminis depactis: alioqui locus vulgo non intelligitur.

Inſeſſa] Sic omnino legi debere credidi: etiamſi *inſeſta* ferri queat in notione paſſiva. *Inſeſſa* autem, Turnebi, non placet. *Inſeſſa* vero, occupata, ut locus *inſeſſus* ab hoſte, &c.

Primordia rerum inter ſe ſimili, &c.] Probavit diſſimiles figuras eſſe finitas; ſi autem ſimiles itidem finitæ eſſent, ſumma finita foret: at finita eſſe ſumma non poteſt; ergo.

Nunc age oſtendam] Summam rerum ſtare, & contineri per continuatas ab æterno plagas.

Protelo] Plura hic poſſem, ſi luberet: ſed nolim onuſtum his notis Lucretium. *Protelum* proprie eſt

tenor

tenor ille ducti aratri per sulcos. Itaque *protelum* erit continuata actio & ἄπαυστος. Reliqua forte ad Terentium olim, ni me harum rerum tædeat.

Nam quod rara vides] Objici poterat, species quasdam animantum & aliorum concretorum rariores esse quam aliorum: Quid tum, inquit? si in hoc mundo ita se res habeat, in aliis, qui infinito numero sunt, aliter fit.

Numerumque repleri] Qui respondeat aliorum frequentiæ.

Anguimanos] Quorum manus, seu proboscis, est veluti anguis.

Vallo munitur eburno] Respicit tabula aliquam in qua India vallo eburno cincta esset. Quæ dicuntur ab aliis, &c. nihil moror.

Sed tamen] Ingeniosior argumentatio quam videatur.

Quod superest] Nota, sed & alibi, positum ἀφ' prætorea.

Turba aliena] Intelligit atomos quæ ad constitutionem aliorum generum seu specierum necessariæ sunt.

Conciliandi] In notione passiva, Quam rationem haberent cur conciliarentur, & σύγκειμα aliquod facerent? Ita jam supra, *neque enim consilio se locarunt.*

Magnum] Tumidum, commotum, &c. supra.

Guberna] Egregia Lambini emendatio, id est gubernacula.

VIII. *Tonsas*] Remos. Ennius apud Festum, *Poste recumbite, vestraque pectora tollite tonsis.* Lege, *pone recumbite*; exprimit gestum remigum.

Aplustra] Ἄφλαστα ornamentum navium erant, non in prora, ut plerique veterum scripserunt, sed in puppi: ornamenta enim quæ in prora erant, *acrostolia* dicebantur. De his & aliis id genus olim multa observaram; sed illa omnia in lib. I. Schefferi Viri diligentissimi, quos ille de militia navali veterum edidit, occupata video.

Ævum omne] Al. *ævum omnem:* nam & *ævus* dicebant,

dicebant, ut alia id genus sexcenta.

Salatem] Rerum scilicet.

Et superantur item] Videri possit hic versus ex Lucilio sumptus, nam in veteri codice ex secundo Lucilii profertur.

Et superant urnæ, miscetur funere vagor.

Sed locus bis corruptus est; Quanquam scio urnam ad mortualia pertinere.

Obsignatum] Dicimus *reconde hoc imis sensibus.* Virg. *sensibus hæc imis, res est non parva reconde.* Sed quæ talia sunt ut condantur, fere plerumque obsignantur; iis ἐπιβολὴ σημείου apponitur, &c. itaque metaphoricῶς, Hæc in animo habe, serva.

Nil esse in promptu] Uno verbo id probat quod verissimum est, nil esse simplex in concretis: quomodo enim fieret, ut multæ ejusdem generis magnitudines, & ejusdem generis figuræ cohærent sine vinculo; itaque diversum aliquid esse debet. Series verborum: *Nihil eorum hominum,* quorum natura nobis nota sit, tale esse, ut constet, &c.

Permisto semine] Quoad magnitudinem, figuram & pondus.

Multas vis] Facultates, ἰς, virtutes. Ita in plurali usurpatum à Sallustio est.

Principio] Primum, tellus primordia omne genus habet: humorem, ignem, herbarum, frugumque materiam.

Volventes flumina fontes] Fontes volventes *flumina,* id est, fluenta.

Fluidas] Quæ cibatui esse possunt, sin minus, in stramenti loco illa erunt.

Genetrix corporis una] Post hunc versum longiuscula digressio est: quæ tibi transilienda erit, ut series ratiocinationis appareat, ad usque versum 19. pag. 58. *Sæpe itaque.* Cæterum in exponendis his versibus operam positam nolim: quam enim admirabiles, tam & faciles illi sunt: Materia autem notissima est; id tantum agam quod agendum erit. Nam, quæ passim

de Cybele legi, ea proferre consilium non est, neque esse debet, nunc quidem.

Magna deûm mater] Et absolute Μεγάλη, unde μεγαλίστια.

Sublimem in curru] Sic optime Dionysius: in aliis, *sedibus*; quam lectionem qui probant, ἀκεσίαν sanam produnt.

Leones, &c. *aeris in spatio*] Leonis enim natura ardentissima est & rapida.

Eximiis] Al. *extremis*; nihil interest: aliis, *ex imis*; quod nec magis necesse est.

Insigni] Nota, signo, &c. Coronam muralem intelligit, ob turres.

Horrifice] Non potest satis laudari istud *Horrifice*; quis enim, (de vulgo loquor,) non imis medullis cohorrescat, ubi pulsatis æramentis nugæ prodeunt hujusmodi?

IX. *Idæam vocitant matrem*] Veram Etymologiam esse arbitror (quod dico aliis inductum est) non quam Lucretius, & alii omnes attulere; sed hanc; ἴδαι sunt montes & loca saltuosa (Hesychius. Eustath. Herodotus in Melpomene sect. 259. ubi male Interpres; quod monuisse sat est.) unde & ἴδη pro ligno seu materia tectonica apud eundem. At primi homines glande vescebantur, & in quercu penuarium iis erat. Hinc itaque Mater Deûm *Idæa*. Sed post inductum tritici usum, φρυγία dicta fuit; nam triticum φρύγειν seu *torrere* solebant: quod hodieque fit circa farinam, ubi major alendi pueri cura est. Notandum in primis quod ait Lucretius, eas appellationes ex antiquo ritu sacrorum profectas. Addo amplius ex Virgil. & aliis, ritum illum seu πλεκτὸν ex Crete in oras Hellesponti deportatum: Sed Cretes id omne à Syris habebant. Verum abit hora. Pene oblitus eram ἴδιον à schol. Theocr. pro herba sumi, in Idyll. I. locum quæritabit qui otio abundabit.

Fruges] Παρὰ τὸ φρύγειν· qui aliter sentiunt, μάχεσθαι χαίρειν ἐδόκησε.

Gallos

Gallos] Matris Deûm comites agyrtas, *&c.* quorum Reverendus, & Venerabilis antistes Archigallus à Tertulliano dicitur in Apologetico sect. 25. id est *archicastratus*, Fanatica illa mendicabula à Gallo fluvio, *&c.* nolo ridere hodie, ringor enim. Itaque de D. Hieronymo nil dicam. Res certe quam mirificissima est, tam & profecto ridiculissima est. Scilicet in re nova, novis verbis opus esse arbitror. Adi præter cæteros Herodianum.

Indignos.....qui progeniem edant] Nam Galli, si Diis placet, ex eo genere erant, de quo illa Terentii ancillula alicubi dixit, *Sed nil potesse.*

Telaque præportant] Queis sibi lacertos quandoque conscribillabant. Vide Tertullianum ubi supra: sed quos non? si lubeat.

Phrygio numero] Harmonia Phrygia, quæ enthusiastica: de Lydia, Ionica, Dorica, Mixolydia, *&c.* passim; de quibus ex professo Glareanus & Zarlinus diligentissimus Musicorum.

Cava tibia] Non temere: paulò enim crassior & longior erat Phrygia tibia quam cæteræ.

Munificat tacita, &c.] Versus plane admirabilis, & tanto admirabilior, quod ab his nugis Lucretium philosophia vindicarat.

Stipe] Nam quisque κερμάτιον dabat Matri D. quis enim renuat? quis exigua stipe cœlum non mereat? sed qui sapiebant, stipi parcebant tamen. *Tacita salute*; bene tacita, *&c.* ex eo enim læti frugum proventus erant scilicet, ab ope divina, nullo boum, nullo hominum sudore, rem commodam!

Ninguntque] Νιφάδης ῥόδον, (utinam Latine dicere possem!) Ita apud Pindarum Danae dicitur ad sese recipere Jovem *auro ningentem.*

Χρυσῷ μεσονύκτιον
Νίφοντα δεξαμένα
Τὸν φέρτατον θεῶν.

Quidam Codd. habent; *pinguatque.*

Caput II.

I. *Philoxeni gloſſæ ſupplentur.* II. *Ramulos, ſeu ſpinulas in corpore vivo hominis fruteſcere poſſe.* III *Lucretiani loci emendatio tentata.* IV. *Falli Ciceronem, qui omnem qualitatem corporibus primis detrahi ab Epicureis dixerit.* V. Stringuitur color, *unde ſumptum videatur.* VI. Inolens, inficiens, inquiſitus, &c. *contra Gifan. & Boxornium.* VII. *Lucretii locus, ut & Euripidis, ex Epicharmo expreſſus.* VIII. *Virgilius emendatus in II.* Hinc mihi prima mali labes. *Iterum in VIII.* Hîc mihi magna domus celſis caput urbibus exit.

Inter ſe forte catenas ludunt] Locum hunc ſibi corruptum videri, ait Gifanius, in Indice; ego autem nil mutandum contendere poſſum, non propter locum illum notiſſimum ex Adelphis, *Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis*; ſed propter alium longe aptiorem ex 27. Livii petitum, quem nemo, ut opinor, interpretum vidit. Is ita habet: *In fori pompa conſtitit; & per manus reſte data, virgines ſonum vocis pulſa pedum modulantes inceſſerunt.*

Sanguine lęti] Magis multo placeat quod in al. ſan-

ſanguine ſteti, aſperſi ſanguine, ſeu ſanguineis guttis in modum lacrymarum.

Numine] Nutu, motu. Virg. Æneid.

Illum] Semper aliquid inſigne notat *Ille*. Virg. paſſim hoc loco ſignificat *decantatum*, de quo poetæ tot nugas, &c.

Malis mandaret] Τοῖς γνάθοις ἐνδιδάλλοι, intra maxillas conderet, &c.

Vulnus] Dolorem.

Ferantur] Sint: quemadmodum *habetur* plus ſemel apud Saluſt. pro *eſt*. *Virtus clara æternaque habetur*.

Hîc] Gall. dixeris, *& là deſſus, ſi quelqu'un*, &c. Ita exponendus ille Terent. locus, *Atque in eo diſputant*, &c.

Dum re non ſit tamen apſe] Emendatio Lambini, *reapſe*. Sed ὁ θαυμάσιος Giſanius ſuo jure illam ſibi vindicavit.

Sæpe itaque] Nunc tandem ad inſtitutum redit, Nihil ex uno aliquo primordiorum genere conſtare.

Duellica] Bellica, alia hujus mutationis exempla in I.

I. *Buceriæ greges*] Græcè quidem βύκερως & βούκερως dicitur: βυκέτως haud ſcio an reperiri queat. Cæterum olim dicebant hæc *grex*, ut hæc lex, à *gregis* primo caſu. In hac voce ſupplendæ ſunt gloſſæ Philoxeni. *Bucerum*, γίννυμα βοός. Recte vidit Vulcanius legendum eſſe βοὸς, ſed locum mutilum eſſe, id vero eſt quod haud vidit: Legendum enim, *Bucerum* ſæclum; itaque *ſæclum* erit γίννυμα, quod mihi ad I. lib. exciderat, properanti. Philoxenus reſpiciebat locum Lucretii, *bucera ſæcla*, in quinto & ſexto.

Jam vero] Neque illud in terra modo, in aqua, &c. verum eſt; Sed in uno quovis concreto tanta varietas partium eſt, ut quod de illis grandioribus corporibus dictum fuit, minime mirabile habendum ſit cum in minimis reperiri queat.

Denique multa vides, &c.

Reddita ſunt cum odore, &c.

Relligione animum turpi cum tangere parto.] Secundum versum ejiciendum putat Lambinus, & merito: tertium autem nihilo magis stare debere existimo. Nam quæ Latinitas? [*tangeris animum relligione turpi parto.*] Dein cur hoc exemplum potius quam aliud quodvis? an quia necesse sit immolare capellam, ovem, &c. ut nosamus multa esse quibus & sapor & odor unà sint?

Non quo multa parum] Debet ad id referri quod de similium figurarum infinitate dixerat, contra autem de numero finito dissimilium: Cui & aliquid germanum post paucos versus occurrit.

II. *Et altos interdum naves legigni corpore vivo*] Ramos è corpore vivo hominis egigni prorsus mirabile sit; sed nec fortasse mirabile non sit, quod de insitione arboris cum homine legitur in vita Peireskii, circa pastorem quemdam Tarraconensem, qui cum forte in prunulum incidisset, ita illa radices egit in thorace medio, ut & flores & fructus tulerit. lib. 5.

Sua] Convenientia, specifica: exempl. gr. cur panem id educit homo per coctionem, quod speciei humanæ convenit; canis contra, quod canino generi.

Multa cecis corporibus fugiunt è corpore] multa, quæ non videas, è cujusque animantis corpore partim rejiciuntur, partim sponte fugiunt, διὰ τὸ μὴ ἰδιάζειν συνῆφθαι τοῖς ἐκ γενέσεως.

III. *Atque animari*] Hæc Lambini conjectura est, contra omnes libros, inquit: sed tale quid sensus postulat. MS. certe Codices habent *animitari*; quare quærendum esset aliquid quod ab illa scriptura propius abesset. Nullum autem video verbum quod sententiæ magis conveniat, & ad libros manu descriptos accedat magis, quam *adagitari*; si vero (quod infinita apud Lucretium exempla suadent) vocem illam diviseris interserendoque, non male huic loco consultum fuerit. Lego igitur, *adque igitari*, id est *ac adagitari*, seu *adigi intra vitales motus*, &c. Nulla certe vox magis propria occurrere possit, & quam sententiæ pro-

nius

nius admittat. Sed cum iſtud *igitari* non intelligerent exſcriptores ſuum illud *imitari* procuderunt, quod & ſenſus reſpuit, & Latinitas probare non poteſt.

Cœlumque è terris omne retentant] Optime concludit; Semina quidem diſtant; ſed niſi intervalla, viæ, motus, &c. itidem differrent, omnia prorſus, cœlum, mare, ſydera, &c. confunderentur.

Nunc age] Prima corpora calorem non habent, neque adeo ullas qualitates, præter, ut jam bis antea oſtenſum eſt, pondus, magnitudinem & figuram. IV. Fallitur enim Cicero, qui dicat lib. II. de Natura Deorum, nullam omnino qualitatem corpuſculis tribuere Epicureos. *Iſti autem quemadmodum aſſeverant ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Græci vocant, non ſenſu præditis, ſed concurrentibus temere atque caſu mundum eſſe perfectum*, &c.

Induta colorem] Emendatio Lambini, in lib. *imbuta*, quod Latini ſermonis ratio improbat. Deinde ex Epicuri ſententia corpora non poſſunt dici imbuta colore.

Neque par rebus neque denique diſpar] Id eſt, nullus omnino.

In quæ corpora, &c] *Animi injectus* eſt comprehenſio. Senſus itaque verborum hic erit: Si negas poſſe concipi ejuſmodi corpora ſine omni colore, falleris; neque enim ad cognitionem corporis neceſſarius eſt color; cum ii, qui cæci nati ſunt, corpus cognoſcant, per alias qualitates ſcilicet; calorem, frigus, pondus, figuram, &c.

Nullo colore] Relative ad cæcigenos; neque enim unquam corporis ullam cognitionem ſibi peperere ope coloris.

Fuco] Color eſt, ἀπάτη, Virg.

Vinco] Argumentis allatis oſtendo id fieri; nunc id neceſſarium eſſe demonſtrabo.

Omnis enim color omnino mutatur in omnes] Hæc ratio eſt: Si intrinſecus eſſet color principiis, mutabilia eſſent; &c Omnem autem colorem cum in

omnes colores verti ait, debet id, opinor, de mediis intelligi.

Præterea si] Occurrit interrogationi; Unde igitur colores, ô Lucreti? Nil facilius: Colores enascuntur & variantur ex mixtura atomorum.

Marmore] Corpus politum, marmor dicitur, etiamsi solidum non sit. Ita Græci, ita Latini, de mari, de papillis, &c.

Sin alio atque alio] Sententia horum versuum est: Dixerit fortasse quispiam, aquam maris ex variis & diversi coloribus atomis concrevisse, unde ille & ille color, modo cæruleus, modo albus enascatur, uti quadratum ex duobus aut quatuor triangulis inclusis componitur, quæ ipsa triangula alias intra sese figuras habeant; sed non ita est, inquit; nam in quadrato dissimiles formas cernere potes extra quas est quadratum, (id est quas in sese habet & continet quadratum) in aqua autem marina, nil tale videas; Atque adeo objectio nulla est, qua quidam instarent, non alba ex albis, non nigra ex nigris, sed alba ex nigris & contra [*Tum porro quæ ducit & inlicit*..... usque ad, *Sed varia de*] Videlicet ostendit vanam esse objectionem, cum principia omnino mutari nequeant; quod fieret tamen, si, quantum in se est, vel alba forent vel nigra.

Ex albis quoniam] Hæc ratio est, cui obviam ire voluit.

Quippe etenim] Contra illam rationem, *ex albis quoniam*, &c.

Præterea] Syllogismus Epicurei commatis; singulæ partes veræ sunt; τὸ δὲ ὅλον ἀσυλλόγιστον.

Recta aut obliqua percussus luce] Nam ex varia tia anguli recti aut obliqui variatur color.

Quæ sita] Quæ circumposita, περικειμένη, coronat, cingit collum & cervicem columbæ. Cervix τὸ παχὺ & τὸ ὄπισθεν: collum τὸ σφύμηκες & τὸ ἔμπροσθεν significabit.

Rubro fit clara pyropo] A Lambino hæc lectio est. Vulg.

Vulg. *claro fit rubra pyropo.* Ex Ovid. in Metamorph. *Pyropus* autem, seu metallum quoddam, seu auri argentique κρᾶμα, sive carbunculum putes, haud magni interest.

Quodam sensu] Ut Gall. *en un certain sens*, ubi de visione agitur, id est, ut mox loquetur, *quodam luminis ictu.*

Sine eo] Ictu scilicet.

Præterea quoniam non certis]. Sed ponamus primordialia corpora colorata esse; an ideo dicent isti certas figuras talem & talem colorem habere? Certe fateantur necesse est in multis figuris multa esse corpora diversorum colorum; inde quid fiet? ut certarum specierum (de cycnis, corvis & aliis id genus loquor) colores ita varientur, ut prorsus sibi non constent. Id non fit; ergo falsa suppositio.

Quin etiam] Quo quidque in minutiores partes discerpitur, tanto evanescit magis ex oculis color; quid igitur de incomprehensibili tenuitate primorum corporum dicas?

V. *Stingui colorem*] Extingui. Cæterum imitationem Platonis esse arbitror, qui colorem flammam è corporibus manantem esse dicebat. Locus est in Timæo, p. 542. edit. Læmatianæ, & quidem adscribi dignus: Τέταρτον δὴ λοιπὸν ἔτι γένος ἡμῖν αἰσθητικὸν, ὃ διελεῖν χρὴ συχνὰ ἐν ἑαυτῷ ποικίλματα κεκτημένον· ἃ ξύμπαντα μὲν χροὰς ἐκαλέσαμεν, φλόγα δὲ σωμάτων ἑκάστων ἀπορρέουσαν, ὄψει σύμμετρα μέρεα ἔχουσαν πρὸς αἴσθησιν. *Nunc quartum sentiendorum genus dicendum, quod dividere oportet, multas enim varietates complectitur; quas omnes vocavimus colores, flammam* scilicet *ex singulis corporibus effluentem, quæ visui ad sentiendum partes convenientes habeat.* Περὶ τῆς ἀπορροῆς ferme eadem in Menone dixerat, ex Pindaro & Gorgia; quæ cum Lucretianis alibi facere possint.

Purpura pæniceusque color] Purpura densior erat, puniceus color, lætior & dilutior. Eadem, puto,

differentia, quæ inter *roseum* & *coccineum* apud Tertull. lib IV. adversus Marcionem.

Postremo] Corpora sunt quæ certis quibusdam qualitatibus carent, cur non (à simili) & prima corpora careant colore, sensibilitate, frigore, siccitate, &c.

Sterila] Ut sublima. &c. item ut *deformia* apud Tertul. lib. primo ad Nationes; *deformia simulacra*.

Feruntur] Sunt. Jam antea.

Amaracini] Ejus σύνθεσιν, seu compositionem diligenter perlectus est Dioscorid. lib. 1. c. ξη.

Stactæ] Σταχτὴ δὲ καλεῖται τῆς σμύρνης τὸ λιπαρὸν, κιρνωμένης μὲν ὕδατος ὀλίγου καὶ τεθλιμμένου τε καὶ ὀργάνου. [Stacte vero vocatur pinguitudo recentis myrrhæ cum pauca aqua contusæ & organo expressæ.] Dioscorid. I c. 69. ibi optime legit Saracenus ἐπιθλιμμένον. Sed & illud τὸ tollendum arbitror. De Nardino vide caput 65. scriptoris ejusdem.

VI. *Inolentis olivi*] Gifanius criticæ familiæ columen rem novam in Indice te docebit, lector; *inolere*, non olere, *ut* inpensus *apud Festum*, non pensus. Nisi legissem ipse, nunquam tale quid potuisse ab ullo homini scribi credidissem. Et tamen hæc ab eo sunt de cujus laudeque virtutibus multi tam libenter prædicant. Sed & ille & qui cum illo eadem sentiunt, puerliter falluntur; quamvis enim *inolens* sumatur pro eo qui non olet, haud tamen continuo dicas, *inolere* pro *non olere*. *Indoctus* dicitur, sed non *indoceo*, *Injussus*, sed non *injubeo*. *Insciens*, sed non *insicio*. *Me indicente hæc non fiunt*. Ter, id est, Ita factum iri dixeram; & tamen nusquam reperias, *indico* pro *non dico*. Apud Varronem R. R. lib. 3. c. 6. de apibus, *Neque ipsæ sunt* inficientes, *nec non oderunt inertes*. Vides ibi *inficientes*, pro ignavis & inertibus sumi; neque tamen ullibi reperias *inficio* pro *nihil facio*. In Apologet. Tertulliani legere est. [*Totum enim hoc mundi corpus sive* innatum *& infectum secundum Pythagoram, sive natum & factum secundum Platonem.* &c.]

&c.] ubi *innatus* pro *non natus* sumitur; neque tamen fando unquam auditum est *innasci* pro *non nasci*, neque *intingo* pro *non tango*, quamvis *intactus* in ea notione sumatur. Apud Festum denique, nam illius exemplum quasi rarum citat Gifanius, cum tamen alibi infinito numero sint, *impensus* pro *non pensus*, sed non ideo tamen dicas *impendere* pro *non pendere*. Videlicet, ejusmodi formationes intra participia consistunt; doctus, indoctus, sciens, insciens, &c. Pudendus error, & viro indignus. Sed quando semel cœptum est, naviter nugari oportet. Marcus Zuerius Boxornius qui nobis inquinatissimum Plautum nuper dedit, nihilo plus sapiebat quam Gifanius, cum enim legisset in Amphitruone Act. 4. Sc. I.

Nam me, quem illam quæstionem inquisitam *amittere,*
Mortuum satius est:

(quem locum vel pueri intelligant) quid ibi cymbalistes noster; audi; facinus enim faciet dignum toga, dignum eponide & corynephoris. Inquirere, inquit, *non modo diligenter & anxie quærere, sed etiam*, non quærere *significat, sicut hoc loco.* Vides Clarissimum Doctorem ab eodem principio atque Gifanium errasse. Itaque ubinam cor, ubi cerebrum? ἐν πτέρνῃ.

Viro] Humore, jam antea sæpius. Adde locum Tertulliani de Anima: *De limo caro in Adam quid aliud limus quam liquor opimus? inde erit genitale virus.* Et paulo superius: *Denique, ut adhuc verecundia magis periculiter quam probatione, in illo ipso ultimo voluptatis æstu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoque sentimus exire?* Obiter animadvertendum idem de anima sentire cum Lucretio, quod ad τὸ *corporeitatem* pertinet; quod ei cum aliquot doctoribus commune est: sed in cæteris ab illo diversus abibit.

Molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro] Optima hæc lectio à Lambino est: cæteræ pessimæ sunt. Sensus est; Ubi calor, tepor, frigus reperiuntur, necesse

cesse est corpora esse lenta, id est cedentia, flexibilia propter mollitiem, fragilia propter putredinem & coctionem, cava propter raritatem (ἀραιότητα) quæ in principiis si statuas, tum omnia ruant necesse est.

Nunc ea] Fieri animalia ex principiis insensilibus. Vera ratio est, etiam si plures afferet, Ad sensum multa requiri; At primordia sunt simplicia, ergo.

Neque id manifesta refutant] Solemnis Epicuri ratio, ὃ μὴ χεῖται τοῖς φαινομένοις· quæ eo validior videri debet, quod omnibus magis obvia est.

Explicat] Dissolvit, resolvit, ἀναλύει.

Quid id est animum quod percutit ipsum?] Terent. *percussit illico animum.* Quid te movet, quâ causâ impulsus dubitas: nam *varios sensus expromere*, dubitare est.

Illud in his igitur fœdus meminisse decebit] Magis probem quod in al. legitur. *Illud in his igitur rebus.*

Posituris denique quæ sint] Necessario legendum *queis sint*, ut alibi monitum.

Mollia tum faciunt] Male in utraque editione Gifanii, *cum* est enim contra sententiam.

Animalibus una eademque] Una atque eadem cum animalibus. *Idem facit occidenti.* Horat. ad quem locum exempla congesserunt Interpretes. Græce nil frequentius alibi quoque Lucret.

Quod tamen ut possint] Sed ponamus sensibilia esse principia neque tamen corruptibilia; quando ita vis; quid tandem ex illis fieri poterit? nil certe præter animalia; non arbos, non metallum, &c.

Quod fugimus ante] Negavimus. Vox est ex usu forensi, uti *defendere* pro affirmare, asserere: respicit autem locum illum, *Quarum nil rerum in lignis globisque videmus.*

Ex non sensibus] Ὑφὴν ut alibi, id est ex insensili signi sensile.

Quod si forte aliquis, dicet duntaxat oriri
Posse ex non sensu sensus, sed mobilitate
Ante aliqua tanquam partum, quam proditur extra]

Hæc

Hæc lectio Lambini est. In editione Gifaniana secundus & tertius versus ita leguntur, *Posse ea non sensu, sensus mutabilitate, Aut aliquo tantum partu, quod proditur extra.* Eam lectionem non possum probare, ita obscura, intricata & impedita est. Suam autem ita interpretatus est Lambinus, postquam locum hunc sane quam difficilem & obscurum sibi videri professus est: *Quod si forte aliquis dicet duntaxat oriri Posse ex non sensu sensum mutabilitate Ante aliqua, tanquam partum, quod proditur extra: vel tanquam partum, quod proditur extra, vel, quam proditur extra; ut sit hic Lucretii sensus: Quod si forte aliquis dicet, duntaxat sensum ex eo, quod non est sensus, seu quod sensu caret, oriri posse, per mutabilitatem (principiorum) antegressam, quemadmodum partus per quandam mutabilitatem oritur ex insensibili: huic respondeo, non fieri partum, nisi principiis ante conciliatis & coactis, nec quicquam commutari, nisi per congressionem primorum corporum: at ipsa prima corpora per se immutabilia.*

Sine conciliatu primorum] Malim quod in al. editionibus & lib. MS. *Principiûm:* quanquam *prima* aliquot locis apud Lucretium pro principiis sumantur.

Aere, fluminibus, terris, flammaque creatis] Ita in quibusdam libris legitur, malè, inquit Gifanius: Sed ipse ubi animum occupatum habebat, cum in utraque editione scribi voluit, *terris terraque creata?* Nonne succinere licebit Pessime?

Accensi sensus] Excitati. Ita Cicero in I. de Oratore, non longè à medio. Sed locus non succurit.

Omnituentes] Quippe animantia conservant. Tertullianus ex hoc loco dixit in lib. de Jejuniis: *Salutem æmulo modo redaccenderet inedia.*

Caulas] Vox Lucretiana, poros & meatus corporis significans, *Cavela* seu *cavila, fugela, fuga.*

Nam quare] Quæ enim alia causa sit, nisi quam dico?

Lethi lumine] Ut *portæ lethi:* ἅιδος πύλας.

Abire]

Abire] Prorsus perire, interire: unde abire, decedere, ὀιχεσθαι, mori.

Præterea quoniam] Ratio aliter proponi potest: Quidquid simplex est, id gaudii & doloris expers est: ergo & insensile erit, quod tale erit; sunt autem primordia ultimæ simplicitatis; ergo, &c.

Sollicitata] Concussa. *Trepidant* autem *moventur*. Virgilius crebro, idque ubi nullus formidini locus est. Itaque sæpenumero & *festinare* significat.

De rerum mistura] De concretis, περὶ τῆς συγκρίσεως materiæ physicæ.

Et sibi proporro] Facere: Ipsa scilicet primordia secum aliquando disputant, quænam sui primordia sint.

Debent] Ex positionibus aliorum Philosophorum, non autem ex Epicuri assertionibus.

VII. *Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi, &*
Cedit item retro de terra quod fuit ante
In terras: & quod missum est ex ætheris oris
Id rursum cœli relatum templa receptant] Hi versus ex Epicharmo expressi sunt. Ille de morte nescio cujus loquens sic scripsit: Σωμ̃ελθεν καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπ̃ηλθεν (lege ἀπ̃ηνθεν, nam Dorico sermone utebatur) ὅθεν λῦθε, πάλιν· γᾶ μὲ ἐς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω· τί τῶνδε χαλεπὸν; ἐνδὲ ἓν. Id est, *Concreverat & dissolutus est; eoque unde prius venerat, remeavit: terra quidem in terram, spiritus autem sursum, quid in ea re tantopere molestum est? Nihil.* Ex eodem fonte Euripides hauserat quæ lecturus es:

Ὅθεν δ' ἕκας ⊙ ἐς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπ̃ηλθε· πνεῦμα μὲν θεῖς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' ἐς χθῦ.

Id est, *Unde quisque in corpus venit,*
Eo etiam abit: animus quidam in templa cœli,
Corpus in terram cedit.

Versus Lucretianos Virgilius more suo, &c. Cæterum qui hunc locum contra positionem Lucretii de immortalitate animorum interpretantur, quam prudenter faciant, ipsi viderint. Sint enim animi nostri

ex

ex materia æthera, sine ex igni; naturæ certe corpoream erunt; unde eadem cum Lucretio sentirent. Sed æther, sed cœli templa, splendida res scilicet; idque illi generi satis.

Neve putes æterna penes residere posse
Corpora prima, quod, &c.] Locus omnino difficilis. Turnebus *penes æterna* sumit pro æternis textis, quod mihi nimis Stoicum, nimis μετὰ τὰ φυσικὰ & metaphysicum videtur, quam ut ita sentire Lucretium existimem. Lambinus olim existimavit pro *penes* legendum *minus*, quod mihi in mentem etiam venerat, priusquam ipsius commentarios legessem. (Ita certe ratio postulat,) sed quia duriusculum ei videtur *corpora prima residunt æterna*, ideo alio confugit, ut dicat hos tres versus, qui tamen mihi magnopere Lucretiani videntur, tolli posse; Vel ita explicandum *residere* ut privationem ab omni motu significet, & *penes æterna*, positum fuerit pro *penes æternitatem*. Sed eam quoque sententiam ipsemet Lambinus sibi non satis probari ibidem ostendit; & merito quidem. Gifanius ita scribit: *Ita o. vi l. Marull.* parum, *& ita vulg. & Lamb. male residere penes æterna (quod profundum alibi vocat) &, in rerum adspectu ac facie existare, opposuisse videtur poeta.* Ex quibus liquido cuivis constare possit, vim sententiæ nulla omnino ratione affecutum eum esse. Sed ubi illud tandem apud Lucretium, ut *profundum* pro *æternis* sumatur? quærat modo. Nam nos τὸ *profundum* in hoc ipso libro pro *infinito* sumi sciamus. Deinde, quis dubitet omnia corpora, non modo simplicia sed & concreta, esse in infinito? ubi enim esse queant, nisi in infinito haud sane video. De Latinitate nil dicam, quippe qui legi sciam apud Tertullianum *penes* pro *in*. *Infantes*, inquit, *penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad*, &c. In Apologetica. Sed missa hæc facio; neque enim id agitur utrum res sint *in profundo*, seu *penes æterna*, quod nihil est; sed hoc Lucretius ait, corpora quæ in concretis perire videntur, non

perire

perire tamen, neque ideo *minus æterna esse*, quod videre debuerat Gifanius. Itaque ut id inrenue dicam quod sentio, pro *penes* legendum nece[illegible] arbitror *minus* aut *parum*, ut in vulgatis. De[illegible]que etsi nullum exemplum proferri possit, in quo *residere* positum fuerit pro *esse*, non continuo sequitur errare illum qui ita existimet. Certe Lucretius *manere* plurimis locis usurpavit pro *esse* simpliciter. At ni frequentia exemplorum probasset, ea de re dubitaremus. Sed ut res tota qua de agitur perspicue magis appareat, paucula quædam addi necesse est: Vult probare Lucretius mortem ipsam nil prorsum in corporibus primordialibus ad nihilum redigere, sed ab ea situm modò, figuram & alia id genus mutari. *Nec sic interimit mors res, ut materiai corpora conficiat*, inquit, id est, destruat, consumat: *sed* tantum *cœtum dissipat: Inde* (id est, ex iis corporibus) *aliud aliis conjungit, & efficit, omnes res ut convertant formas suas, & capiant sensus* (animentur) *& puncto tempore reddant* (id est moriantur, nam hæc ad animalia præsertim pertinent) *ut nosci as plurimi referre*, &c. *Et ne putes prima corpora ideo minus æterna esse, quod illa in concretis fluctuare videntur, modo nasci, modo interire*; qui enim nasci illa & interire putant, falluntur. Nam ex oculis nostris subducuntur per interitum συγκεμάτων, sed non pereunt; quippe ad cætera primordia reducuntur, seu *ad sua sæcla*, ut mox loquitur *recedunt*, donec motu sibi ingenito in cœtus novos redeant, &c. *Quod dixi autem de positura & collocatione, potest id, à simili, ex literarum elementis probari*, &c. An itaque nunc, Lector, tres illos versus tollendos esse putabis?

Discrepitant hæc] Literarum elementa, al. *res* male. Hanc emendationem Lambini judicio debemus.

Nunc animum nobis] Plures esse mundos, eosque & nasci docet & interire.

Nulli, ut opinor, &c.] Aliarum editionum lectionem sequor, utpote longe potiorem. *Nil, ut opinor*; ita

ita hæc ſpecies miranda fuiſſet: De verſu autem ſequenti, *Quam tibi*, &c. Vide Emendationes.

Dede manus] Horat. *Tandem efficaci do manus ſcientiæ.*

Quærit enim rationem animus] Hunc verſum & duos deinceps ſequentes ineptiſſimos judico; quod & Lambino viſum eſt; neque alii cuilibet, qui ſapiet modo, aliter viſum iri confido.

Profundi] Ita vocat Infinitum.

Æterno motu] Eſt enim ingenitus atomo motus.

Tandem coolucrint] Lambini conjectura perſpicuæ vera; in lib. *colarint, coierint*, &c. *cooluerint* autem, concreverint.

Semper] Vide Emendationes.

Eſſe alios aliis terrarum in partibus] Series verborum: *Eſſe alios orbes terrarum in aliis partibus* τῶν παντὸς ſcilicet.

Quin cujuſque] Hic verſus cum ſequenti Lucretianus non eſt; quod & Interpres vidit.

Sic] Id eſt, itidem infinitum.

Quandoquidem vitæ, &c.] Quoniam cœlum, ſidera, *&c.* tam interitura ſunt quam cætera concreta.

Quod his generatim rebus abundat] Creſcit ex aere, aqua, calore ſolis, *&c.* ſecundum genera & ſpecies ſuas.

Quæ bene cognita ſi teneas: natura videtur Libera continuo dominis privata ſuperbis, &c.] Recte ex poſitis: Dii enim ſi ex iiſdem principiis conſtent, quibus cætera, qua ratione immenſum, ſeu τὸ πᾶν regere poſſint, ipſi finiti? Dein quo pacto omnia poterunt, qui pars tantum totius ſunt? Sed hæc deliramenta ſunt, dices; fateor: at ponamus τὸ πᾶν eſſe finitum & aliorum Philoſophorum opiniones ſequamur; non minus abſurda de Deo enaſcentur. Verum aliud eſt de Diis, aliud de Deo agere. Tum extremæ dementiæ videri debet hæc cognitionis noſtræ modulo metire velle, quæ quid ſit infinitum nunquam plane comprehendet.

Privata

Privata dominis superbis] Refer ad illud *privatis dolore*, in. I. ita ut *privari* in bonam & sequiorem partem sumatur.

Expers Diis] Usitatius est, *expers alicujus rei*, quam re; Sed tamen ita Salust. & Plautus sæpissime.

Moderantur] Διὰ κράτος; ita ut moderetur.

Cœlos] Non memini me legere apud quenquam veterem scriptorem, τὸ *cœlos*; ea enim vox *semper* ἑνικῶς *dicitur*, ut ait Cornelius Fronto apud Agellium lib. 19. Sed Epicureæ sectæ scriptores, qui infinitos mundos statuebant, necesse habuerunt dicere *cœlos*; idque ἀναλόγως, nam & *cœlus* & cœlum vetustiores Urbis scriptores usurpavere.

Suffire] Vaporare, calfacere.

Cœlique serena concutiat sonitu] Ex Terentio in Eunuch. *Qui templa cœli summa sonitu concutiti* Terentius autem ipse ex Ennio. Sed quomodo tandem fuit oblitus est Lucretius, cum dicit, *serena cœli tonitru concuti*? negabit enim sibi & quidem accurate, fieri unquam posse ut cœlo sereno tonet. Videlicet ex vulgi sententia, non sua, loquitur: quod manifestum est: quasi diçat, Qui tandem, ut isti pulpones Deorum aiunt, fieri queat, ut Jupiter cœlos convertat, sereno cœlo tonet? &c. Virgilius ipse haud aliter in Georg. accipiendus: *Non aliàs cœlo cecidere plura sereno Fulmina*..... Nam Ille Alter non minus Epicureus quam Virgilius, aulæ imponere volebat cum caneret, *plerumque per purum tonantes Egit equos volucremque currum*, &c. Quis autem satis ex dignitate rideat illud *plerumque*? Diceres certè tertio quoque die id fieri. Videlicet naso opus est, ut causas, rationesque & concilia scriptorum sagaciter odorari possis.

Multaque corpora sunt] Repetit propositum, διὰ μέσου autem legendi illi versus 15. ab illo, *Quæ bene cognita, &c.*

Adparet] Ita optime in II. editione emendavit Lambinus: *adpărere* autem ab *adpărio*, proprie est quod

quod Græce προσκτᾶσθαι, *acquirere* aliquid, *adjungere*,

Ad ſua ſæcla recedunt] Adjungunt ſe humida humidis, terrena terrenis, &c. notanda ſignificatio.

Donicum] Ita ſæpiſſime veteres, pro *donec*, exempla paſſim reperias, & ſæpe uſus Lucretius.

Perfica] Effectrix, perfectrix. Verſus, qui hunc ſequuntur, perquam faciles ſunt; Itaque illos tranſiliam.

Et plus diſpendii] Vide emendationes.

Multa fluere, manus dandum eſt] Concedendum eſt, fatendum eſt, multa fluere, &c. Dandum eſt παῖς *manus*; de quo dicendi genere in I. fuſius.

Nec ſitis eſt, quæ per largos exæſtuat æſtus] In al. edit. *Nec ſatis eſt, pro quam largos exæſtuat artus.* Sed ut operæ pareamus, tu legendi, ego ſcribendi, vide Emendationes.

Sic igitur magni quoque circùm mœnia mundi Expugnata dabunt labem] Quemadmodum minora συστήματα quotidie perire ante oculos videmus, ita & majora, tellus, aer, cœlum, aliquando ex neceſſitate phyſica *dabunt labem*, diſſolventur, dilabentur. VIII. Sed antequam his notulis finem imponam, da bis veniam, ſpero, ſi metas egrediar, & ab hoc Lucretii loco admonitus, quid ſentiam de quodam Virgilii loco qui in ore eſt omnibus, aperuero. Is in II. Æneidos legitur.

Hinc mihi prima mali labes.

nil facilius, inquies; Verum aliter multo jampridem ſentio; neque me pudeat profiteri id ignorare me quod corruptum eſſe & à nemine unquam intellectum fuiſſe arbitror. Certe licuit mihi diſſimulare, & ignorantiam cauto ſilentio obtegere; ſed aliter viſum eſt. Dico igitur, & clare dico, locum hunc à nemine intelligi poſſe niſi qui ultro & volens ſibi imponat. Quid enim eſt *labes?* aliquando repentinam aliquam calamitatem ſignificat vel ab aquis immodicis, vel à grandine, fulminibus, &c. vel à chaſmate & hiatu terræ; id quod Docti annotarunt. Illud ipſum eſt, opinor, quod in libris Juriſconſultorum noſtratium

ſtratium *vimere* dicitur, id eſt, *vis major*; quæ cum advenit, *tunc damnum coloni non eſt*. Hæc autem ſignificatio nullum hic locum habere poteſt; quid enim erit *calamitas mali* aut *labes mali*? vel, ſi metaphorice ſumi dices, neceſſario expungenda erit illa vox *mali*; cum ea enim ſtare non poterit τὸ *labes*. Altera autem ſignificatio hujus vocis eſt, *macula*, & metaphorice *probum*, *dedecus*, &c. quæ nihilò plus loci hic habebit quam illa altera, quid enim eſſet, *macula & probrum mali*? Ut voles, inquis; quidvis afferas licebit; conſtat certe ita ſcriptum à Virgilio verſum illum fuiſſe; nam unde illud Juſtini in 18. niſi è Virgilio? *Hinc illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit.*] Bene ſane, inquam; etiamnum puer imitationem illam Virgilianam apud Juſtinum annotaveram. Sed ſi vera illa ſunt quæ de ſignificatione τῦ *labes* ſuperius ſcripſi, in eodem luto hæſitatus; idque tantum probas quod minime probari neceſſe fuit, locum illum Virgilii ſcilicet à quibuſdam veteribus ita lectum fuiſſe ut nunc legitur, id eſt, jampridem depravatos eſſe codices Virgilii; Sed non aliter ſcripſiſſe Virgilium, id vero eſt quod probari oportuit. At ego affirmare poſſe videor, ſcriptum ab illo fuiſſe,

Hinc adſcita mihi labes.....

Papæ! inquies,

Jam mihi vehementer nova res molitur ad aures,
Accidere, & nova ſe ſpecies oſtendere rerum?

Ita eſt; ſed & illud non minus verum erit,

nil tam mirabile quidquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paulatim.....

Hæc enim lectio, quæ tam longè vulgata abit, ſcin' quo fundamento nitatur? Excerptis Servii, mi Lector, ex quibus liquido conſtat, non potuiſſe aliter legere Clariſſimum illum Grammaticum; cum ejus expoſitio receptæ lectioni non congruat, ſed hanc, quæ à me propoſita eſt, plane & neceſſario ſupponat: ſic

autem

autem se habet Servii explicatio: HINC *pro* hac causa, *vel* propter hoc, *& est adverbium locale pro conjunctione causali: Quia secuta sunt postea oraculum,* & ADSCITA *Calchantis factio*; ADSCITA *sane dicitur* absumpta, (*legendum* adsumpta.) Labes *vero* ruinam *significat è lapsu.* Vides ita veram esse eam lectionem, quam ego ab oblivione reducem feci, ut illud *Adscita* non modo in explicatione Servii reperiatur, sed, quod omnem dubitationem tollet, ab eo etiam exponatur per *adsumpta.* Præterea *labem* explicat per *ruinam.* Itaque illud *mali* stare non potest. Sed unde illud *prima.* Ex glossemate grammaticorum, qui ad oram libri adscripserant, *prima labes* ad oraculum, *Secunda.* Ad Calchantis cum Ulysse compositam fraudem, *Tertia.* Si quis hæc otiose & æquo animo apud se reputabit, à me opinor non longiuscule abibit. Nunc fortasse jam tempus sit ad Lucretium regredi, sed est & aliud in VIII. Æneidos quod me revocat; idque tale esse existimo, ut tecum communicatum oporteat; certe de illo tecum agere decreveram in N. ad I. Lucretii: Loquitur Tiberinus:

Ego sum pleno quem flumine cernis:
Stringentem ripas & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tybris cœlo gratissimus amnis.
Hæc mihi magna domus celsis caput urbibus exit.

Multa vero ad hæc Interpretes, & eo quidem conatu, qui quam magnus & operosus, tam & profecto irritus & ob rem nullam est: alii enim ad vocem *caput,* notaverunt, *de fonte fluvii in editiore Etruriæ parte exeunte intelligi debere; nam* capita *fontes amnium vocari solent.* Alii de exitu seu ostiis fluminis id accipi debere arbitrantur; Alii denique de dignitate & præstantia urbis Romanæ multa hinc illinc corraserunt; magnum ἀγώνισμα scilicet, & dignum isto genere hominum, qui offarcinatas scholasticis nugis editiones nobis obtrudunt. Sed nemo, quod sciam, extitit, qui vel minima suspicione verum tetigerat.

At

At si, quod unum esse interpretando, præque omnibus unum ante oculos esse debet, si, inquam, sermonis Latini genium consuluissent, pauciora quidem multo, sed & multo meliora scripsissent. Primum enim quid est, *Hîc mihi magna domus caput exit*? an quia latissimos fontes Tibris habet? esto, quamquam, &c. Sed an è montibus Etruriæ repente circa ea loca fontes illi delati sunt, in quibus postea condita Roma est? Dein si *caput* fontem significabit, quid erit quod cum *celsis urbibus* jungi queat? Præterea quid illhuc, *domus exit*? An id moris erat temporibus Heroicis ut tecta horsum illorsum sine machinis transmoverentur? (quamquam reperti sunt quibus tale aliquid is Piceno circa ædiculam sacram magna hodieque celebritate insignem multis postea sæculis factum fuisse persuadere libuerit.) Sed si mota Tybridis domus est, qua ratione intelligetur, *exit hîc*? Uno itaque verbo dicam, loqui Deum, & in eo versu vaticinium esse; itaque si vocem aliquam ἀρχαϊκὴν usurpaverit Virgilius, id ex Decoro personæ fecerit, quemadmodum alibi sæpe; & quia, uti dixi, vaticinium hic versus complectitur (tunc enim & Roma & Romulus ἐν ἴδεαις Πλάτωνος jacebant) verbum aliquod futuri temporis in eo fuerit necesse est: Quare nunquam dubitavi quin sit legendum;

Hic mihi magna domus celsis caput urbibus escit,

seu *essit*, id est, *erit*; de quo ad I. Lucretii librum antea dictum. Hoc certe habet emendatio nostra, quod omnibus omnino difficultatibus obviam eat; sensu tam perspicuo, ut nil supra. *Hic mihi magna domus*, aliquando *cunctarum urbium caput erit*. Atque equidem haud scio an Te hæc legisse tædeat, me quidem scripsisse haud sane pœnitet. Sed tandem, tempus est ut in viam redeamus.

Nec venæ perpetiuntur] Recipiunt, habent: ita & Gr. πάσχειν.

Famque adeo] Vim probandi habet istud *adeo*, quasi diceret, Idque ita verum est, ut ante oculos omnia

omnia paulatim effœta fieri videamus.

Haud, ut opinor, enim, &c.] E terra, inquam, hæc omnia orta; neque enim ut isti providentiæ assertores aiunt, animantia è cœlo per Catenam illam, quam unus hominum Homerus vidit, demissa sunt; neque porro à mari & fluctibus littora pulsantibus edita; sed quæ tellus hodie omnia genera alit, illa ipsa est quæ cuncta protulit.

Conterimusque boves, &c.

Conficimus ferrum; &c.] Hi duo versus unde olim malum pedem tulere, eo & referre debent; neque enim Lucretii lucerna digni sunt.

Laudat fortunas sæpe parentis] Huic fere, quamquam alio fine, illud Flacci simile est, *laudator temporis acti se puero.*

Crepat] Jactat, dictitat. Horat.

Perfacile tolerarit avum] Beati viveret; sic enim hunc locum capio, ut illum Terent. *Quam vos facile vivitis.* Inde apud Homer. dii ῥεῖα ζώοντες dicuntur. Per scopulum autem intelligit exitium, labem, ruinam.

TAN-

TAN. FABRI

In *Librum Tertium.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HIC verò ille Lucretii liber est, qui præter cæteros, cum delectu & acri quodam judicio legi debeat. Cum enim in eo corpoream esse animi nostri naturam demonstrare conetur Poeta, periculum fortasse fuerit, ne quidam nimium creduli, ad illius sese rationes adjungant; alii autem, dum ejusmodi doctrinam omnibus calculis damnandam existimabunt, ultra se tam præclari libri lectioni

ctione privatum eant. Id ne fiat, non abs re fuerit meminiſſe, multos è veteribus ita exiſtimare, Dæmonas in rerum corporearum numero habendos. Ex iis fuerunt non Porphyrius modò, in admirabili illa περὶ ἀποχῆς, &c. ſed & Plotinus & Jamblichus; ut è Noſtris quoque Tertullianus, Baſilius, Auguſtinus, ut ne recentiores appellemus. Hanc itaque de Angelis ſententiam ſi Veteres illi impune ſecuti ſunt, nihil, ut opinor, eſſe debet, quamobrem Lucretii opinione de animis corporeis tantopere offendamur; Cum huc uſq; nil ſit, quod audire ſine offenſione non poſſis. Sed utinam ibi ſtetiſſet Lucretius: Nam alii quidem animorum noſtrorum, quos ejuſdem cum dæmonibus naturæ eſſe putaverunt, immortalitatem tutabantur; & ſuum illis aut jus, aut Dei beneficium, ſervabant; At hic noſter, ubi, corporeæ naturæ animos hominum eſſe oſtenderit, ibi ſtrenue & incunctanter colliget, Fieri nulla ratione poſſe, ut ne illos interitus & diſſipatio conſequantur; Quin & turpiter errare vulgus hominum aſſeret, qui religio-

nibus attoniti, fracti & abjecti,

Æternas nigra pœnas in morte timendum

existimant. Saxa itaque & scopulos vides, Lector, à quibus longe longeq; refugisse debes. Quamobrem diligenter faciendum erit, ut deserta tantisper Epicuri secta, ad rationem Platonicorum te conferas, qui animos nostros in immortalitatem asseruerunt. Sed tutius multo, si omissis fluctuantis Philosophiæ concertationibus, ad Eum rectà transeas, qui rerum omnium Parentē, Viventium Deum, Non Autem Mortuorum Esse demonstravit. Alterum vero, mi Lector, quod ego ante oculos perpetuo habendum arbitror, hoc erit: Animi nostri vel spirituales habeantur, vel corporei, si voles; illis certè Lucretii argumentis haud sanè magnopere moveri debemus, cum nobis, qui Christiani sumus, planissime & ἀναμφιβόλως persuasum sit, fore etiam aliquando, ut hæc bruta corporis moles, quam nunc animus noster circumfert, ubi diuturno annorum curriculo computruerit, dein sparsa fuerit ac disjecta, denuo tamen coalescat, & ex aquis,

aquis, aere, terris collecta & conquisita, ad interminabilem sæculorum seriem perseveret. Probet igitur Lucretius quam lubebit, corpoream esse animorum naturam, atque adeo illos interitui obnoxios esse; nil ille profecto dixerit, quod hominem vere Christianum possit percellere; cum corporis nostri resurrectionem & immortalitatem præter universas Physiologiæ vulgaris, ac Chymiæ ipsius rationes (nam admirabilis illa *Operatio*, de qua & Quercetanus & alii, nil ad resurrectionem corporum facit) futuram credamus, quæ res, si non majorem (quanquam majorem) parem certe in sese difficultatem habet. Cæterum, cùm hujus libri materia tot ac tantis disputationibus, quarum, ut sunt hominum comparata ingenia, finis esse alius quam mundi ipsius non potest, versata, tractata, atque agitata fuerit, eo fiet ut pauciores in eum breviores; notas scripturus videar: idque adeo magis, quod poetæ nostri argumenta plana sunt & perspicua: sæpiusq; jam ad illa responsum à Doctis fuerit. Hoc tantum addam, Tertulliani Tractatum, qui *De*

Anima inſcribitur, in primis facere ad hunc librum intelligendum: Eum ſi leges, præſtantiſſimum Viri Magni opus legeris. Sed tamen eſt aliud etiam tantillulum quod te volebam: Si quid à me ex mente Lucretii, vel in hocce libro dictum fuerit, vel in aliis, facito quæſo ut memineris, *Actorem* eſſe me, non *Poetam*. Quidquid certe tale properanti exciderit, id ego omne pro indicto haberi volo: Neque enim ea vitæ noſtræ ratio eſt, ut, quem exitum Natura brutis animantibus eſſe voluit, cum nos libenter, ubi ſejunctus à corpore animus fuerit, expectemus. Vale.

IN

IN
Librum Tertium.

I. *Locus illuſtris Manilii emendatus.* II. *Alius Ovidii in Epiſt. Phædræ.* III. *Item alius in Eadem Epiſtola.* IV. *Ut & in Epiſt. V. Heroidum.* V. *Quæ iterum emendatur.* VI. *Locus in Epiſt Hypſipyles ſanatus.* VII. *Ut & Manilius in I.*

TAm clarum extollere lumen] Id Græci dicunt αἴρειν πυρσὸν; & cùm quid è ſpeculis ea ratione ſignificabant, id διὰ πυρσῶν & παρὰ πυρσῶν nuntiari dicebatur: Herodotus in Polymnia, & initio Calliopes. Hinc ſumpta metaphora eſt, qua Lucretius uſus. Epicurum autem alloquitur.

Fixa] Quidam ἀρχαϊκῶς *ficta*, ſed quod ejuſdem ſignificationis ſit.

Artubus] Alii, *artibus*, quod olim uſurpare ſolebant; ſed ego *artubus* prætulerim; cum ſciam ab *artes* (τέχναι) *dici artitos* (Horat. *& centum puer artium*) ut *Artitus* in Gloſſis Philoxeni vertitur πάντε χνος, ſαίδαλος, ſic ab *artus artutos*, id eſt *robuſtos* vocabant. Sunt tamen quibus hæc minus certa videantur: ſed nil ad Lucretium.

Limant] Ita Lambin. malim tamen ubique *libant*, cum aliis editoribus.

Aurea dicta] Jam alibi de voce *aurea*: fortasse hoc loco respexerit ad χρυσᾶ ἔπη Pythagoræ.

Ratio] Philosophia, secta tua.

Mœnia mundi discedunt] Longe latiora, ampliora, fiunt; animus fines nullos habet, quos intra coerceatur, ut antea.

Apparet divum numen] Sed cur apparet divum numen? Videlicet quæ ante Epicurum vulgus philosophorum sentiebat, ita ab eorum natura aliena erant, nihil ut de iis certi haberetur; at nunc apparent, &c. fortasse etiam non minus recte dixeris, Apparet numen deorum quietum (sequitur enim, *sedesque quietæ*) ita ut ab iis nil mali quidquam metuendum sit; cum jam molesta illa odiosaque providentia remota sit. Cæterum 4. illi versus, qui hunc sequuntur, ex Homero adumbrati sunt; quod, si Turnebus non annotasset, alii annotare possent.

Omnia suppeditat] Subaudi, *Illis*, scilicet Diis. Illud autem *animi pacem* ad avertendam opinionem de Providentia.

Delibrat] Al. *delibat*, melius multo.

Nusquam apparent Acherusia templa] Nulla enim sunt, si mortales animi hominum habeantur; quod Lucretius asserebat.

Nec tellus obstat] Ratio enim obstantia omnia pervadit.

His tibi me rebus] Istud *Tibi*, ut σοὶ, σὲ, *me*, *te*, passim apud Græcos, passim apud Latinos, παρέλκον est.

Percipit] Penetrat, subit, &c. Ita alibi noster, Plautus & Virgilius. Intimæ significationis vox est.

Patet] Quidam, *pates*, ad naturam conversa oratione; male: nempe metuebant, ne ob syllabæ modulum rueret versus.

Docui] In I. & II.

Exordia] Atomi; quas tamen nunquam nominavit

navit Lucret. Manilius autem *Individua* Principia vocavit, &c. lib. I.

Sive Individuis, in idem reditura, ſoluta
Principiis natura manet poſt ſæcula mille,
Et penè ex nihilo ſumptum eſt, nihilúmque futurum,
Cæcaque materies cœlum perfecit & orbem:

Qualia] De magnitudine, ſoliditate, &c. jam ſupra.

Alterno motu] Notum quid ſit; quidam tamen *æterno*; quod ob motum ingenitum atomo damnari non poteſt.

Secundum] Poſt, ἐπομβρίως τούτοις, ἑξῆς.

Animi atque animæ] Anima, animus & mens differunt, & ſede & facultate, uti mox apparebit, & jam dictum.

Claranda] Uſus & Horatius, ſed pro, illuſtrem efficere, claritudinem afferre.

Nam quod ſæpe homines] Ad hunc locum faciunt verſus Mæcenatis apud Senecam; *Debilem facito*, &c.

Et ſe ſcire animi naturam] Vide Emendationes.

Venti] Gloriolæ, fumi. Græci etiam in ea notione πάππον dicunt. Vide Peregrin. Luciani.

Jactari] Dici. Virgil. *talia jactanti.* Saluſt. *Jacit*, id eſt dicit, in Jugurthino.

Extorres iidem] Quaſi diceret, ventoſam illam gloriolam frigida perfundens: Si ex animo dicant infamiam magis metuendam quam mortem eſſe, quid igitur cauſæ eſt, cur exilio multati, & probris fœdati, vivant tamen; moriantur, per me licet, jam tempus eſt: infamia enim & dedecore flagrant.

Parentant] Mortuis ſacra faciunt, quo illos ſibi propitios habeant. Unde hoc? inquit: ex mortis formidine. Et tamen qui hæc faciunt, turpem famam aiebant multo minus formidari debere, quam vana illa mortis terriculamenta. Itaque nugæ, fumi, quidquid iſti glorioſuli vulgo prædicant.

Acrius advertant] Quod neutiquam facerent, ſi mortem minimè metuendam crederent.

Denique avaritiæ] Verſus, qui mox legentur, ab homine rerum Ethicarum perito non poſſunt ſatis legi, relegi, tanta in iis vis boni reperitur. Certum enim eſt mortis formidinem probri, dedecoris, perfidiæ, crudelitatis, invidiæ, deſperationis, &c. fontem eſſe.

Non minimam partem] Κατά.

Dum ſe refugiſſe] Jam antea multis exemplis probatum eſt, veteres, *Me*, *Te* & *Se* in modo infinitivo uſurpaſſe, παρελκόντως. *Omnes homines qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris animantibus.* Salluſt. Iſtud *Se* poterat abeſſe.

Receſſe] Al. *remoſſe*. Gifan. autem *remaſſe*, id eſt *remeaſſe*, fort. etiam non minus recte, *remanſe*, ὑπολειφθῆναι.

Timentque] Metu veneni. Itaque omnem *cœnam dubiam* eſſe putant; ſed alio ſenſu quam à Paraſito Terentiano dictum eſt.

Eſſe hominis partem] Corpore atque animo conſtat homo: ergo duæ in homine partes. Et tamen vides quid hinc colligat Epicurus. Sed verus homo animus eſt.

Ægrit] Dicebant *ægrit* & *ægret*.

Corpore multo] Magna parte ſubſtantiæ corporeæ.

Non æquas partes] Animæ ſcil.

Neque ex æquo fulcire ſalutem] Vitam ſuſtinere, retinere.

Venti calidique vaporis] Nota partes quæ animam conſtituunt, quibus & tertia qualitas accedet infra.

Redde harmoniai, &c.] Vide Emendationes.

Res nomine egebat] Miror, nam ante harmoniam uſitata nomina erant θυμὸς, ψυχὴ, νοῦς. Sed de θυμὸς propter πολυμαθίαν eſt qui contradicere, quanquam fruſtra, poſſit; de νοῦς, dixerit aliquis eſſe actionem non facultatem; at de ψυχὴ non video qui contra ſtari poſſit; nam quod ψυχὴ aliquando pro ſanguine poſitum leginus; (quippe locus eſt ad rem in Nebulis Comici,) ubi cimices, quos Corinthios vocat, πλὴν ψυχλὴ ὀπτίνυσιν, Sed id ita intelligi debet ut orientales

entales vulgo ſentiebant, qui ſedem animæ in ſanguine ponebant.

Nobis moribundos] Vide Emendationes.

Quod nos animum mentemque vocamus] Egregie vero Tertullianus, qui *ſuggeſtum animæ* vocavit. Locus eſt pag. 314. edit proſtrem. *Proinde & animum, ſive mens eſt,* NOYC *apud Græcos, non aliud quid intelligimus, quam ſuggeſtum animæ, ingenitum & inſitum, & nativitùs proprium, quo agit, quo ſapit,* &c.

Media regione pectoris] Ideo *pectus* pro animo, & φρένες, &c.

Lætitiæ] Notâ, *Lætitias*, ita *paupertates* apud Varronem in fragm. *glorias* apud eundem & Tullium, *audacias* dixit Cato apud Feſtum. *Quietes* Saluſt. pro ſomno, ut & Cicer. de Offic. *Sapientias.* Item, in Tuſc. *Paces* Varr. & Horat. Græci quoque nonnulla dabunt. Ἀληθείας Iſocrat. ad Euagor. initio, παιδείες. Diodor. pag. 50. ταῖς ῥώμαις, ibid. θεολογίας pag. 232. idem, ὄψεσι. 320. τὰς πενίας, ut Varro *Paupertates*, Plato pag. 251. in Lachete.

Idque ſibi ſolum, &c.] Hoc in animo habebat Tertull. ſupra.

Et quaſi cum, &c.] Pergit porro, animam eſſe partem hominis, ut pedes, manus, *&c.*

Novitate] Jucunda ſcilicet; itaque voluptatem intelligit, Quare voluptas & dolor, novitatis nomine veniunt: cauſa aperta eſt. Cæterum quæ mox addit, commode per *ſpiritus* explicari poſſunt.

Fungi] Pati.

Attamen inſequitur] Vide Emendationes.

Nil adeo fieri celeri ratione quam ſi mens] Vide apud Homer. in Odyſſ. de admirabili celeritate, *Ocius cogitatione.*

Flutat] Fluitat, fluit. Lucretio indignum, inquit Giſanius; vellem cauſam diceret.

Actus] Tenor, ductus.

Nenu] Non. Fit autem à μήνυ· hinc negativa in ſermone noſtro. Cæterum in proſa è jam orati-

one usurpabatur Ciceronis tempestate; nam Varro in Epistola quadam dixerat, *si ne nu venis.*

Limatum] Magis probem al. editiones, *libatum.*

Mors omnia præstat] Facit ne quid detrimenti in mole corporis appareat. Vadem se & prædem in omnia exhibet. Ita *præstare periculum*, *fidem publicam præstare.*

Triplex] Et calor, atque aër, & venti cæca potestas.

Nil horum quoniam] Vide Emendationes.

Didit] Διαδιδόναι, distribuere, &c. Virgil. dividere, alibi pag. 83. in eadem notione.

Quibusque compta modis] Vide Emendationes.

Multæ vis] Αἱ δυνάμεις. Salust.

Viscere] Carne, corpore.

Venti potestas] Ventus ipse, ita sæpe Græci, ἡ Πνεύμων, &c.

Latet subestque] Maxime intima est homini; ultra quam non datur pergere.

Anima est animæ] Ita Philo in lib. de Opificio mundi mentem esse quasi animam animæ dixit.

Inter se commista] Hoc unice probat, quod in Emendationibus ad vocem *cocta* dictum fuit.

Subsit] Intimum sit, *infra sit.*

Est etiam calor] Vide Emendationes. Illud autem *acribus* pro *acrius* quod tamen à Gifanio probatur, quanquam nihili est, Passeratio & Lambino acceptum referri debet.

Vestigia prima] Tolle hanc distinctionem; Nam μετακτέον virgula satis fuerit. Sensus est, Doctrinâ vitiosam naturam emendari aliquatenus, sed ita ut vestigia τῆς κακίας remaneant; id quod non impediet quo minus quisjucunde vivat.

Mores sequaces] Horatius locum hunc imitatus est.

Doctis] A viris doctrina perpolitis. Notum illud est, quod à Pindaro dictum de discrimine quod Naturam inter & educationem reperitur.

Haud facile] Ita alibi hujusmodi μείωσιν usurpavit.

pavit. Nam *haud facile* significat planè ἀδύνατον.

Consorti vitæ] Notandum passive sumi. Non temere alibi. Tamen ita auctor Ceiridis, seu ille Virgilius est, seu quis alius.

Si me jam summâ Sapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ hæredibus est data consors.

Conflatur] Nescio quâ negligentiâ factum sit, ut in utraque Gifanii editione scriptum fuerit, *conflictatur*.

Accensus sensus] Jam antea dictum est, in II. opinor, quid sit; sed animadverti Gifanium in Indice suo longe aliter sensisse. Existimat enim *accendere* hoc loco idem significare quod *complere*. Ita me amet Deus, ubi isthæc lego, tum mihi *cerebrum implicisitur*, χὴ Πλαύτου. Huic homini credas scilicet, tum bene se tibi res habebunt. Utinam modo per otium liceret cribro pollinario illud opusculum succutere; quantum ibi furfuris! quantum!

Quid sit enim] Vide Emendationes.

Sensus enim trahit] Versus expungendus.

Democriti] Vide Emendationes.

I. *Priva pedum vestigia*] Singula, alias significat quod cujusque est, privatum. Emenda locum Manilii lib. 2. pag. 31. edit. Scaligerianæ; dignus est enim qui purius legatur. Ait ibi poeta, se Latinorum omnium primum rem astronomicam attingere. Versus sunt ingeniosi & grandes, & supra sæculum Manilii.

Integra quæramus rorantes prata per herbas,
Undamque occultis meditantem murmur in antris;
Quam neque durato gustarint ore volucres,
Ipse nec æthereo Phœbus libaverit igni;
Nostra loquar; nulli vatum debebimus ersa;
Nec furtum, sed opus, veniet, soloque volamus:
In cœlum curru; priva rate pellimus undas.

In penultimo versu legendum, *nostroque* volamus, &c. Hæc emendatio poëtici ingenii hominibus placebit, scio; neque adeo explicanda est; ab aliis enim laudabitur.

Et magis est animus vitai claustra coercens ... quam

vis

vis animai] Id Lambinus minus verum esse credebat; sed Chanetus vir acutissimi judicii & Vir Admirabilis P. Gassendus aliter senserunt.

Succipit] Melius quam *suscipit*. Excerpta Serviana alicubi.

Tua vita] Te: neque aliter boni scriptores Latinitatis.

Quippe ubi] Quandoquidem. Est autem lepidum argumentum. Species sola fumi nebulæ, soni, &c. animum movet, ergo debet esse leviſſimus.

Venis] Tollenda est distinctio; minor enim esse debet.

Am] Dicebant *Im*, pro *Eum*, *Am*, pro *eam*, &c.

Ceu fumus] Vide Emendationes.

Fatiſcit] Legendum σερρᾷ ἀναίσχυ, legendum, inquam, *fatiſci*. Geminat autem voces suas Lucretius.

Corpore in ipso] Tota argumenti vis in his duabus voculis sita est; iis opponet τὸ *ævo futuro*, & τὸ *aëre aperto*.

Concidit, &c.] Haud scio an ullibi versus τεχνικώτερον reperiatur.

Talipedans] Egregia Lambini emendatio. Antea legebatur *vacillans*, contra metri rationes. *Talipedare* autem, ex Festi glossis, est vacillare pedibus præ lassitudine.

Adoritur & infit] Pene ejusdem significationis utrumque est.

Locus ille tamen] Pro *tandem*.

An contractis in se partibus obbrutescat] Ita hunc locum profert Nonius. *Obbrutescat* autem accipio pro, sensum amittat.

Sed tamen in parvo] Vide Emendationes.

Moventur sensifercs motus] Ut ab Horatio, sed sine metaph. dictum est, *Motus moveri gaudet Ionicos matura virgo*.

Atque in eos poterit] Omnino legendum, uti quædam editiones habent, *atque in eo*. Vide Emendationes.

Et

Et quasi supremo] Hunc versum ὀθελίζει, Interpres.

Animo male factum cum perhibemus] Nam apud Plautum & Terentium, *animo male est*, significat, animi deliquium patior. Λειποψυχεῖν, in al. edit. legitur, *quod genus esse*. sed τὸ *est* damnari non debet.

Atque ita multimodis] Hunc versum cum sequenti expungit Lambinus, recte.

Vagare] Pro vagari.

Nec sensus ipsi seorsum consistere possunt
Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque
Lingua: nec per se possunt sentire, nec esse] Existimavit Lambinus aliquid è textu Lucretiano excidisse, cum videret argumentum non plane explicatum fuisse, quod sentire non potuit Gifanius: itaque in contraria abiit. Ad seriem ratiocinationis notandam tres illos versus Lambini in textum recipi.

Falciferos currus] Quibus olim orientalium exercitus instructi erant. Sed cum plus terroris quam periculi facerent, omissi sunt, & in desuetudinem abiere.

Impugnæ studio dedita] Ita Catullus & Plautus.

Amcisa] *Am* olim ex ἀμφὶ pro *circum* dicebant. Exempla innumera in vocibus compositis.

Retinentia] Vox μονήρης, neque enim alibi quam apud Lucretium reperitur; significat autem recordationem.

Et lapis oppressus] Vide Emendationes.

Tanto quæque] Vide Emendationes.

Sufficit] Substituit, subjicit, suppeditat.

Sin ita sinceris ex membris] Vide Emendationes.

Ingenerascunt inque genuntur.] Illud prius habet aliquid latius, & quod ad speciem pertinet magis; at *ingenuntur*, ad singularia, seu individua, ut vocant.

Tenerascere mentem] Ita alibi, novellas mentes, ut & Tertullianus. Horat. *Et teneræ nimis mentes asperioribus formandæ studiis.* Melius multo, si pro *formandæ* scripsisset *durandæ*. II. Ab eadem ratione *teneros annos* dicebant. Hic vero emendabis etiam Publii Ovid. locum quemdam in Epist. Phæd. ad Hypp. v. 26.

Ara,

Ars sit ubi à teneris crimen condiscitur annis,
Quæ venit exacto tempore, pejus amat.

Legendum est

Cui venit exacto tempore, pejus amat.

Antea dixerat,

Venit amor gravius, quo serius: urimur intus,
Urimur, & cæcum pectora vulnus habent.
Scilicet ut teneros lædunt juga prima juvencos,
Frænaque vix patitur de grege captus equus.
Sic male, vixque subit primos rude pectus amores.

Sensus est, Ubi amor à teneris annis addiscitur (nam *crimen* hoc loco, ut alibi, atrocis significationis non est) facile in artem, seu habitum transit: at illa, seu illic, pejus (id est gravius & miserius) amat, cui ars venit (à quo ars addiscitur) exacto tempore. Erit autem operæ pretium videre quantopere se illic torqueant Interpretes & à vero abeant. III. Sed quando semel à via digressus sum, alium locum in eadem Epistola ostendam, qui & ipse corruptus est: neque ab ullo editore animadversum vitium fuit: postremus certe, quem inspexi, quamquam in eo mirifica quædam diligentia est, non vidit.

Tu modo duritiem silvis depone jugosis,
Non sum materiâ digna perire tuâ.

Sensus esse alius non potest quam hic: *O formose, duritiem istam tuam depone, neque enim digna sum quam materia tua tam misere perdat.* Quid istuc, inquies, *materia tua me perdit?* Nihil, inquam, & tamen ita usque adhuc lectum est: Sed, opinor, non ita in posterum fiet. Certa enim emendatio, & sole ipso clarior est, quæ jam à nobis proponetur.

Tu modo duritiem silvis depone jugosis;
Non sum duritiâ *digna perire tuâ.*

IV. Verum porro pergamus. In Epistola V. quæ ab Œnone ad Paridem scripta est, legitur.

Dignaque sum & cupio fieri matrona potentis;
Sunt mihi, quas possint sceptra decere, manus.

Qui

Qui ſapient, mirabor, ſi priorem verſum probabunt: legendum arbitror,

Dignaque ſum fieri regis *matrona potentis*;

Quod ſcilicet verſu ſequenti confirmat; namque *Sunt mihi quæ.* VI. Epiſtola autem VI. v. 11.

Dos tibi Lemnos erit, terra ingenioſa colenti,
Me quoque jam tales inter habere potes.

Hoc à nemine intelligi ſcio, neque adeo poteſt. Lego, emendatione certiſſima, niſi bene fallor,

Me quoque jam matres *inter habere potes.*

Videlicet ex Jaſone geminam prolem ſuſceperat Hypſipyle; quod verſibus ſequentibus firmatur:

Nunc etiam peperi: gratare ambobus, Iaſon, &c.

Notus ille Terentii locus: *Natus puer eſt* ** *Dii vortant bene*, &c. Sed tandem hæc miſſa faciamus.

Confugient] Malim, ut à Lambino emendatum eſt, *non fugient*, id eſt, *negare non poterunt*: alii conjiciunt legendum, *conſingent.*

Senectis] Senectute confectis. Senectus, a, um; ut *ætas ſenecta.*

Tandem in eodem homine atque in eodem vaſe maneret] Vide Emendationes. Si tamen males hoc referri ad illud argumentum, quod pag. 77. legitur, idem cum multis ſenties. Tu videris, ego abeo.

Haud igitur lethi præcluſa eſt janua menti.] Id jam ſæpius; anima perit ὁλοσχερῶς.

Utrorum] Pœnorum, vel Romanorum.

Etſi jam noſtro] Locus periculoſus; ſed quia facile intelligitur, interprete opus non habet.

Repetentia noſtra] Optima Lambini emendatio. Intelligit, contra quam alii interpretantur, abruptam eſſe συνέχειαν actionis; atque adeo nihil ad nos, &c. Id ipſum eſt quod mox dicit,

Inter enim jecta eſt vitai pauſa, vagéque
Deerrarunt paſſim motus ab ſenſibus omnes.

Aliæ explicationes à ſcopo abeunt.

Im] *Eum:* quod & in neutro dicebant; unde *interim*, id est, *inter id, inter ea.*

Nec miserum fieri, &c] Ut quis sit miser, necesse est ut primum sit; dein erit miser, &c.

Proinde ubi se videas] Hìc vulgus nostrorum hominum est; qui cohorrescunt, ubi fieri posse cogitant, ut sua cadavera avibus, canibus objecta, &c. Inde tanta sepulcrorum cura, quæ nonnulli olim ridicule secum circumferri curaverint; neque Christianos homines in hoc genere cæteris firmiores fuisse video; quanquam à panegyristis laudentur.

Sensúque suo contaminat adstans] Id est, dum credit se post mortem cadaver illud futurum, sensum suum in id quodammodo transfert, &c.

At jam] Sed, inquiunt fatui isti morientium aut mortuorum Lamentatores; multa tibi ademit mors, &c. Ita est, respondet Lucretius, sed ea non desiderant mortui; illa autem non habere quæ haud desideres, quid mali sit?

Brevis hic est fructus] Vide Emendationes.

Attigit] Ut *ne me attigas*, Ter. Plaut.

Si minus esse potest, quam quod nihil esse videmus] Terent. *Cui minus nihilo est*, id quod ab Æschylo esse scimus.

Barathro] Qui barathro dignus es. Videndus Aristophanis Scholiastes duobus locis. In al. edit. legitur *barde*, id est *stulte*; *bardus*, βαρδύς.

Queratur] Subaudi, Ei homini dicet natura, *Omnia perfunctus vitai*, &c.

Jure, ut opinor, agat, &c.] Intra parenthesin concludendus hìc versus. *Incilare* autem significat reprehendo, arguo, increpo.

Mancipio, usu] Lucil. apud Nonium,

Cætera contemnit, & in usura omnia ponit
Non magnâ; proprium vero nil neminem habere.

Dominium & proprietas, mancupium est. Vide Sigonium & juris interpretes.

Dissen-

Diſpenſis] Ita legas an *diſpanſis*, non magnopere certandum putem. Sed *diſperſis*, quod alii prætulerunt, plane damnandum putem.

Imbibit] Sibi in animum induxit.

Puellas] Danaidas, cum dolio.

Sceleris luela carcer] A fugio & caveo, *fugela, cautela*, ita *luela* à *luo*. Cæterum de robore, ſaxo, numella (nam & hic quidam ita legunt pro *luela*) pice, lamna, tædis, & aliis id genus, adeundi Plauti, Juvenalis & Tertulliani Interpretes. Saxum autem illud, Tarpeium eſt.

Luminu ſis oculis etiam bonus Ancus reliquit,
Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus]

Sententia horum verſuum ex Homero eſt:

Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.

Sis autem *ſos, ſas*, pro *ſuis, ſuos, ſuas*. Ita & *nis* dicebant pro *nobis*. Feſtus.

VII. *Viam qui quondam per mare ſtravit*] De Xerxe loquitur. Ex hoc loco emendandus Manilius lib. I. edit. Scal.

Perfidis & victor, ſtravit qui claſſibus æquor.

Legendum puto, *Perfidis & rector*; nam quod ibi Vir Illuſtris, id haud probat.

Famul] Pro famulus, ita apud Ennium, ut & *debil homo*. Ita ex *volupe, volup*, &c.

Admonuit memorem] Ita omnino legendum, non *memores*; quod optime vidit Lambinus.

Ebrius curis] Quem curæ penetrant, ſubeunt. Tale quid apud Plautum. Et hinc intelligi locus ille Terentii debet, *Temulenta es*. Tum illa, *Sic ſint*, inquit, *qui mihi male volunt*. In Eunucho; ebria malis, ægritudine. Nam in eo argumento & τὸ *ebrius* uſurpabant.

Si

Si possent homines, &c.] Hi 23. versus satis laudari non possunt. Si quid certe in homine Philosopho boni est, hinc peti debet.

Rebus relictis] Formula solennis. Terent. Plaut.

Delibrare] Rectius, *delibare*.

IN

IN

Librum Quartum.

CAPUT I.

I. *Ξαίνειν εἰς ὦῦρ minus bene ab Eraſmo expoſitum.* II. Mutare *pro* tranſire *&* ingredi. III. Retrocita barbara *quid eſſe videatur.* IV. Differitas, *contra Gifanium.* V. *Qua ratio fuiſſe videatur cur Epicurus* oculos ad videndum natos eſſe *negaverit.* VI. *Emendatiuncula in Lucretio.*

Um corpore compta] Adi Emendationes. Cæterum cum videam volumen paulo amplius excreſcere quam ſperaram, decrevi me aliquanto etiam, quam antea, breviorem eſſe debere.

Vehementer attinet] Verum eſt; nihil enim excogitari potuit commodius ad explicandam Epicuri rationem.

Rerum ſimulacra, &c.] Dictum eſt ad 1. *ſpectra* Latinis.

Mem-

Membranæ, &c.] Inde εἰδωλοποιΐας à Græcis ſcriptoribus dicuntur; vulgo *ſpecies intentionales*. De iis ita agit Lucretius, nihil ut Phyſico homini jucundius eſſe poſſit.

Ne forte animas] Huc tendit Lucretius; nam ex inſtituto Epicuri τὰ φυσικὰ perluſtranda exiſtimabat, ideo tantum, ut animi hominum ſuperſtitionis vinculis expediri poſſent facilius.

De Cortice] Unde & φλοιοδεῖς vocatæ ſunt.

Pauca] Vide Emendationes.

Ferrugina] Vide Interp. Virgil. ad illud, *& ferrugine clarus Ibera.*

Deorum] Nam ibi deorum ſimulacra, quippe ludi id genus Religionis pars erant.

Jaculantur] Mittuntur, more veterum *jaculare*, ut alia pene infinita.

Extrinſecus ortæ] Error à corrupto exemplari, quo uſus eſt Typograph. vel puer enim videat legendum *intrinſecus*

In promptu quoniam eſt in prima fronte locata] Rectius, qui ſic diſtinguit, *In promptu quoniam eſt, in prima*, &c.

Eſſe in imaginibus conſiſtere eorum] Τὸ *conſiſtere* eorum eſſe in imaginibus. Ἑλληνισμός.

Oſtendi eſt nulla poteſtas] Melius Lamb. *biſcendi eſt nulla poteſtas.*

Quam quæ primum oculi] Summum cacumen concretorum.

Panaces] Vulgo *panacea.*

Sponte ſua gignuntur] Ex mixtione & συγκρίσεως.

Mulcentes] Simeo Boſius Vir Clariſſimus, cui emendationem Epiſtolarum ad Atticum debemus, legi probabat *mulcantes* optimè, ſi quid ſapio.

Mundi] Cœli.

Nam ſæpe gigantum, &c. *bellua nimbos*] Hæc ex *Nubibus* Ariſtophanis adumbrata putem.

Cedant] Subaudiendum, *oſtendamus*, aut tale aliquid.

In

In primis] Ut ἤδη, ἀντίκα, *jam*, &c. Notandum; significat enim *Exempli gratia*.

Cœli cavernas] Alii locum Varronis protulerunt; ego item alium ex Manilio in I.

Est igitur tellus mediam sortita cavernam
Aeris Ex Lucretio.

Longo spatio brevis hora teratur] Momento temporis magnum spatium conficiatur.

Numine] Nutu, motu. Jam alibi, & apud Virgilium.

Immemorabile] Ἀνεκδιήγητον, inexplicabile, immensum.

Protelo] Motu continuato.

Parvola caussa] Vide Emendationes.

Puncto diei] Ἐν ἀκαρεῖ. *Dies* tempus est.

Emissum] Emissionem, ejaculationem, ἀποῤῥοιὼ.

Sub divo splendor aquai] Sed longe mirabilius quod inquietus ille aquæ motus per reflexionem in laquear tam varias sui species ejaculatur. Virgilii versus notiores sunt, quam ut transcribi debeant: *Sicut aquæ tremulum labris*, &c.

Perpetuoque] Id est, *Quin etiam*, &c.

Nec variæ cessant voces] Contra miracula vanæ illorum credulitatis, qui à se illud aut illud auditum dicerent, cum tamen nemo homo ibi adesset.

Acies perlabitur omnes] Legendum necessario *omnis*, non *omnes*; quod ostendi facile erat, ni Gassendus ὁ πάνυ id jam transactum dedisset pag. 284. Physiologiæ.

Vnversum] Pro, *universum*; neque id mirandum magis quam *dextrorsum*, *surſum*, &c. pro dextrovorsum, supravorsum, &c.

Aliquæ res] Ex antiqua Latinitate pro *aliqua*.

Colorem] Intellige superficiem; neque enim *colorem tactu*, &c.

Apertum] Liberum.

Hunc omnem] Faciet ad probationem illius quod pag. 99. dictum est, ad ea, *Acies perlabitur omnes*.

Perso-

Persona] Quæ olim *è gypso & luto figulari* fiebat. Res è Comicis Græcis notissima.

Docet] *Efficit*, &, ut alibi loquitur, *curat*.

Composituras] Συναρμογάς.

Insinuando] Παθητικῶς. insinuantur, jam alibi.

Arquati] Icterici.

I. *Quasi in ignem lana trahatur*] Proverbium Græcum, quo usus Plato. ξαίνειν εἰς πῦρ, de re inutili, ἀνηνύτῳ, & quæ absolvi non possit. Quod autem existimavit Erasmus ξαίνειν εἰς πῦρ, esse *ignem dissecare*, *ignem diverberare*, alibi erat cum id scriberet.

Nec tamen hîc oculos] Sensus enim certos esse defendebat Epicurus; at ex opinatu animorum nasci falsa illorum judicia. Sensus autem omnes sunt ἄλογοι, quare non judicant.

Extantesque procul] Huc apprime facit, quod de freto Siculo scribit Justinus.

Corpora mirando] Vide Emendationes.

Obeunt] Ultro citroque moventur.

Ratione] Ἀληθῶς, ὄντως.

II. *Mutare*] Notandum ab Interpretibus fuerat: istud *mutare* imitatio Græci sermonis est, γλῶ ἀμείβειν, item ἄλλῳ ἄλλοτε ἀμείβων, &c. Plato, Plutarch. Lucianus. Ita apud Herodotum in Terpsichore τὰς ὁδοὺς ἀμείβειν, *ingredi*, quem locum Valla minus bene convertit. Locus est pag. 814. edit. Aubianæ.

Severa silentia noctis] Non erat cur locum hunc mutari vellet Lambinus: Nec enim est ut quidquam homini poëtæ placeat magis quam Severum illud noctis silentium; *Morne silence de la nuict*.

Nam nihil egregius] Hi duo versus ab imperita manu sunt; itaque delendi.

Qui capite ipse suo instituit vestigia retro] Locus sane luculentissimus: & quem Vir Doctus sollicitare non debuerat. Qui manibus ingrediuntur, prono in terram capite, quod histrionum pueri vulgo faciunt, non nisi retro incedere possunt. Quod facile ad expli-

explicandam Lucretii ſententiam transferre poſſis.

Hoc] Scilicet, τὸ μηδὲν εἰδέναι.

Seorſum] Unicuique ſingillatim, ita ut hanc aut illam qualitatem ſenſus quidam noſcat, ille alter non poſſit.

Nec ipſi ſeſe reprehendere poterunt] Sunt enim inter ſe ὁμοδενεῖς, uti illos vocabat Epicurus.

Arteria] Τὰ, neque enim minus analogum eſt τὸ ἀρτήριον, quam ἡ ἀρτηρία.

Rauca ſuis] Verſus νόθος.

III. *Retrocita cornua*] Al. *barbara*. Hunc verſum Lucretio abjudicat Lambinus: ſed Lucretius, opinor, ſi viveret, ad alios judices provocaret. Interpres ſcilicet non viderat, neque multi vident, quid tandem illud ſit, *retrocita barbara*, vel *retrocita cornua*. At ego videor firmare poſſe, intelligi illud inſtrumentum muſicum, Syriacæ, opinor, originis, quod *ſacbute*, vel *ſaque-boute* vocamus, à veteri voce Gallica *ſaquer* quod trahere eſt, & *bouter* quod pulſare ſignificat. Qui inſtrumentum illud muſicum nôrunt, facile intelligent cur *retrocita* dicatur à Lucretio. Si qui meliora dabunt, paratus illis apud me plauſus eſt.

Vallibus, &c.] Vide Emendationes.

Percurrit] Quod neceſſe eſt, ſi fiſtula compoſita utaris, qualis erat, *fiſtula comparibus ſeptem compacta cicutis*.

Avidum auricularum] Id eſt, Omnes homines portenta & miracula libenter narrant; eaque à multis audiri jucundiſſimum illis eſt.

Hæc queis ſentimus] Vide Emendationes.

Linguæ ſudantia templa] Satis audax metaphora videri queat, templum linguæ pro palato; ſed omnis locus extenſus & patens in veteri Latio templum dicebatur. Deinde τὸ ὑπερῷον ſeu ὑπερῴα, qua voce Græci palatum ſignificant, ut & ὀρεινὸς, non minoris audaciæ videri debent, quamquam non aliter pedeſtres ſcriptores loquebantur. Quid autem, Poëtæ non liceat illuſtri aliqua ſimilitudine aut meta-

metaphora, &c. rem variare?

IV. *Differitas*] Hujus vocis exemplum nullibi nisi apud unum Arnobium reperias; is enim Lucretium libenter imitabatur. *Ita autem formatur* Differitas, inquit Gifanius, *quemadmodum à* prodigus *fit* prodigitas *apud Lucilium.* Sed Fallitur. Nam τὸ *prodigitas* à *prodigus* non magis mirabile sit, quam à *bonus bonitas*, à *cupidus cupiditas*. Itaq; ἄμφοιν δάτεον. Nam aut *differitas* nasci potuit ex *differo, differitum*, ut à *facio facilitas*, à *pudet puditum puditas* apud Varronem, citante Nonio. Quippe olim à *fero* dicebant *feritum*, unde *offerumentũ*, quod Diis offerebatur apud Festum, id est, *offerimentum*, *v* pro *I*, ut *optumus, maxumus*, &c. Aut etiam à διάφορ- manarit, unde analogῶς διαφορότης, ex quo *differitas*. Neque vero adeo mirum est τὸ *differ*, cum usus hodieque retineat, *herbifer, armifer, umbrifer, sacrifer*, &c. ut *scutiger* & *armiger*. Quare à *differ* erit *differitas*, ut à *tener* fit *teneritas*: quam vocem à Varrone usurpatam scimus, ut à & Tertulliano.

Serpens hominis contacta salivis disperit] Id vulgo fertur, creditur que à multis, quamquam sæpe expertus nihil tale animadverterim.

Agam primum] Operarum erratum est: scribe, *agam. Primum.*

Promissa canum vis] Id est *immissa*. Inde ἐπακτῆρες pro venatoribus apud Callimachum, & ἐπάγειν apud Plutarch. in Apophthegm. pro *venatum ducere*, seu *promittere*.

Anser] Nota historia est, Capitolium ab anseribus servatum Gallis adscendentibus.

Majoribus principiis voci] Id est, Majoribus principiis quam sunt vocis principia.

Refrigescit plaga] Ad hoc referri debet illud quod de loco quodam Xenophontis alibi notavi, ubi δρεμὸν pessime ab Interpretibus acceptum est. Nam *vestigia ferarum*, seu odorem impressum à corpore quiescentis feræ significat; cæterum per *plagam calidam* intellige

lige recentiorem, atque adeo actuosiorem seu efficacem magis. In eo autem Poetice loquitur. Constat intensissimum frigus obstare effusioni liberiori odorum.

Percipiunt] Penetrant ut, *ægritudo me percipit*, jam alibi.

Reddita vitai] Vide Emendationes.

Meminisse jacet] Tò meminisse, memoria.

Lethi potitum] Ita sæpe Plautus in Captivis, *Potitus hostium*, pro, in potestatem hostium redactus.

Tanta est] Infra, sed suo loco, legitur hic versus. At illi alii duo, *tantaque sensibili*, &, *copia*, &c. delendi.

Arte madent] Arte instructa sunt; metaphora à re infectoria (quamquam & cibi percocti *madere* dicantur Plauto & aliis) eadem ratione *Lana bibere succum* dicitur Horat. & Virgil. Ita & Tertullianus de fraternitate Christianorum *qui unum* (id est eundem) *spiritum biberunt sanctitatis*, & in lib. de pudicitia, *Ebibere notitiam Apostoli*. Eadem metaphora à re infectoria Platoni placuit in policitis pag. 57. edit. Læmarianæ. Sed urgent Operæ, & indicasse satis est.

Cum sentimus id] Versus spurius, cujus sententia stare non potest.

V. *Istud in his rebus*] Vide emendationes. Cæterum, si quod in Physicis Epicuri maxime improbabile est, hoc ipsum, quod hic asserit Lucretius, tale est. Sed quamobrem ita judicavit? Videlicet (hæc mea sententia est, alii fortasse aliam afferent) si Stoicorum opinionem secutus fuisset, videbat sibi necessario admittendam esse Providentiam; quæ ex consideratione & usu partium humani corporis eluceſcit maxime. Inde est quod dicere soleo, Galeni librum de *usu partium* ad comparandam Dei ejusque providentiæ cognitionem longe plus prodesse, quam omnes omnino aliorum libros, qui

ſuper iis rebus conſcripti à veteribus fuerint.

Ut facere poſſimus quæ foret uſus] Iſtud *foret* ſatis probare videtur, legendum, non *poſſimus*, ſed *poſſemus*; Neque ut aliter loquamur ratio ipſa ſinat. Quis enim eum ferat qui ſic ſcripſerit, *Membra ideo nobis data eſſe aiunt ut illis utamur ſi opus eſſet*; dicendum enim fuit, *ut illis uteremur*. Scribe itaque *poſſemus*.

CAPUT

CAPUT II.

I. *Vetus lectio necessario revocanda.* II. *De versibus illis Lucretii in Quarto, quibus nonnulli tantopere offenduntur.* III. *Locus Lucretii à Palmerio male intellectus.* IV. *Emendatio nova in Lucret. tentata.* V. *Aristophanes in Pluto emendatus & ejus Scholiast. excussus.* VI. *Ovid. emendatur in I. Tristium; ibique interpres reprehenditur.*

D*Aret objectum primai læva per artem*] Nihil fortasse est quamobrem hic aliud quam quod prima fronte apparet quæratur; sed nec abs re tamen fuerit dicere, clypeatos olim, & præcipue peltastas, discursare per hostilia castra solitos, eo tantum fine ut obvios protruderent, quo cæteræ copiæ disturbatos jam & perculsos aggrederentur.

Vitaque] Ita hoc loco usurpat *vitam* ut Græci τὸν βίον, non ζωὴν, pro experientia scilicet & πεῖραν ἢν ἐν τῷ βίῳ.

Corporis ipsa natura] *Ipsa*, id est, per sese, ultro δι' ἑαυτῆς.

Sed plurima] Legendum omnino *pluria*, id est plura.

Proporro] Deinceps, ἑξῆς δέ.

Velis ventoque feratur] Ut hic versus cum superiori omnino consonet, (*his rebus utrinque duabus*) optime conjecit Vir. Max. legendum, *remis veloque*,

alioqui velis & vento una eademque res significaretur. Illum adibis in Physiologia pag. 537.

Tympana] Machina notissima est ex Lexico Vitruviano Bernardini Baldi Urbinatis.

Ille somnus] Non temere ponitur *Ille*, κατ' ἐξοχὴν enim significat ut alibi; à quo scilicet tot & tanta in humanum genus promanant bona.

Reconflari sensus] Hic locus id confirmabit quod antea contra Gifanii sententiam dictum est de *accensis sensibus*. Nam *reconflari* eadem metaphora est ac τὸ *accendi*.

Suffulciat artus] Horat. *Stomacho fultura ruenti.*

Sæpe etiam] Expungendus est hic versus.

Contusa] Muret. *Concussa*.

In qua ratione] Meditatione, occupatione.

Cernere bellum] Certare, decernere, &c.

Agere hoc] De ratione Philosophica scribere.

Et quicunque dies multos] In hanc rem lepidissima historia est apud Lucianum.

Tunc quasi carceribus] Versus spurius.

Venantum] Venatorum, ut *medentes* pro medicis.

Accipitres visæ] Dicebant enim *hæc accipitris*.

Obeunt] Obire videntur.

Pusi] Puri, pusi, pueri, legi potest; eadem enim omnium significatio.

Dolia curta] In urbe populosissima, si qua unquam fuit (Romam dico) dolia in angulis plateārum erant, in quæ peregrini homines vel cives, qui de faciendo domi lotio (sic enim loqui solent Latini) antequam in publicum prodirent, non cogitarant, vesicam exonerare soliti fuerunt. Unice ad hunc Lucretii locum facit quod apud Macrobium legere est lib. 3. c. 17. *Curta* autem semifracta, &c. satis ad eos usus apta. Cæterum illa dolia lateritia erant, vel figlini operis, non lignea.

Humorem saccatum] Honeste positum pro lotio. Notum quid sic *saccus & saccare*, ubi de vino & laticibus percolandis agitur. Gall. *une chausse*.

Babylo-

Babylonica magnifico ſplendore] Babylonica tapetia magnifica & ſplendida, ut apud Virgil. *Equos ſplendore nivali*, in Æneid.

Ætatis freta] Ætatis æſtus & fervor, Adoleſcentia ſcilicet.

Ipſa dies] Matura rebus Venereis ætas.

E corpore quoq;] Corpus perſona eſt, *Salvete optima corpora.* Ennius.

Loca turgida] Sæpius de muliere, quam de viro occurrit.

Tranſactis omnibus rebus] Quaſi τῶν Ἀφροδίτων τελέωντες, uti optimum ſcriptorem, & harum rerum peritum loqui ſcimus.

Decedit corpore toto] *Toto*, inquit, quod non temere. Hinc itaque ſæpiſſime fit, ut mutulati parte aliqua corporis mutilatos etiam gignant; quod certiſſimis exemplis probari poſſet; niſi id alii feciſſent. Semen itaque ex omnibus membris; Neque aliter ſenſiſſe Tertullianum conſtat, uti oſtendit locus quidam, qui à me ſuperius allatus eſt, cum tamen alia res ageretur.

Incitat inritans] Delendus verſus.

Namque] Hunc verſum cum duobus ſequentibus expunge.

Muliebribus] *Mollicellis, delicatis, quæ meram ſpirent Cyprin.*

Hæc Venus eſt nobis] Hæc cupido, Veneris nomine dicitur.

Illæ] Illius.

I. *Frigida cura*] Neceſſario revocandam arbitror lectionem MS. *fervida*; eam certe quilibet probabit, qui unquam ex animi ſententia dixit, *Nunc ſcio quid ſit amor*..... Cura illa, de amore dico, fervida eſt, *coquit, urit ille nitor*, μαλερὸν βέλος, πυρόεντα βέλεμνα, πυρὶ πάντα βέβαπται. Poſt illam *dulcedinem* tum *anxiferæ curæ* ſuccedunt, uti Cicero vocavit. Locus Horatii, *Frigida curarum fomenta relinquere poſſes*, qui ab interprete allatus eſt, haud dum

etiam odorari potui quo pertineat; Nihil enim ad Lucretium, &c.

II. *Sed fugitare decet*] In toto Latio, quantum quantum est, nihil ut opinor, quidquam legas, quod æque legi oporteat, atque eos versus qui hunc sequuntur. Sed tamen reperti olim fuere nonnulli, hodieque reperiuntur ejus generis bene multi, qui illos ab oculis hominum, si fieri queat, removendos esse contendant, quasi insigni quadam turpitudine scateant. Miserum itaque poetam nostrum, cujus tam frugiferum tamque salutare consilium, adeo improsperos eventus habeat. Quamvis enim totis exclamet faucibus,

Sirenæ hilarem navigantium pœnam,
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,
Effugite, ô miseri, tortumque ab littore funem
Rumpite;

Quamvis tot argumentis probarit, certissimam homini pestem ab re Venerea esse, atque adeo cane pejus & angue vitari oportere nugivendulas istas mulierculas, quæ suos amatores effrænatos ductitant; Quamvis rem, famam, sanam mentis corporisque valetudinem, ea via defluere ostenderit; Tamen id ubi præstitit, ibi tum Viri boni, Heus, (inquiunt, & quem longe quidem) fuge turpia, obscæna dicta, *spurcidicos, immemarabiles versus, amationes*, &c. Sed, ô boni, si boni estis, nihil hic spurcidicum, nihil immemorabile; Si quid tale videbitur, id vitio legentis, non poetæ adscribendum erit. Hoc certe videor affirmare posse, Si, quæ à Lucretio hic scribuntur, ea pro fœdis & flagitiosis dictis habebuntur, longe illis turpiora, longeque fœdiora reperiri in eo libro posse, quem nemo sine præsenti famæ periculo reprehendat. At enim, sentio, virum illum sanctissimum, quem appellare, nunc quidem, haud sane magnopere attinet, dicent ea gratia rem ipsam, quamvis turpissimam, tam aperte tamque perspicue tractasse, ut ex tanta tamque flagitiosa descriptionis fœditate

ditate vitium illud magis averſabile fieret. Fateor, neque unquam aliter ſenſi: Sed Lucretius quo fine ſcripſerat? an ut lenoninas operas præberet, & ex peſſimo omnium mercimonio rem faceret auctiorem? Hoc quidem multis temporibus alii poetæ fecere, quibus profuit, & nunc fortaſſe nonnullis prodeſt; Sed vitæ integritas, gravitaſque morum, ac tot ſalubberrima præcepta hic illic per totum opus ſparſa, hujuſmodi ſuſpicionem longe à Lucretio amoliuntur. Paucis dicendum; vin' ſcire quod ipſi conſilium fuerit? En tibi:

Sed fugitare decet ſimulacra & pabula amoris.
Abſterrere ſibi, atque alio convertere mentem;
Nam certa & pura eſt ſanis magis inde voluptas
Quam miſeris: Etenim potiundi tempore in ipſo
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum;
Nec reperire malum id poſſunt quæ machina vincat.
Vſque adeo incerti tabeſcunt volnere cæco.
Adde quod abſumunt vires, pereuntque labore,
Adde quod alterius ſub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, & vadimonia fiunt;
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.
Si neſcis, etiam *medio de fonte leporum*
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.
Aut quod conſcius ipſe animus ſe forte remordet,
Deſidioſe agere ætatem, luſtriſque perire;
Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit;
Quod cupide affixum cordi viveſcit ut ignis;
Unde fit, *ut melius* multo *vigilare ſit ante,*
Quâ docui ratione, cavereque ne inlaqueeris.

Ain' tu, Lector, qui ita loquantur, eos *hortatores ſcelerum* vocemus, an dehortatores ſimul facundiſſimos, ſimul acerrimos?

Converſum] Al. melius, *conceptum.*

Invetera ſcit] Ita Terent. *feci ut inveteraſcerent*, id eſt, viverent, diu deſiderarentur atque expeterentur. Ita etiam Tullius.

Miſeris] Amore perditis.

Rabies illæ] Rabiei illius. Sic enim nomina quintæ olim inflectebantur. *Dies*, gen. *Dies*, vel *Die*, vel *Dii*; Veteres passim.

Pœnas frangit] Doloris, & morsiuncularum stimulos minuit.

Tenuia quæ vento spes raptat sæpe misella] Vide Emendationes.

III. *Denique conlatis membris cum flore fruuntur.*

Ætatis] Amicus quidam meus monuit, hunc locum ita à Palmerio legi:

Denique conlatis membris cum flore luuntur

Ætatis..... Luuntur autem erit λύονται· *flos ætatis* significabit πρὸ γονῆ, seu ut lepide vocabat Lucilius, *Mutonis lacrymas*. Rem bellam scilicet, & ter bellam! Vides, præclara ingenia non amant quod in medio positum est; Quid enim facilius, Latiniusque, quam *frui ætatula, flore ætatis frui?* Quare Palmerio comes alius quærendus est; solus eo.

Machina] Græcum est; τὴς μηχανῆ, τὴ μῆχ&; Res nota.

Ægrotat fama] Græcorum imitatio. Eurip. Med. νοσεῖ τὰ φίλτατα. Aristoph. νοσεῖ τὸ δέατεγ. Latini imitati sunt; sed loci ab aliis notati fuere.

IV. *Unguenta*] Vide Emendationes. Cum autem τὸ *unguenta* locum hic habere nequeat, fortasse legi possit *Tyrrhena*. Noti sunt Tyrrheni seu Tusci calcei, ut & Sicyonii. Utrique enim & splendidorum hominum erant & delicatiorum.

Thelassina] Cærulei quidem coloris, sed qui viridantis aliquid habeat.

Bene parta] Terent. *Bene parta mei partis*. Locum Plauti in quo meretrices *fundis exornatæ incedunt*, protulit Interpres; ei hunc Ovidii addas licet, quo de puella conqueritur amator:

Illud & illud habet: nec eâ contentâ rapinâ
Sub titulum nostros misit avara Lares.

Id est, ita effecit, ut ædes meæ postscriptæ fuerint venales.

Anade-

Anademata] Redimicula, fasciolæ, catenulæ, &c.

Melitensia, Ceaque] Vestium genera, ab insulis unde advehebantur. Diodor. alicubi. Locus Ciceronis notissimus, ut & ille alter Plinii. Cæterum hæc lectio à Turnebo constituta fuit.

Eximia veste convivia] Convivia, quorum vestes stragulæ, culcitræ, pulvinaria, &c. exquisiti operis sunt.

In amore proprio] Amor proprius est, cum quis à muliercula ita amatur, ut omnes alios illa abs se segreget; Cui opponit Lucretius *amorem aversum & inopem*, id est, in quo multa tibi adversa sint, quique ἀμηχανίαν afferat.

Prendere quæ possis] Hæc mala in amore felici sunt; quid in averso? tot tantæque ibi sunt calamitates, ut nemo non illas facile pervideat.

Nam hoc faciunt homines] Hæc particula *Nam* refertur ad τὸ *Nisi tute obvius obstes*, &c. id est, nisi tute ipse tibi fucum facias, & amiculæ ea tribuas animi corporisque bona quæ non habeat. In eam rem locus insignis est apud Platonem, in V. Politicorum, unde ea hausta quæ à Plutarcho in lib. περὶ τοῦ ἀκούειν, ut & in lib. de discrimine amici ab adulatore, & quæ ab Aristæneto in Epist. 18. scripta fuere; Sed quæ propter temporis angustias & morem meum nolim transcribere; ut nec Ovidiana ex II. Artis, ab illo versu,

Parcite præcipue vitia exprobare puellis, &c.

Atque alios alii irrident, &c.] Hos tres versus deleri velit Lambinus; at ego nolim; sunt enim Lucretiani & optimi sensus. Amatores quidam suadent amico suo, qui deformem puellam amet, ut propitiam sibi Venerem faciat, à qua hujusmodi amor immissus sit, cum interim ipsi minus amabilem, minus venustam, ament, &c.

Nigra μελίχρως est] Quæ plane nigra est eam μελίχρων vocant, id est colore mellis, seu fuscum. Ovid. *fusca vocetur.*

Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit.

Immunda & fœtida, ἄκοσμον] Quæ prorsus immunda est, ejus vitium nobis ipsis occultamus, nam ἄκοσμον vocare solemus, quod cultum & nimiam ornamentorum curam respuat.

Cæsia Παλλάδιον] Oculi cæsii, seu *noctuini* (locus Plauti notus est) non probabantur. Ut tale vitium levarent, amicam suam *parvulam Pallada* vocabant, γλαυκῶπις Pallas Homero millies.

Δορκάς] Capream vocabant, quæ nervosior esset & quodammodo lignea.

Parvula, pumilio χαείτων ἴαν] Quæ parvula & pumila sit, dicunt eam esse ἴαν χαείτων, totam ex sale, & facetiis & elegantia constare. Cæterum χαείτων μίαν, vel ἴα legas nil interest.

Magna, &c.] Quæ talis est, eam *καταπληξιν*, quasi *terribilem*, &c. locus ex *Cantico Canticorum* hic proferri posset. *Plenam* autem *honoris* intelligo venerandam, vel quæ solo aspectu reverentiam in animis virorum ingeneret.

Balba, loqui non quit, τραυλίζει] Siqua ita balba est ut vix loqui possit, dicunt eam τραυλίζειν. Est autem leviſſimum oris vitium τραυλισμὸς, quale in Alcibiade fuisse docent Aristoph. & Plutarch. at ψελλισμὸς dicitur, cum præceps balbuties facta est: τραυλὸς circa literam R. labitur, ut ὁλᾶς pro ὁρᾶς, ψελλὸς autem totas aliquando syllabas obterit, & misere perdit.

Muta, pudens est] Si qua est pene muta, pudentem esse dicimus. Præ pudore non libenter loquitur, aiunt.

At flagrans] Ardentior paulo, & nescio quomodo inquieta.

Odiosa] Importuna, &c. eam λαμπάδιον vocamus; quia faces è picea, &c. crepitant: nam apud veteres fax è ligno fissili & *inspicato*, ut Virgilius vocat fiebat, sine cera, resina, &c.

Ἰσχὰν ἐρωμένην] Amasia Græce ἐρωμένη dicitur,

tur, sed ἐρωμένιον amasiola, seu amicula, ἰχνὸς vero inter macrum & habitiorem est; quod plerique non observant. Gracilem vocavit Ovidius. *Sit gracilis macie quæ male viva suâ est.* Locum autem Lucretii in oculis habebat Ovidius. Tale aliquid est in illo Lucilii *Vix vivo homini ac monogrammo.*

Παλιὴ *vero est, jam mortua tussi*] Quia tussis, postquam in ἕξιν abiit, aut certe diuturnior est, corpora tenuat; ideo, ut hoc vitium verbis minuerent, puellas ejusmodi ῥαδιγὰς vocabant. Unde à Theocrito Cypariss. ῥαδιγαὶ dicuntur; ubi ὀπιμήκεις καὶ λεπτὰς, ait significari Scholiastes.

At gemina & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho] Hunc locum laudat Arnobius lib. III. Ceres autem mammosa pingebatur; unde & illi solenne epithetum, τερφὸς, & causa in promptu est. Ceres ab Iaccho, id est Ceres ἡ τοῦ Ἰάκχου, quam scilicet Iacchus seu Bacchus amavit. *Ipsa* autem comparationem ἀκειβεστάτην innuit, ita ut ejusmodi puellam dicas esse pene *ipsammet* Cererem. Per geminam autem intellige corpulentiorem & pleniorem ut *duplex ficus* Horat. & *duplex spina* Virgil. in Georg. de boni equi signis; quod ille à Varrone habuit lib. II. R. R. c. 7. quamquam hoc posterius aliter intelligi possit.

Simula σιλλὴ] Quia fere simi pingebantur Sileni, Bacchi comites, ut & Satyri. Sileni seniores & Satyrorum magistri. Vide Casaubonum in aureolo libello de Satyrica, &c.

Labiosa φίλημα] Inter blanditias erat, *meum osculum, meum suavium,* φίλημα, φιλημάτιον, & labiosæ habent quâ osculentur.

V. *Cætera de genere hoc longum est si dicere coner*] Cætera de genere hoc *pene infinita sunt,* neque illa *attingere coner*; sed optimi scriptoris locum emendabo, qui hodie à nemine intelligitur. Apud Aristophanem in Pluto, anus quædam est facetis sane & lepidis morata moribus. Ei olim adolescens quidam

fuerat

fuerat, formosus sane & strenuus, quique res ipsius ex sententia procurabat; Id quandiu factum est, tandiu nulla inter eos simultas, jurgium nullum, querela fuit nulla. Sed *mala ætas, mala merx,* inquit Comicus; neque libenter vetulam amet qui potiorem conditionem habeat. Itaque amasius ille bonæ mulierculæ ubi primum habere cœpit unde res constabiliret suas & sibi meliuscule faceret, diserta misella animum suum alio contulit; quæ res amiculam ita perculit, ut eo dolore amens & plane perdita cœlo terræque ærumnas narraret suas, ut in Medea Ennius & Eurip. dixerunt. Ibi autem cum chorum adiisset, inter cæteras verborum delicias, quibus ad sese usum esse olim adolescentem commemorat, se ab illo vocari solitam esse ait *Nitarium* & *Batium.*

Καὶ νὴ Δί', εἰ λυπεμφόλω γ' αὐδοιτό με,
Νιτάριον ἂν ἢ Βάπον ὑπεκοε'ζετο.
Et per Jovem, sicubi me tristem cerneret,
Nitarion appellabat, aut Batium suum.

Quæritur itaque quid sit Nitarium, quid sit Batium. Alii alia fortasse conferent, nos ea, Lector, quæ jam jam leges. Scripsit olim Symmachus, Aristophanis Interpres, ideo *Nitarium* vocatam fuisse amiculam, quod Nitarus quidam ob mollitiem famosus fuerit. Sed contra judicium faciat qui amiculæ blandiens, eam aut Bathylli nomine, aut Ganymedis, vocaverit; Quare ridicule Terentianus ille Thraso fecit, qui coram Thaide ausus sit dicere, *Ego illum Eunuchum, si sit opus, vel sobrius.* Alii autem qui eam sententiam Symmachi probare non possent, Nitarium plantæ genus esse dixerunt, unde nullus esse sensus possit, nisi, [Me quasi pro floribus habebat,] rem plane fatuam & imperito magistello dignam: Θέλει ὑγιεῖν, ὅτι, ὡς ἄνθη ἔχέ με, inquit. Didymus autem scribit *Nitarium & Batium* esse blanda dicta, quibus mulierculas delinibant ΝΙΤΑΡΙΟΝ ΔΕ ΝΕΟΤΤΙΟΝ, διονεὶ κορίσιον. Alii vero σκαπφάγοι homines aiunt βατιλὸν significare ἕδρην, podicem scilicet, atque inde

inde βάτον vocatam illam mulierem fuisse; quod ita ridiculum est & ineptum, nihil ut ineptius quidquam fingi queat, ut ne de turpissima imagine dicam. Quin & vocem illam significare fatuum aiunt, vel mollem & delicatum, uti *batus pisciculus* est (quem tamen eundem esse arbitror, qui apud nos *Roya* dicitur, non inter piscículos habenda.) Denique pumilas mulieres βατύλας dictas fuisse aiunt; quod tamen Græci sermonis ratio non patitur, dicendum enim fuit βατύλας, forma diminitiva à βαιὸς exiguus. Et hæc quidem ab illis scripta fuere; Videamus ecquid aliquanto meliora sint, quæ mihi in mentem. Legendum puto, non Νιτάδειον, quod nihili est, sed Νιαστείον, id est, *anaticulam*, à νῆσσα unde ex Dorico à νᾶσσα Latinum *anas* prodiit. Inter cæteras autem amatorculorum blanditias aves locum habebant; idque non apud Græcos & Italos tantum, sed apud Hebræos ipsos, qui interdum belli homines erant & columbulas & turtures in eam rem adhibebant. Sed de anaticula locus Plauti in Asin. suffecerit:

Dic igitur me anaticulam, columbam & catellum,
Hirundinem, monedulam, passerculum.

Βάτον autem avicula etiam est, ea ipsa, opinor, quam *rubellinam* vocamus, aut alia quævis ex earum genere quæ βάτοι seu rubetis aut spinetis delectantur. Hoc itaque mihi debebit Aristophanes, quod, qui locus antea à nemine intelligebatur, nunc planus erit & perspicuus. Cæterum æquitatis meæ esse arbitror agnoscere Didymum, doctissimum illum & laboriosissimum grammaticorum, non aliter olim sensisse, atque nunc sentio; sed ab imperitis compilatoribus locus illius ita corruptus est, id ut hodie apparere nequeat. Nam in illis verbis νεόττον ὁτιοῦν κορδύλιον, mendum est. Pro νεόττον autem legendum νήττιον, quod idem est ac νησσάριον seu *anaticula*. Locus Scholiastæ καὶ πλάτων sic habet: Σύμμαχός φησι, Νίτταρος πολὺς ὄπτι μαλακία ὀνειδιζόμενος ἐν τοῖς ἑξῆς δράμασι καὶ Βάτος· καὶ τὰς μικρὰς ἢ ἡλικίας, Βατύλας ἔλεγον.

καὶ

κὴ Θεοπόμπω δ' ἐστὶ γράμμα ὅτι Βαπύλη· πινές ϑ' νιτάειον κὴ Βάτον εἶδε φυσῆ· θέλει δ' ἂν εἰπεῖν ὅτι ὡς ἄνδη με εἶχε Διόνυσ ϑ' ϑ φησιν ὑποχοίσματα πρὸς γυναῖκας· νιτάειον δ', νιόττιον, οἱονεὶ κοράσιον, ἄλλως· φιλοφρόνητικὴ ἡ προσφώνησις, βάταλον δ' τὸν ἔδεσμα ἁβρὸν κὴ τὸ βάπον· τὸ δ' συνεταλμένως ἀναγινώσκειν, ἀνόητον, ἢ δύο ἄτα βάπον ἀντὶ τοῦ τρυφερὸν κὴ μαλακὸν, ὅϑ' ὁ βάτος τὸ ἰχθύδιον.

Quoi Veneris, &c.] Cujus membra venerem ipsam & omnes ejus suavitates adæquent.

Eadem turpi] Eadem ac turpis facit.

Quem si jam admissum] Vide Emendationes.

Veneres] Amiculas, &c.

Vitæ postscenia] Metaphora à theatro. De hac mulierc ularum cautione vide Ovid. de Remed.

Et si bello, &c.] Horum versuum hæc sententia est: Quin etiam, nisi plane difficilis est & morosa, satis multa apud illam videbis, quæ efficient ut magno nisu opus non sit ad deprehendenda corporis vitia; sed ea sinet ut pervideas, sperans te non ita illis offensum iri, quippe quæ non unius mulieris propria sint, sed communia omnium.

Et commiscendo] Scio locum hunc à quodam tentatum esse, sed nil necesse fuit.

Volta] Pro *voltus*. Sic veteres, & jam, ni fallor, alibi Lucretius usurpavit.

Conflixit] Pro *Commisit*, &c.

Origo] Sexus.

Nec divina fatum] Contra illos qui sterilitatem mulieri aut viro à Diis immitti putabant.

Harmoniæ] Intellige temperamenti convenientiam, σωαρμογὴ. Locus Epicratis in Antilaide apud Athenæum, quem citat Gifanius, ad hunc versum nihil quidquam facit. Cum enim de Laide jam vetula loquens Epicrates scribit, Τὰς ἁρμονίας τε διαχαλᾷ τοῦ σώματ ϑ, ibi αἱ ἁρμονίαι nihil aliud sunt quam junctura & articuli corporis. Itaque risum debet Thraso Lambinianus, quod ei toties evenit, quoties

Græca,

Græca, in quibus imperitissimus erat, voluit attingere; quod Index hominis facile ostendat.

Pondus] Uteri pondus, fœtus est.

Genitaliter apta] Ita ut aliquid gignatur.

Clunibus ipsa] Vide Emendationes. Locus Lucilii hic adscribi possit; sed apud Nonium legatur.

Conjugibus nostris] Etiamsi vulgo ferant cælibem vixisse Lucretium. Sed figura notissima est.

Nec divinitus est interdum] Istud *est* ab oscitantia typothetæ ortum fuit, itaque tollendum.

Facile] Libenter. Terent. Ut ego illi *facile involem in capillum!*

VI. Et hæc quidem de amore Lucretius; in quibus explicandis si paulo brevior fui, prudens scienſque feci, qui viderem ita comparatum esse totum illud negotium, ut ad illius intelligentiam nemo interprete opus habeat. Sed dum sciens prudensque pleraque transilio, aliquid mihi inscienti & imprudenti evenit, quod nollem factum, fieri infectum si posset; Emendationem scilicet cujusdam loci Ovidiani prætermisi, qui & ingenii plenissimus est & elegantiorum hominum cura dignissimus. Is in I. Tristium legitur, Elegia I. sub finem. In ea librum suum, quem in Urbem mittebat, alloquitur, eique mandata his verbis dat: *Postquam in museium nostrum perveneris, ibi fratres tuos aspicies, parve liber; quos ego eodem studio quondam produxi; Pleroſque omnes facile agnoveris, quippe qui titulos apertos ostendant; sed procul ab illis tres in intimo angulo latitantes videbis, qui, &c. eos cave salutes; cum enim tot mihi calamitates attulerint, parenticidæ potius quam alio quovis nomine tibi vocandi erunt.* Sed poetam ipsum audire satius est: Sic igitur scribit:

Cum tamen in nostrum fueris penetrale receptus,
Contigeriſque tuam scrinia curva domum;
Adspicies illic positos ex ordine fratres,
Quos studium cunctos evigilavit idem.

Cætera

Cætera turba palam titulos ostendit apertos,
Et sua detecta nomina fronte gerit.
Tres procul obscura latitantes parte videbis,
Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.

Otiose, opinor, legisti: Ecquid igitur sentis vitium in postremo districho esse?

Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.

Qua enim ratione HI QUOQUE amare docent, cum tres tantum *artis amatoriæ* libros ab Ovidio scriptos esse constet? Quamobrem cum τὸ QUOQUE locum ibi habere nequeat, legendum, manuscriptis, quantum est, reclamantibus,

Tres procul obscura latitantes parte videbis;

Quos tandem, Ovidi?

HOS QUI, quod nemo nescit, amare docent.

nos scilicet QUI de arte amandi tractarunt. Sed tandem sit modus, & ad quintum Lucretii librum transeamus. Cæterum an hæc emendatio cuiquam usque adhuc in mentem venerit, nescio, nisi quod in editone 1661. nil tale animadverti; ut nec in omnium postrema, anni 1662. Sed in hac tamen aliquid reperi circa loci hujus explicationem, quod tale est, ut nil imperitius, nil homine mediocriter erudito indignius fingi possit. Si certe ad illud exemplum cætera in eo libro se habent, tanto omnium pessima editio est quanto omnium splendidissima. Hunc enim versum, *quod nemo nescit, amare docent*; sic ibi explicatum reperiri, quasi dixerit poeta, *Hi docent amare, quod opus à me compositum esse nemo ignorat*, ridicule. Sententia enim Ovidii fuit, libros illos id docere quod cuncti sine omni magistrorum opera noverunt; quid? amare scilicet. Neque enim præceptore opus est, id ut addiscas. O acutum hominis judicium, quisquis notam adeo bellam ex Merula suo excerptam ibi adscribendam curavit!

IN

IN
Librum Quintum.

I. *Circa locum Lucretii erraſſe Lactantium.* II. *Epicurus* σωκρατίζων. III. Οι γενῶντες τον κόσμον *apud Ariſtotelem, item* οἱ ῥέοντες *apud Platonem, qui?* IV. *Ovidii emendatio.* V. *Locus Lucretii male acceptus.* VI. Tardæ noctes *apud Virgil. ſunt noctes æſtivæ. atq; in eo interpretis Lucretiani error.* VII. *Gifanii & Lambini error.* VIII. Vivum ſepulcrum *apud Lucretium à Longino reprehenſum in Gorgia.* IX. *Conjectura in Lucretio.* X. *Verſus ſpurius nunc primum notatus.* XI. *Ut & alius.* XII. *Alia conjectura in Lucretio.* XIII. *Difficultas interpretis circa Lucretii locum ſublata.*

IN his duobus libris, qui ſuperſunt, Lector, eo brevior ero quam etiam in

in ſuperioribus fui, quod eorum materia nihil habeat difficultatis, aut omnia ad τὸ Epicuri ἐνδέχεται convertantur, quod ſemel dictum eſto. Deinde cuilibet liberum eſt ea legere, quæ fuſe à Viro Maximo in libris de Phyſiologia ſcripta ſunt.

Ingere laudes] Vide Emendationes. Manil. I. *In cœlo vibrantia fulmina fingunt.*

Ejus] Epicurum intelligit.

I. *Deus ille fuit*] Errat Lactantius, qui exiſtimaverit hæc de Epicuro ſcripta non fuiſſe, ſed de Pythagora, Thalete, aut &c. Id certe refellit verſus ille, *Cujus ego ingreſſus veſtigia*, qui mox occurret. Hunc autem locum prorſus reſpiciebat Cicero, cum in I. Tuſcul. ſcripſit: *Quæ quidem cogitans, ſoleo ſæpe mirari nonnullorum inſolentiam Philoſophorum, qui naturæ cognitionem admirantur, ejuſque* inventori & principi *gratias exultantes agunt, eumque* VENERANTUR UT DEUM. *Liberatos enim ſe per eum dicunt* GRAVISSIMIS DOMINIS, &c. Hoc notaſſe profuerit.

In tam tranquillo, &c.] Tale aliquid apud Lucilium; ſed & apud Terentium idem legas.

Reperta] Εὑρήματα. Inſtituiſſe, inveniſſe.

Etiam nunc] Id hodieque verum eſt; nam vix ſexta orbis pars triticum novit.

Vivi] *Agitari vita* haud poterat.

Quid Numeæus, &c.] De Herculis laboribus ageretur, niſi pueri iſthæc noſſent; & alio properandum.

Hiatus] Λέγει χάσμ' ὀδόντων. Anacreon.

Diomedis] Thracem Diomedem intellige.

Pelageque ſevera] Σπυγὸν πέλαγος, *amnemque ſeverum*

ſeverum, Virgil. de Acheronte.

Quo neque noſter adit quiſquam] Cicero certe aſſerit ſua tempeſtate non latius navigari ſolere quam ab oſtiis Ponti Euxini ad Columnas Herculis.

Quæ loca] Subaudi *tamen*. Quæ *tamen* loca.

Inſinuandum] Prælia inſinuandum, id eſt, ſubeunda ſunt prælia.

Cupedinis] Cupiditatis.

Perinde] Similiter. *Non armis*] Ut Herculis. *De divis*] Librum Epicuri περὶ ὁσιότητος intelligit. *Sed ſimulacra*] Quæ *ſimulacra* vulgus pro animis à corpore ſeparatis accipit. Vide Gafarelli collectionem de *Taliſmanis*. *Huc*] Junge cum τὸ *Ut*, verſu ſequenti. Itaque mundum eſſe *interibilem* (ſic loquitur Tertullianus,) nunc probabit.

Quæ nullo tempore] Intellige Chimæras, Centauros, Scyllas, Hermaphroditum, &c.

Veſci] Uti. Locus à Lambino reſtitutus.

II. *Quæ ſupra caput ætheris*] Plane ut Socrates. Itaque quod vulgo Socrati ab aliis tributum eſt, id Epicuro tribuit Tertullianus lib II. ad Nationes. *Sed Epicurus qui dixerat*, Quæ ſuper nos nihil ad nos, *cum & ipſe cœlum aſpicere deſiderat, ſolis orbem pedalem deprehendit*, &c.

Dominos acres] Deos. Vide ſupra locum Cicer. ex I. Tuſcul.

Una dies dabit exitio] Ovid. ex hoc fonte hauſerat, *Exitio terras cum dabit una dies.*

Exitium] Subaudi τὸ, nempe, &c. *Ante*] Junge cum *inſolitam*. *Viſu*] Viſui. *Nec jacere endo manus*] Jacere in manus, id eſt ſenſibus ſubjicere; probare teſtimonio ſenſuum, quæ *via proxima*, id eſt tuta & compendioſiſſima eſt ad veri cognitionem, &c. *Flectat*] Avertat à nobis.

III. *Qui ratione ſua diſturbent mœnia mundi*] Elegantiſſima figura, Ratione ſua diſturbant mœnia mundi, id eſt, probant mundum interiturum. Ita Virgilius, *ingentes erigit alnos*, id eſt, deſcribit quo-

pacto

pacto ex Helialdibus alni ſurrexerint. Inde apud Ariſtotelem οἱ γενῶντες τὸν κόσμον (*generantes mundum*) id eſt, qui probant mundum genitum eſſe, mundum nativum eſſe. Et illud Platonis notandum, qui τὰς ῥέοντας (*fluentes*) alicubi vocat eos ex Philoſophis qui omnia in fluxu perpetuo eſſe dicerent. Eadem figura uſus eſt Manilius lib. I. cum de Philoſophia loquens ait,

Eripuitq; Jovi fulmen, vireſq; Tonantis, leg. *tonanti.*
Et ſonitum ventis conceſſit, nubibus ignem.

Id eſt, probavit, illa omnia cauſis naturalibus niti, neque ea Deos curare. Locos hic plures ex libris ſacris afferre poſſim; Adde locum alium Lucret. p. 153, *Nec fas eſſe deûm*, &c.

Immortalia mortali ſermone notantes] Id eſt, ea mortalia appellantes, quæ immortalia ſint.

Quidquid] Quidque, jam alibi.

Seorſum anima atque animus] Hæc in III.

Quæve etiam ſedes] Quæ tenuitatis differentia eſt nos inter & deos ipſos, eadem inter ſedes deorum & noſtras eſt. Itaque *tenues de corpore eorum* ſignificabit, tenues eſſe quaſi ex iiſdem corpuſculis conſtent quibus & dii conſtant.

Tali] Tali ὄντι, ſeu Deo ſeu homini.

Nec fuit in numero.] Rerum creatarum.

Specimen creandi] Sic al. ſed Lamb. *creando*, melius.

Avidam partem] Magnam, multam, ſupra.

Fervidus ardor] Zona torrida. *Aſſiduuſque*] Zonæ extimæ.

Vitali auxilio] Emend. Muret. *vitai auxilio.* *Ipſa*] Sua ſponte.

Ferme] Μείωσις eſt; debuit enim plane & diſerte concludere. Sed ita alibi locutus eſt. Donatus, *ferme* pro *facile* in Andr.

Limatur] Melius *libatur*,

Magnus decurſus] Subaudi, *Id enim* magnus decurſus aquarum declarat, &c.

Retexens]

Retexens] Ἀναλύων, καταλύων, resolvens.

Aeris mare] Aeris capacitatem, χώρ. *Fluentis*] Suo fluxu.

Inrigat cœlum candore] Ita manil. II. *irriget orbem omnia pervolitans.* Ita & Tertull. de Pompeiis, (urbs est Italiæ) *Perfudit ignis Pompeios.*

Ardore ministro] Ardoris opera; ita efficiente ardore.

Tremere] Notat tremulum astrorum lumen.

Celeri] Celeriter lumen suboritur, unde, &c.

Denique non monumenta] Vide Emendationes, ut & circa versus sequentes.

Bellum Thebanum] Paulo antiquius clade Trojana; paulo, inquam, cum constet quosdam duces bello Trojano interfuisse, quorum patres Thebas oppugnarint.

Natura hæc rerum] Notandum maxime; Intelligit enim Physicam. Plane eadem ratione Horatius, qui interdum audacior est, de Pythagora dixit, *naturæ non sordidus auctor.* Ratio autem hoc loco Philosophia est.

Possim vertere] Pro, *vertam.* Exempla alibi, nisi ita intelligas, superbiusculum fuerit: quamquam vera prædicat; quis enim ante Lucretium?

Darent late cladem] Pro *dedissent.* Terent. in Adelph. *Nam si esset unde id fieret, faceremus,* pro, *si fuisset* & *fecissemus.* Aliter locus ille intelligi non potest; Demea enim & Micio jam tum in re ampla erant.

IV. *Haud igitur lethi præcluſa est janua cælo*] Emendæ obiter Ovidium; occasione enim quamlibet levi uti volo. Locus est 2. de Ponto Eleg. 7.

Sed quia res timida est omnis miser, & quia longo
Tempore lætitiæ janua clausa meæ est.

Legendum, *janua clausa* mea est. Jamdiu est, inquit, cum ad me lætitia non revisit; scilicet illi *janua mea* occlusa est.

Membra] Elementa, &c.

Ignis

Ignis enim superavit] Ex fabulis Poetarum hoc dicit, ὅτι ἀφ' ἑαυτῦ, quod ostendit ille versus,

Scilicet ut veteres Graiûm cecinere poetæ.

Tandem ut conveniant] Vide Emendationes.

Inde loci] *Locus* sæpe pro tempore ponitur. Itaque inde-loci significabit *postea* Plaut. Ter. Lucil.

Discordia quorum] Istud *quorum* jungi debet, non cum *discordia*, sed cum *intervalla*, *vias*, &c.

Hoc est à terris] Explicatio illarum vocum, *dare motus convenientes*, id est, inquit, separare cœlum à terra, &c.

Secreto] Sejuncto, segregato.

Hunc exordia sunt solis] Vide emendationes.

Expressus de corpore sudor] Ex sententia Empedoclis. Vide Emendationes ad lib. II.

Turbare] Παθητικῶς.

Significat ponti mare] Perennem ætheris cursum probari ex motu perenni Ponti Euxini in Bosphorum Thracium, inde in Propontidem Hellespontum, &c. sine refluxu; Sed vide tamen Gyllium. Poterunt & ea legi quæ olim ad primariæ nobilitatis Virum Philippum Laucurtium Vilarnoliæum scripsi. Epistola edita est.

Immania templa] Male Gifan. *inania*.

Cibus] Astra enim vaporibus pasci putabant. Virg. & alii.

Vegeat] Agitet, activum est ut alibi, & apud Lucil.

Insita fidit] Optime Lam. sed non ita Gifan. qui, *vivit*.

Quis potis est] Vide Emendationes.

Filumque videri] Sic Lamb. è vestigiis MS. *filum*, optime, namque ita alibi Lucret. al. *sublime*.

Ex uno capite] Nam caput amnis Latini vocant.

Ægocerotis brumales flexus] Mox *metus* vocabit, eleganter. Manil. lib. III. *nodos*, ut & lib. II. non minus eleganter, sed Lucretii imitatio est; infra enim, *anni nodus umbras exæquat*. *Ægoceros* autem Capricornus.

Can-

Canceris] Ita olim dicebatur; nunc *canceri*.

Nonne vides] Quod multi quidem negant, etsi constet nunquam fere tempestatem fulminantem fieri, quin hoc eveniat.

De longo cursu] Post. Vide quæ ad I. *Extima* autem *cœli* vocat hoc loco partes occiduas ad Atlanticum.

Itere] Sic veteres pro *itinere*.

Auroram] Hoc loco *Aurora* Dea, seu persona, non est, sed splendor. *Aura* enim vel apud Virg. (*auri aura refulsit*) splendorem notat, ab αὔρος, quod in vetusta illa Græcia *aurum* significabat, unde Ἠῶος. De Matuta autem seu Leucothea, unde *matutinus*, &c. res nota est.

Quod genus Idæis] Diodori locus in eam rem illustris, lib. 17.

Veste] Lanugine. Grammatici passim & Virg. interpretes.

Non nimis incertis] V. Emendationes. *Ubi sic fuerunt*] Istud *sic* referri debet ad τὸ *atque* in versu sequenti, id est *itidem* ac.

Nodus] Æquinoctia intelligit.

Qui loca cœli] Astronomi.

V. *Hæsitat*] Tardius sese expedit; miror itaque dicere Gifanium, hæsitare sumi pro *micare*, *motitari*. Hæc tamen vulgo mirantur. Explicationem certe nostram planissime veram esse ostendit versus qui hunc sequitur,

Nec penetrare potest facile atq; emergere ad ortus.

Itaque hæsitat, quia emergere non potest, at ridiculum sit dicere, Micat, quia emergere non potest, imo micat, quia emersit.

VI. *Cessant*] Longiores sunt, ut tardæ noctes apud Virgil. æstivæ sunt; quæ ideo *tardæ* dicuntur, quod propter longitudinem dierum tardius adventant, male itaque Interpres, qui locum hunc (*noctes cessent*) per locum illum Virgilii explicandum credidit; quod ei cum multis, neq; sane indoctis, cómune est:

Quid

Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Insigne diei] Ita vocat orbem solis.

Per orbem] Junge cum τῷ *signorum*, intelligit Zodiacum.

VII. *Ut Babylonica Chaldæam doctrina refutans.*

Astrologorum artem contra convincere tendit] Gifanius *Chaldæûm*; idque sibi rectius videri ait quam *Chaldæam*, ut in editione Lambini legitur. Sed, seu *Chaldæam doctrinam astrologorum*, dicas, seu *doctrinam astrologorum Chaldæorum*, idem plane erit. Itaque jure à Lambino in tertia Lucretii editione reprehensus est Gifanius. Verum uterque erravit. Hoc enim loco Poeta noster per *Babylonicam Chaldæorum artem* intelligit Chaldæos qui Berosi hypothesim sequebantur contra *vulgarem astrologiam*. Quid sit docet Plutarchus II. *de Placitis Philosophorum*, Lunæ defectum fieri χατὰ τὸν ἥλιον ἡμᾶς ἐπιστρέφοντα τὸ ἀπυρώτατον μέρος, id est, *dum nobis obvertit eam sui partem, quæ ignita non est.* Sed *Chaldæi* hoc loco sectæ nomen est, non gentis; quod ex Horodoto probari possit. Hunc locum Lucretii non intellexit Casaubonus. Vide Notas illius ad prœemium Diogenis.

Uterque] Et Chaldæi seu Babylonii, & Græci.

Difficile est ratione, &c.] Vide Emendationes.

Etesia flabra Aquilonum] Et tamen ostendere possim, si per otium liceat, Etesias non semper esse Aquilones; & ad eam rem Aristotel. ac Diodorum advocarem. Sed nil ad Lucret.

Super] Ridicule facit qui in notis suis istud *super* de Luna intelligit; imo ad terram referri debet; quod ratio & versus sequentes probant.

Coni] Vel terram κωνοειδῆ facit; vel mucronem seu acumen umbræ telluris significat. *Linquitur*] Supereſt igitur, ut, &c.

Uteri

Vteri terræ radicibus apti] Συναφθέντες. Vide omnino Diodorum lib. I. magnum enim operæ pretium fuerit. *Ibi*] Tum.

Impetus alimenti] Nil melius poterat; ſentiri poteſt, non explicari. *Sed quia finem*] V. Emendat. *Androgynum*] Delendus.

Virtus] Vis, robur, valentia, ut olim loquebantur.

Sed neque Centauri fuerunt] Contra Empedoclem maxime qui hoc aſſeruerat. *Hinc illinc*, &c.] Vide Emendationes.

Scyllas] Duæ enim fuerunt, illa Niſi, hæc Glauci, ſed & ſi una fuiſſet, διὰ χήματος dicere poſſet Scyllas, ut Nerones, Marios, &c. cum Neronem & monſtra illi ſimilia, &c.

Signi] Signum ἔλεγχος eſt, probatio, &c. *Prima leo*] Τὰ πρῶτα, id eſt κατὰ πρῶτα. Verſus notiſſimus, πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ, &c.

Et genus] Deſcriptio admirabilis uſque ad p. 159. v. 4. Qui *relationes* recentiorum ſcriptorum legerunt, hic Margaiates, Braſilios, Canibalas, & pleroſque Indiæ Occidentalis populos agnoſcent.

Labi] Labe, *parte* pro parti, &c. paſſim.

Claricitat] Simeonis Boſii conjectura, plauſu digniſſima. Claricitare autem ſignificat vocare, advocare, invitare, &c.

Sed taciti] Vide Emendationes.

Dulcia linquebant labentis lumina vitæ] Mureti emendatio, quam, ſolens ſuo more, arripuit. Gifan. MS. *lamentis*, male.

VIII. *Vivo buſto*] Videor legiſſe apud Dionyſium Longinum, incomparabilem illum rhetorem, tale quid in ſcriptore Græco (Gorgia Leontino, ut puto) fuiſſe reprehenſum, (γύπες ἔμψυχοι τάφοι) *vultures, viva* hominum *buſta*. Sed Gorgias rhetor erat, artis & σωφέσεως totus, homo ἐλεινὰς δεινότητος, & cui hæc non licebant; At Lucretius poſtea Poëta eſt; & hæc deſcriptio multa ex *grandi genere* habet.

Itaque nihil est quod Longini judicium, quantumvis acre & exquisitum, reformidet.

Vermina] Vide Festum, qui hac voce dolores ex verminibus membra interius rodentibus natos significari ait. Forte & vermina vermes ipsos significabit.

Lædebant naves ad, &c.] Allidebant.

Balbe] Quippe qui nondum expedite loqui didicissent, sermone minime adhuc constituto. *Quam possit abuti*] Ita Plaut. & Ter. *abuti*, insumere est, &c. *Scymni*] Σκυμνοὶ plerumque pro catulis leonum, alias generale nomen est.

Quod tantopere mirabile est] Si enim nomina ipsa per sese cognitionem aliquam τῆς φύσεων afferrent; atque ex sola pronunciatione trium, quatuorve syllabarum singularis aliqua cognitio pararetur, sane mirandum foret; sed cum ab usu, usus autem à temeritate, fortuna, commoditate, interdum & à popelli imperitia, &c. pendeant, nil sane mirabile est, quod ait Lucretius. *Ficta*] Ut *volta* pro vultus.

Suspensis teneros imitantur dentibus haustus] Vide Emendationes.

Nam facies multum] Vide Emendationes.

Nec magis id nunc est] Semper eadem fient, eadem facta sunt.

Insigne] Diadema, Corona, Sceptrum.

Procraxe] Ut *traxe* Virg. *pœnam traxe per omnem.* Est autem verbum originis Græcæ, à κράζω, ἔκραγον, unde Poëta effinxit τὸ *procago*, in al. lib. *protraxe*, non bene.

Quæ nunc per] Vide Emendationes.

Voceſque superbas] Tales enim videbantur ob corporum procerit atem, agilitatem, &c. *Et manet omnino*] Propter tenuitatem, & alias id genus qualitates. *Facere*] Supponere, credere.

Vertier ad lapidem] Fuse Interp. Tertulliani & Minutii.

Nam

Nam cum ſuſpicimus] Vide Emendationes.

Et tanti motus hunc poſſunt] Vide Emendationes.

Pacem] Solennis formula, *Pacem deûm*, &c.

Animaſque ſecundas] Ventos.

Se contemnunt] Atque ideo omnia repente ad deos conferunt.

Penetrabat eos] Cogitabant, *&c.*

Victa poteſtas] Æris poteſtas, æs ipſum, alibi *vis, virtus*, &c.

Æreque belli miſcebant fluctus] Inde ſemper apud Homer. χαλχὸς æs, pro armis & inſtrumentis ferreis. Vide Euſtath.

Et bijugo] Vide Emendationes.

Boves Lucas] Ut *Campas* pro *Campanus* apud Plautum alicubi, ita *Lucas* pro *Lucanus*. Sic autem dicti ſunt Elephantes, quod eos Romani primum apud Lucanos viderint in bello adverſus Pyrrhum. Ita *malabathrum* ſeu *malobathrum*, quod φύλλον Ἰνδικὸν eſt, ab Horatio Syrium vocatur, non quod in Syria naſceretur, (haud ſane magis quam *amomum*, quod ab aliis quoque Syrium dicitur) ſed quia aliunde adductum in Syria plurimum inveniretur, venderetur.

Anguimanos] Proboſcis Elephanti manus dicitur; Sed illa manus inſtar ſerpentis, *&c.* unde *anguimani*.

IX. *In mœnere belli*] Si quis dicat legendum eſſe in *mœnera belli*, haud equidem repugnavero; imo lubens aſſentiar.

X. *Terrificas capitum quatientes undique criſtas*] Hunc verſum abeſſe hinc velim; neque enim facile crediderim criſtas capitibus leonum annexas: alibi legitur, ſed ſuo loco; & una voce variat, quæ errorem naſutis hominibus oſtendit;

Terrificas capitum quatientes numine *criſtas*.

Deplexæ] Solutæ, à πλέκω, unde *implico*, &c.

qui *depexæ* legunt & locum hunc Terentii adferunt, *adeo depexum dabo*, somnia somniant.

In se fracta] Spurius est.

Vt nunc sæpe boves Lucæ ferro male mactæ] Alii habent, *ut nunc sæpe boves templis ferro male cæsæ*. Notum illud Virg. *& incertam excussit cervice securim*, de tauro.

Dare quod gemerent] *Dare*, facere, aliquid novi struere, damnum, &c. Terent. Plaut. & modo Lucretius, *fera facta dederunt, dabit pugnam, sic dabo*, &c.

Armisque vacabant] Inermes erant; *sic vitâ vacat*. Furius apud Donat. pro mortuus est.

Nexilis vestis] Intellige vestes è pellibus ferarum, quæ consutæ non essent, διφθέραι Græcis hominibus. Vide Timonem Luciani. Itaque utuntur in ea re verbo ἐνάπτεσθαι, vel ἐνυφαίνεσθαι, ἐπαρπᾶσθαι.

Tela parantur] Quædam editiones, *tela paratur*, meo judicio male; nam *tela* seu *arma*, sunt instrumenta. Versus autem sequens indicat quænam illa instrumenta sint, quæ absque ferro parari nequeant, insilia, fusi, radii, &c.

Insilia] Aliud *incilia*, aliud *insilia*. Illud prius quid sit docebit Festus. *Insilia* autem non facile fuerit explicare. Mitto quæ ab aliis dicta fuerunt, (quamquam nil fere afferunt; neque ego quidquam affirmavero;) hoc tantum dicam *insilia* esse videri eam instrumenti textorii partem, quæ pulsu pedum quatitur, ut staminis pars modo deprimatur, modo attollatur, & fuso seu radio currenti libere tranieare liceat; Idque ab insiliendo, ut à *cubo, cubile*, à *sedeo, sedile*.

Scapi] Viri docti existimant *jugum* significare, id est lignum, circa quod stamina obvolvuntur; ego *pectinem* Ovidii puto, propter illud *sonantes*. *Radius* autem instrumentum est quo trama stamini inducitur.

XI. *Atque opere in duro durarent*] Ostendit versus

ſus ſuperior, hunc ſpurium eſſe; quod primus, opinor, moneo.

Pullorum examina] *Pulli*, in arbore quid ſint, docebunt Varro & Columella, & utroque vetuſtior Cato ille Cenſorius.

Cicutas] Virg. quoque pro fiſtula, &c. ita calamos, avenam.

XII. *Nam ſunt tunc omnia cordi*] Ni mihi properandum ſit, videor probare poſſe legendum, *Nam tum ſunt otia cordi*, id & verſus ſuperiores oſtendunt; & quos jam leges, ei conjecturæ non adverſantur. Vide tamen. *Tum* autem, id eſt cum homines *ſatulli* ſunt & ſeſe epulis invitarunt pluſculum.

XIII. *Aderant ſolatia ſomni*] Senſus manifeſtus eſt, eos ſcilicet qui dormire nequirent, ſeſe tibiæ cantu oblectare ſolitos. Cur igitur, inquit Interpres, *ſolatia ſomni* dixit? debuit enim dicere *ſolatia inſomniæ*. Et ita ſane videtur. Sed quod jam dicam, difficultatem illam, quæ non contemnenda eſt, tollet. *Solatium* ſcilicet pro eo ſumitur, quod rei alicujus amiſſæ loco datur, unde damnum reſarciri queat. Inde adeo fit ut interdum apud Juriſconſultos *ſolatium* pro tenui aliqua mercedula ſeu pretio ſumatur; quod probari nihil neceſſe, adeo certa res eſt. Si quis autem (hoc erit exemplum) pateram auream, aut gemmam, aut aliquid aliud manu tenens, diceret, *Hoc pretium ſomni*; nemo, opinor, eſſet, qui dictum illud non facile intelligeret; ita enim gemma *ſomni pretium*, ſeu *ſolatium*, diceretur, ut *pretium ædium*, ut *equi pretium*, id ſcilicet quod pro equo datum eſt. Objecerit tamen quiſpiam, dici ſolere, & recte quidem, *Vigiliarum mearum pretium*, &c. fateor; ſed ubi ita loquimur, figura eſt, quaſi vigiliæ ſcilicet hoc nobis attulerint, quod ab aliis in nos collatum eſt propter induſtriam & laborem ſuſceptum.

Vigiles] Caſtrenſes intelligo.

Illa reperta] Ἐκεῖνα εὑρήματα, *perdit* autem, in contemptum vocat, facit ut in minori pretio sint.

Quam reor invidia tali] Prima vestis ita cæteris iis Terrigenis placuit, ut inventori suo mortis causa fuerit.

Vestis apta signis] Jam antea.

In altum] Metaph. à navigationibus, periculum significat. De versu autem illo pag. 280. *namque alid ex alio*, &c. dictum est in Emendationibus.

IN

IN
Librum Sextum.

CAPUT I.

I. *Conjectura in Lucretio.* II. *Locus Poetæ perperam ab Interprete intellectus.* III. *Ut & alius quidam apud Justinum.* IV. *Emendatio tentata.*

HIC liber, Lector, uti Lucretianorum omnium haud dubie pulcherrimus est, ornatissimus, accuratissimus, sic multo jucundissimus est & ad intelligendum facillimus. Quamobrem is à nobis leviter tantum percurretur, qui frigidæ ac pene puerilis ostentationis esse ducamus, ea huc congerere velle, quæ de illius argumento à summis omnium ætatum viris prodita sunt; ac præter cæteros ab illo, qui omnem istam doctrinam

ita complexus est, ut qui post immortalia ipsius opera aliud quærat, is frustra conari videatur.

Primæ] Athenæ tritici, olei, &c. inventrices, nil tritum magis. *Præclaro nomine Athenæ*] μεγανόνυμοι.

I. *Et primæ dederunt*] Videtur legendum, *At primæ dederunt*, &c. Hoc sensu, Athenas quidem multa generi humano bona fecisse inventis frugibus, excultis artibus, humanitate, doctrina, legibus atque aliis rebus pene infinitis: *At* multo etiam melius de hominibus meritas esse, cum Epicurum protulerunt.

Veridico ex ore] Ita omnino de Epicuro suo sentiebant cultores *Hortuli*. Ita mox, *veridicis dictis* pag. 282.

Et per quæ vitam possent consistere tutam] Interpres hunc vers. delet. Exempla Gifanii ab hac significatione τῶ *consistere* prorsus aliena sunt. *Quæ conlata foris* & *Quod flueret*] V. Emend.

Quibus è portis] Metaphora à re militari.

Quandoquidem] Lambinus hos tres versus suppositos esse putavit. Illum vide; nam in MS. aliter leguntur; pro *vincendi*, ventorum, pro *cursu*, id est cursui, ibidem scribitur *rursum*.

Delibrata] Malim, *delibata*, diminuta.

Et ratio cæli speciesque tenenda.] Hanc lectionem probo, quamvis à Lambino rejecta fuerit. Ille enim quosdam codices secutus sic edidit, *& ratio superûm cœlique tenenda.* Quæ lectio si vera esset, Lambini tamen explicationem probare non possem, qui illam vocem *superûm* de diis accipiendam existimarit. Nam de diis eorumque natura non disputabit, nisi quatenus fulmen illis eripiet, quo non satis prudenter uti videantur. Quare τὸ *supera*, id est

est τὰ μετέωρα intelligendum esse puto. *Species* autem θεωρία est seu contemplatio, ut alibi, *Naturæ ratio speciesque.*

Fulmina clara] Hoc confirmabit quod alicubi in Emendat. dictum est, ubi quidam *flumina* legi voluit pro *fulmina.*

Cœli divisis partibus] Ut Etrusci & Romani factitabant, qui in 4. aut 16. partes, ad Orientem & Occidentem, cœlum divisere.

De parte serena] Id enim ad declinandam miraculorum fidem negabant Epicuri.

Nam aut cadere] Vide Emendationes.

Inter malos jactata] Nam ob loci nimiam amplitudinem trajectis malis vela intendebantur.

Fragiles] Crepitantes: alibi *aridum sonum* dixit, quod & sermo Gallicus usurpat, *un son sec.*

Quia semper & aures] Vera ratio est, quia rerum visibilium species semper præsentes sunt sensui; sed sonorum alia ratio est: qui scilicet, nisi collidantur, & tundantur corpora, non emittuntur.

Plumbea glans liquescit] Longum esset, si poëtarum & historicorum veterum testimoniis uti vellem ut id probarem. Sed inter fabulosa antiquitatis referendum id putem; neque magis verum esse, quam quod de sagitta Acestæ in V. scripsit Virgilius, quæ exarsit & in ventos abiit.

Adlicit] Al. *Attigit*, sed eadem significatio est.

Ne tibi sit fraudi] In errorem inducat.

Sepultis ventis] Ut alii, *sopitis*, ab eadem metaphora.

Lateramina vasis] Dolia enim lateritii operis erant.

Demoliri] Al. *Commoliri.*

Sic cadit & fertur tenebris] Vide Emendationes.

Inædificata] Mox, ut & antea, *extructis alte nubibus.*

Atque ita præcipitans] Vide Emendationes.

Conamen sumit eundi] Metaph. ab iis, qui, collectis viribus & spiritu, sese ad cursuram parant.

Impetis] Dicebant enim *impetis* pro *impetus*; unde frequens hodieque apud poëtas recentiores *impete*.

II. *E parvis corporibus vis facta est*] Vis æris & auri, inquit Interpres; Sed fallitur; quod & ratio & versus sequentes probant; Vis enim illa fulminis est, non auri:

Quæ facile insinuantur, & insinuata repente
Dissolvunt nodos omnes, & vincla relaxant.

Sed res plana est, neque monuissem, ni adolescentibus ab auctoritate Docti hominis periculum esset.

Autumnoque magis] Vide Emendationes.

Fretus anni] Ita vocat eas tempestates, quæ frigus & calorem interjacent; ut fretum dividens duas continentes. Dicebant autem *fretus* & *fretum*: jam supra.

Prima caloris enim] Prima pars veris adulti, seu (liceat mihi ita loqui) veris caput, calor est; finis autem, seu illa pars qua cum hyeme committitur, frigus.

Hoc est igniferi] Sacrificulorum, augurumque generi insultat. Istuc, inquit, est, scite quæ natura sit fulminis, &c. quod nunquam in libris vestris deliramentorum plenis reperietis, *retra volventem*, id est à capite ad calcem, à calce ad caput volvendo revolvendo aniles istos libros, quos Tyrrheni, seu Tusci, condiderunt.

Alii] Novem enim dii erant, quibus fulminis jaculandi jus à Jove concessum erat.

Aversabile] Βδελυγὸν, φευκτὸν, tetrum, dirum.

Ancon brachia suefaciunt] Tmesis Lucretio & veteribus poëtis familiaris, pro *consuefaciunt*.

Neque parcit in hostes] Neque parcit telis, neque iis minus frequenter utitur, ut, ubi occasio fuerit, hostes suos male perdat.

Bene facta Deûm simulacra] Ad ridiculum istud *bene facta*; Quanti enim venire poterant! Indignum vero, Deos tantum damni facere, tam elaborata simulacra ad Canonem Polycleteũ exacta, ὦ πόπoι, hoi, hei.

Tollen-

Tollendi ſunt verſus 33, 35 & 36. pag. 183. tollendus etiam eſt verſus 5. pag. 184.

Sufficiunt] Suppeditant.

Retinere] Morari, domi homines retinere.

Arqui] Seu *arcus*, ſeu *arci*, ſeu *arqui* legatur, nil intereſt.

In primis terram fac ut eſſe rearis] Ex Anaxagoræ ſententia; Vide Hieronym. Cardanum in lib. de varietate rerum; cui addas licet quod in fodinis auratiis apud Indos Occidentales obſervatum eſt.

Extructa domorum] Ut, *miratur ſtrata viarum*. Virgil. id eſt, *vias ſtratas*, ita *exſtructa domorum*, exſtructas domos ſignificat.

Minent] Unde natum *imminent*, *prominent*, &c. Lectio à Lambino conſtituta.

Perbilum] Paululum modo, fere nihil, imo nihil omnino; quanquam verum non eſt.

Speluncas inter magnas fremit ante tumultu] Arbitror monuiſſe me in Emendation. legendum eſſe, *magno fremit ante tumultu*.

In Tyria Sidone] Meminit Strabo ex Poſidonio; quamquam alium quemdam terræ motum hic intelligi putem. Vulgo locus Juſtini profertur ex lib. 18. III. *Tyriorum gens condita à Phœnicibus fuit qui terræ motu vexati, relicto patriæ ſolo Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, conditâ ibi urbe, quam à piſcium ubertate, Sidona appellaverunt. Nam piſcem Phœnices Sidon vocant.* Sed is locus male accipitur. Nam ibi de motu terræ, quo proſtrata Sidon fuerit, non agitur, ſed de clade, quæ Phœnices vexarit, non ad oram in qua Sidon condita, ſed in regione Idumæorum. Phœnices enim Juſtini, Idumæi ſunt, teſtanturque Herodotus, Plinius & Dionyſius Afer, eos ab origine prima Rubri maris accolas fuiſſe. Stagnum autem Aſſyrium, illud ipſum eſt quod mare ſeu lacus *Genneſaret* in libris ſacris dicitur.

Ægis in Peloponneſo] Intellige Ægas Achaicas, non

non longe à Bura & Helice, quæ & ipsæ motu terræ afflictæ fuerunt. De iis scriptor libelli de Mundo; nil de Ægis tamen.

Disturbât] Pro *disturbavit*. Vide quæ ad I. notata sunt.

Subditat timoris stimulum aliqua de parte] Sic enim hæc verba collocanda; id est, quodammodo terret ne, &c.

Neque enim] Vide Emendationes.

Misce tibi rebus] Al. melius, *in rebus*.

Sacer ignis] Πῦρ ἱερὸν, ut & nos Galli voce ejusdem significationis notare solemus, ejus species est, sed lenis: At qui exedens est, ἕρπης ἐσθιόμενος, ad ossa usque pervadit; de quo hic Lucretium loqui credibile est.

Maxima, &c. *ingentia*.] Terentii Interpretes ex Cicerone & aliis docebunt, quid inter *magnus* & *ingens* interst. Non temere *ingentior* occurrat; constat tamen apud Virgilium legi.

IV. *Et penetrare mari penitus res cogit aperto*] Al. *Et penetrare mare, & penitus se cogier arcto*. Utraque lectio Lambini displicet; neque id injuria: ambæ enim corruptæ sunt: legendum putarim,

Et penetrare animam *penitus res* cogere *aperto*.

Anima ventus est; sæpe apud Lucretium; modo legebas, *Ne dubites, quin hæc animai turbida sit vis*, id est, *vis venti*. Sensus itaque & ordo verborum sic sese habebunt: *Fatendum est animam hac ire & cogere res penetrare aperto*, id est, per apertum, seu per illas fauces. Omnino enim agitur de vento, non de mari; itaque illa emendationis pars (*animam*) plane necessaria est; per *res* autem intelligo ignes, scintillam, cinerem, saxa, &c. de quibus antea.

Subjectare] In altum tollere. Not. ad I.

In summo] Lamb. legit, *in summâ*, id est, *denique*, ἐπὶ τέλους, ut innuat plures esse rationes, qua de re in nota sequenti.

Ventigeni Crateres] Craters Ætnæ ita dicuntur quod

quod per eos venti ex viſceribus montis fere ſemper prorumpant; qua de re nemo dubitabit, ſiqua Straboni fides. Is in lib. VI. ſic ſcribit: Οὔτε γὰρ πρόσιτον ἔστι τὸν τόπον, οὐδ' ὁρατόν. Εἰκάζειν τε μηδὲ καταῤῥιφθῆναί τι δύνασθαι ἐκεῖσε, διὰ τὴν ἀντιπνοιὰν ἐκ βάθους ἀνέμων, καὶ τῆς ἀναμίξεως, ἣν προσαπαντᾷν εὔλογον πόῤῥωθεν, πρὶν ἢ τῷ συμίξαι τὸ κρατεῖν προσπελάσαι· εἰ δὲ καταῤῥιφθείη, φθάνοι ἂν διαφθαρὲν πρὶν ἀναῤῥιφθῆναι πάλιν, ὅπισθεν παρελθόν πρόσθεν· τὸ μὲν ἓν ἐκλεῖπον ποτὲ τὰ πνεύματα καὶ τὸ πῦρ, ἐκλιπούσης ποτὲ τῆς ὕλης, οὐκ ἄλογον· ὑπολαμβάνω δὲ τοσοῦτόν γε, ὡς τ' ἀντὶ τῆς τοσαύτης βίας, ἐφικτὸν ἀνθρώπῳ ψαύειν τὸν πλησιασμόν. *Etenim locum illum neque adiri poſſe, neque conſtici. Et conjecturam ſe facere, ne injici quidem poſſe eo quidquam, ob adverſum ventorum ex profundo flatum & calorem; quem, conſentaneum ſit, procul occurrere, antequam ad os Crateris adpropinquetur. Quod ſi quid tamen omnino injiceretur, multo ante ejus formam corruptum iri, qua erat injectum, quam ipſum rurſus ejiceretur. Cæterum non abſurdum eſſe, deficiente aliquando materia, ſpiritus quoque & ignem aliquamdiu ceſſare. At eam intermiſſionem tantam non eſſe uti contra iſtam vim mortalium aliquis proprius accedere queat.* Quare lectio vulgata, *In ſummo ſunt vertice item Crateres*, mihi non diſplicet, quod illud Lambinianum *in ſumma* mihi hoc loco haud probetur. Cumque opus aliquo verbo ſit, quod indicet novam rationem afferri poſſe, illud *item* admittatur neceſſe eſt.

Illius una] Lethi ſcilicet.

Per medium calorem] Sub finem extremum Junii menſis, ad uſque initium Septembris. Quod ideo notare viſum eſt, ut intelligamus hodie aliter fieri, quam olim. Citius enim deſinebat inundatio Nili. Ejus rei teſtis oculatus eſt Lambertus Maſſilienſis, qui de peregrinatione Ægyptica, quam ipſe anno 1626. ſuſcepit, commentariolum reliquit Lutet. editum,

ditum. In eam rem luculenta quæstio esse potest.

Inter nigra] Æthiopas; in montibus, qui Lunæ dicuntur, res hodie nota, veteribus non item.

Forsit] Id est, *fors sit*, fortasse.

De montibus Æthiopum] Vera ratio, quod tunc ibi hyems est; quæ in illis regionibus tota in pluvias perpetuas abit. Vide recentiorum *Relationes*.

Qualis apud Cumas] De his versibus satis in Emendationibus.

CAPUT

CAPUT II.

I. *Gifanius duobus locis lapſus.* II. *Alio etiam.* III. Spirat fons *apud Lucret. defenditur.* IV. *Lectio Gifan. à judicio aliena.* V. *Ut & explicatio* Scaphii *apud eundem.* VI. *Manilius emendatur.* VII. *Utrum* peſtis *pro peſtilentia Barbare dicatur, ut viſum Gifanio eſt.* VIII. *Heſychius emendatur.*

NON cum fumant] Ita illum locum cornices averſantur, ut, etſi in eo ſacra fiant, ne tum quidem advolent, quantumvis carnium nidor, illas invitare ad ſeſe videatur,

Pervigilii] Fabula Corones notiſſima eſt; ſed non illud pervigilium; credibile itaque fit Lucretium alios ſecutum eſſe auctores, quam qui ad nos pervenere.

In Syria] Vide Emendationes.

Arbos in montibus Heliconis] Quænam illa ſit divinabunt alii. Quidam exiſtimant eſſe taxum; Sed cur nos ad Heliconem mitteret? taxus enim frequens erat in Italia. Dein verum illud de taxo non eſt, *floris odore necare.*

Nocturnumque recens] Vide Emendationes.

I. *Tum ſit odos vini plagæ mactabilis inſtar*] Ita omnino legendum, neque ſatis mirari poſſum, in utraque Gifanii editione ſcriptum fuiſſe, *plagæ manabilis mora*, contra ſenſum, contra metrum, contra, &c. Sed in verſu 13. longe aliud reperies: Ibi loquitur

quitur Poëta de metellariis hominibus, qui *Terrai penitus ſcrutantes abdita ferro*, plerumque odoris tetri appulſu necantur. Quid autem illo carmine facilius *ſcrutantur abdita terrai*? [ſcrutantur terræ partes à ſole remotas] tamen Gifanius (hominis judicium!) ait *abdita auri* ſignificare *abditum aurum*; ſed illud *terrai* cum quo jungetur? neque enim poſthac ſtare poterit.

Scapteſula] Nomen generale eſt, materia foſſilis ſcilicet; vocamus *terre de mine*; neque hic de Thraciæ loco cogitandum, qui ſic proprie dicebatur; eſt enim, ut dixi; nomen generale τῆς μεταλλείας ſeu fodinarum metallarium, σκάπτειν *fodere* eſt, ὕλη *materia*.

Ut cadat è regione loci] Vide Emendationes.

Nictari] Sic legeret Feſtus; ſed haud dubie legendum *nixari*, ut alibi paſſim, quod & optime vidit Interpres.

II. *Rara tenet circum hunc fontem*] Aliquid in Indice monet Gifanius quod prætermitti haud deceat; *tenere*, inquit, *ſumitur pro* eſſe, habitare, incolere, *abſolute*. Papæ! unde iſthæc? Quis unquam in Latio ita locutus eſt? nemo. Interim quid erat facilius quam locum hunc recte exponere & ita recte ut nunquam eo confugiendum eſſet? Ipſa enim verborum ſeries rem expeditam dabat, quæ ſic habet: *Nimirum quod terra magis rara tenet hunc fontem circum*, ſeu, circum amplectitur. Vides, Lector, quo cum homine tibi res ſit. Cæterum hujus loci emendati gloria Lambino debetur.

Nodoſque relaxat] Gifan. in Ind. animum alibi habebat, cum hoc loco *nervos* legebat.

Frigidus eſt etiam fons] In Epiro. Plin. Vide omnino Phyſiologiam p. 509. & quod alibi dixit Vir Maximus de fonte Gratianopolitano.

III. *Spirat fons, dulcis aquai qui ſcatit*] Sic enim diſtinguendum omnino eſſe, alibi monui. Illud autem *ſpirat* de fonte audacius videri queat, & pene dithyrambi-

rambicum: Sed tamen dicimus, *vivas lucernas, aquam vivam, aqua currit, aquas ſalientes, mare mortuum, vivum fontem, vivum ſaxum,* ζῶντες ὄφεις, &c. Cumque interdum *ſpirare* pro *vivere* ponatur, hinc factum ut Lucretius dixerit, *fons ſpirat.*

Semina habent ignis ſtupæ tenentes] Imitatio Græci ſermonis, ut antea notatum fuit, *habent tenentes* pro tenent, ut ἔχω δερόσθαι, id eſt, ἔδρασα, λέξας ἔχω, pro ἔλεξα, ſæpe apud Tragicos & Ariſtophanem.

Noſcit] Sentit.

Primo carmine] Lib. I.

Undique qua circum] De his verſibus dictum eſt in Emend.

Facit are] Id eſt *arefacit*, exempla ad I. lib. congeſta ſunt.

IV. *Nam penetrare aliâ ſonitus aliáque ſaporem*] Sine omni judicio Giſan. in utraque editione ſcripſit *aliò, alioque*; cum agatur de meando, penetrando, ſubeundo; unde mox legas, *per ſaxa, per lignum, per aurum,* & *meare vitro,* id eſt, per vitrum.

Principio fluere] Vide Phyſiologiam p. 366. & 370. unde aliquid à Lucretio in hac diſputatione omiſſum eſſe diſcas, aut ex illius carmine excidiſſe.

Samothracia] Aliquando τὰ *Samothracia* pro myſteriis deorum Samothracum, ſeu Cabirorum ſumuntur, ut apud Tertullianum c. 8. Apol. ſed hoc loco annulos ferreos ἁλεξιτηρίους, qui ex Samothracia afferebantur, ea vox ſignificat. Tales fuiſſe illos Eudami annulos arbitror, de quibus Comicorum Princeps in Pluto.

V. *Scaphiis*] Vaſis, à forma ſcaphæ; forte de ſcaphiis horologicis in quibus ſtyli ferrei extremitas horarum auctus notabat. De iis Martianus Capella. Cur autem hoc exemplo potius uti maluerit Lucretius quam alio, nil neceſſe habeo reſpondere, quia nec interrogare neceſſe fuit. Hoc enim factum eſt ἐκ τοῦ ἐπιλάντος, ut loquuntur magiſtri, id eſt, cum temere, & nullo delectu, quolibet exemplo utimur. At Gi-

Gifanius (naſum comprime, Lector, ὁ γὰρ λέων τὸν βλέπει) hunc locum de *ſella familiarica*, ſic enim vocat Varro, accipit. *Vas eſt*, inquit, *ex ære, ad retrimenta alvi, muliebre fere, ut laſanum virile. Qui pro matula accipiunt, verbo abutuntur.* Fœtidam vero explicationem, Mephitim alteram! Hanc itaque à naſo moleſtiam amoliamur. Vide omnino ſuper ea re notas in Vitruvium.

Singlariter] Pro *ſingulariter*. Ita Lucilius dixit *monſtrificable*, pro *monſtrificabile*.

Nunc his nobilitas mirum eſt ac monſtrificable.

Apud Nonium, & fortaſſe jam alibi notaveram.

Taurea vinc'la] Gluten taurinum.

Mare velit] Hoc loco mare [illegible].

Denique res] Vide Emendationes.

Coplata] Copulata, ut *gubernaculum*, &c.

Nam quid Britannum] Vide Emendationes.

Elephas] Vulgo *Elephantiaſin* vocant, aliquando & *Elephantiam*; ſed & nonnullis dictus eſt λεοντίασις; eo enim verbo vetuli leones, qui feras conſequi haud poſſunt, fere plerumque tentantur, & inedia facit ut exareſcant.

Atthide] In Attica.

Concinnat] Efficit.

Gruentum] Fœdum, tetrum, inquinatum. Eſt autem conjectura Turnebi, aut l. Aurati. In vulgatis editionibus legebatur *corruptum*, contra legem carminis.

Finibus Cecropiis] Hæc deſcriptio à Thucydide eſt; cui tamen nonnulla ex Hippocratis obſervationibus poëta admiſcuit: ſed hæc ab aliis examinata fuere, ut & imitationes Virgilianæ. Evenit autem hæc clades paulo poſt exortum bellum Peloponneſiacum.

Flagrabat ſtomacho flamma] Delendus.

Nil adeo poſſet] Emendat. Lambinus.

Nil adeo ut poſſet quidquam leve, tenueque membris
Vertere ad utilitatem: ad ventum, &c.

Ita enim fit ut hic verſus cum cæteris cohæreat. Intellige autem ita æſtuaſſe intima corporum, ut nullum

iis

ii, veſtimentum, quantumvis leve & tenue, utile eſſe & commodum poſſet. Ita τὸ *vertere* abſolutum erit, ut alias ſæpe.

Inſedabiliter] Vide Emendationes.

Æquabat multum parvis] Efficiebat ut quantumvis larga aquæ copia pro nimio ardore æſtuantium corporum exigua videretur.

Quippe patentia] Hujuſcemodi autem inſomniam inter peſſimi eventus prognoſtica referri conſtat.

Huc hominis totæ vires] In Emendationibus.

Jacerent corpora ſupra corporibus] Id eſt, *Superjacerent corpora.* Vide pag. 105. *Exanimis pueris ſuper exanimata parentum*, &c.

Aëris auras volvere] Uno verbo, *vivere* eſt.

Morti damnatus ut eſſet] Ut ſi jam Orco addictus eſſet. Itaque *ut* pro *quaſi*, non temere alibi.

Inque alius alium] Vide Emendationes.

Nec minimum partim] Ita edit. Lamb. ut ſit *minimum ægroris*, minima pars morbi; ſed Giſanius ex veter. lib.

Nec minimam partem ex agris ægroris in urbem
Confluxit.

Verum non animadvertit eſſe in oratione ſolœciſmum ἀναπολόγητον; non quidem in [*minimam partem*] eſt enim elegantiſſime dictum, χτ', &c. ſed quia, ſi legas *ægroris*, τὸ *confluxit* caſum ſuum non habebit. Itaque Simeonis Boſii V. Clariſſ. conjecturam unice probo, qui legit, *ægror is in urbem confluxit*, is morbus, &c. Notum enim eſt τὸ R producere ſyllabam ſolere; cujus rei apud utriuſque linguæ ſcriptores exempla ſunt.

Silanos] Tubos, aquarum canales, ſalientes. Qui linguas orientales callent, vocem eſſe mere Arabicam aiunt.

Super una] Sola reſtans.

Hoſpitibus] Intellige ruſticos qui in urbem ſeſe receperant: *ædituentes* autem ſunt *ædituί*, νεωκόροι.

Nec jam relligio divûm, nec numina magni.

Pende-

Pendebantur: enim præsens dolor, &c.] Ita omnino distinguendum, ut in edit. Gifanii, sic quippe ratio incipiet ab *enim*; quod Plautus & Terentius facitarunt. Est autem hæc ratio qua fiebat ut *numina magni non penderentur*; Nil mirum, inquit, *Enim dolor omnia exuperabat*. Exempla apud Comicos crebra sunt, ut dixi.

Quo prius hic populus] In al. *pius hic populus*. Fortasse melius, si enim de *pietate* in deos intelligendum, notum est quid in Act. Apost. & apud Xenoph. de Athenienſibus ſcriptum ſit:. ſi de cura ſepulturæ (nam ea apud veteres pars pietatis erat) in eo populo ad ſuperſtitionem uſque inſignis erat. Memineris modo quid Athenienſium Imperatoribus evenerit ob corpora eorum inſepulta, qui ad Arginuſas perierant; & his exemplis plenæ hiſtoriæ.

Namque ſuos conſanguineos aliena rogorum.

Inſuper exſtructa ingenti clamore locabant.] Id est, cum familiaria ſepulcra, ſua buſta, non habebant, corpora ſuorum impo[illegible]ant alienis rogis. *Exſtructa rogorum*, id est rogi, ut alibi; itaque *aliena exſtructa rogorum*, erunt exſtructiones rogorum alienorum. Sed τὸ *inſuper* pro ſimplici *ſuper*; quod aliis quoque præpoſitionibus evenit.

Quam corpora deſererentur] Quidam *quam ut corpora deſererentur*.

Ventum eſt ſupremæ præſcripta ad candida calcis,

Mi Lector, & Notulas noſtras abſolvimus; quibus tamen pauxillulum quid addere etiam viſum eſt quod tibi non ingratum fore ſperamus. VI. Emenda itaque Manilium in extremo I. lib. ubi de hac clade loquitur.

Qualis Erechtheos peſtis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas.

Cætera omitto quæ ex Lucretio adumbrata ſunt, id quod ſtudioſi facile advertent; ſed in ſecundo verſu neminem vidi qui intelligeret illa *funera pacis*. Neque vero mirum. Sic itaque legendus uterque eſt.

Qualis

Qualis Erechtheos olim *populata colonos*
Extulit antiquas per funera peſtis *Athenas.*

VII. Sed juvat excurrere, neque hanc, ut ſpero, veniam denegabis. Sic ſcribit Giſanius in PESTIS: *Qui hac voce pro morbo, quem veteres conſtanter* peſtilentiam *vocant, utuntur, barbariſſant.* Editiones vero baſilicas! Hem! barbariſſant qui *peſtem* pro *peſtilentia* uſurpant. Bene ſane; jam Manilium barbariſmi manifeſtum habemus; ſed fortaſſe ſæculum Theodoſianum à puritate Latini ſermonis longius aberat, quam ut inde auctoritas peti debeat. Eſto ſane. At Juſtinus tamen Manilio antiquior, in morte Agathodis deſcribenda (jube afferre librum) ita quoque locutus eſt. Verum alium auctorem magis idoneum poſtulent Giſaniani; Satis igitur erit Horatius? annuunt. Sic itaque ille:

Hic bellum lacrymoſum, hic miſeram famem,
Peſtemque à populo & principe Cæſare in
Perſas atque Britannos
Veſtra motus aget prece.

Hîc certe peſtis tam peſtilentia eſt, quam fames fames eſt, opinor, nec tamen barbariſſat Horatius, ſi nobis ita ſentire per Giſanium licebit. VIII. Et hæc quidem ad calamitatem illam, quam ſibi deſcribendam ſuſcepit Lucretius pertinere videbuntur; ſed, quæ jam dicam ad *Cecropios* ſeu Atticos tantum. Videlicet, ne emendatio pereat, adſcribam quod ego in Epiſtola quadam ad Guidonem Patinum Virum Clariſſimum, & Regium Medicinæ Profeſſorem nuper ſcripſi. Apud Heſychium hæc leguntur: ΚΕΚΡΟΠΙΔΑΣ, Ἀθηναίους τὺς ἀπωκίδας, *CECROPIDAS, Athenienſes apocidas.* Hem! Apocides iſti unde terrarum advecti ſunt? Sed non eſt cur in ea re quærenda quidquam operæ ponatur; locus non corruptus modo eſt, ſed & mutilus. Lege & ſupple ΚΕΚΡΟΠΙΔΑΣ Ἀθηναίους [ἀπὸ Κέκροπος] Ἢ ΑΠΑΤΕΩΝΑΣ. *Cecropidas* ſcilicet, ſignificare *Athenienſes, à Cecrope, vel etiam*

tiam significare *fallaces*; alluſione facta ad *Cecropas* qui δόλιοι & πανοῦργοι, notiſſimo proverbio, habebantur, Κεκρώπων ἀγαθός. At ne quis de emendatione dubitet, ipſemet Heſychius plane & diſerte alibi ſcripſit Κέκροψ, ἀπατεών, ἢ πίθηκος. Ubi, ex interpretatione [πίθηκος] luſum fuiſſe in ea voce per metatheſin τοῦ κ & ρ, cognoſcas, ut καρτερὸς pro κραταιὸς, καρδία pro κραδία. Itaque verbum erit comicum aut Sillographi alicujus.

FINIS.

BRITISH 9 NO 72 MUSEUM

Books sold by *H. Dickinſon*, Bookſeller in *Cambridge*.

PRami Dialect. Libri duo, cum Comment. Georg. Dounami, 8°.
Titi Livii Hiſtor. Libri, 2 *Vol.* 8°.
Terentii Comœdiæ, cum Notis Joh. Min-ellii, 12°.
A modeſt plea for Infant Baptiſm, by W. Walker, *B. D.* 12°.
Varenii Geographia, 8°.
Sharrock's Ethicks, 8°.
Lactantii Opera, 8°.
Curcellæi Ethica, 8°.
Dr Henry More's Philoſophical Collections, *Fol.*
Myſtery of Godlineſs, *Fol.*
Myſtery of Iniquity, *Fol.*
Enchyridion Metaphyſicum *Lat.* 4°. cum *Fig.*
Enchyridion Ethicum *Lat.* 8°.
Divine Dialogues in 2 *Vol.* 8°.
His Epiſtles to the 7 Churches with an Antidote againſt Idolatry, 8°.
Introductio ad Carteſium, 8°.
Obſervations on Antropoſophia Theomagica.
Origenes contra Celſum; Ejuſdem Philocalia, cum Ann. Guilielmi Spenceri, 4°. *G. L.*
Scheyneri Fundamenta Optica, 4°.
Officium Concionatorium, 4°.
Cauſabon's Letter againſt the Royal Society, 4°.
Smith's ſelect Diſcourſes, 4°.
Bythneri Pſal. 4°.
Biſhop Ruſt's Letter of Reſolution concerning the chief of Origen's Opinions, 4°.
Warren's no Præexiſtence, 4°.
Godman's Sermon, 4°.
Epicteti Enchyridion cum Cebetis Tabula. Acceſſerunt Simplicii & Arriani Comment. *G. L.* 8°.
Gaſſendi Aſtronomia; Cui acceſſere Galilei Galilei Nuncius Sidereus & Kepleri Dioptrice, 8°.

Billing-

Billingsly's Idea of Arithmetick, 8°.
Rami Logica cum Comment. Ameſii, 8°.
Ray's Collection of Engliſh and Scotch Proverbs, 8°.
Templeri Idea Theolog. Leviathanis, 8°.
Angelini Gazæi Pia Hilaria. Acceſſit Tomus alter cum Indice Philologico, 12°.
Devarius de Particulis Linguæ Græcæ, 12°.

BRITISH
9 NO 72
MUSEUM

FINIS.